DISSERTATIONES AD PRAECEPTA PRIMAE TABULAE SED PRAECIPUE AD MAGNUM ILLUD...

Giulio Antonio Maria Roboredo

B.4 10.4.61

DISSERTATIONES
AD PRÆCEPTA PRIMÆ TABULÆ

Sed præcipuè ad magnum illud mandatum
& primum duorum Præceptorum

IN QUIBUS

TOTA LEX PENDET, ET PROPHETÆ.

DISSERTATIONES
AD PRÆCEPTA PRIMÆ TABULÆ

Sed præcipuè ad magnum illud mandatum & primum duorum Præceptorum

IN QUIBUS

TOTA LEX PENDET, ET PROPHETÆ

REGIÆ CELSITUDINI

COSMI III.

MAGNI ETRURIÆ DUCIS

DICATÆ

A. P. M. JULIO ANTONIO ROBOREDO

Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis

In Univerſitate Florentina Sacræ Scripturæ, & Controverſiarum Profeſſore.

FLORENTIÆ. M.DCC.XV.

Typis Regiæ Celſitudinis. Apud Jacobum de Guiduccis, & Sanctem Franchi.)(*Superiorum Permiſſu.*

Google

REGIA CELSITUDO.

SOlent ſcriptores libros ſuos magnorum Principum nominibus decorare, ut con-

ciliata ſibi apud Poſteros authoritate,immortalitatem nominis aſſequantur. Tu verò Magne COSME ità omnia mea ſtudia excelſo patrocinio prævenisti, ut quidquid ad publicam utilitatem ſum meditatus, & Regio Tuo Nomini dicatur, Te Patronum non imploret, ſed recognoſcat. Cum nemo ſit inter Principes, qui ea contemnere poſſit, quæ Magnanimitas, Clementia, & Munificentia, præclaræ Majeſtatis Conſortes, ſua effecerunt, jam invidenda ſorte diſſertationes haſce meas Tibi gratiſſimas eſſe non dubito, quas multis propemodum titulis Tuas eſſe voluiſti; ut enim Divinos Libros exponerem, Catholicæ Fidei veritatem propugnarem, præcipua Moralis Theolo-

giæ

giæ præcepta traderem, incredibili me zelo excitaſti, ut typis dare poſſem, Regia Munificentia adjuviſti, ut altius in animis inſigerentur, quæ de Summo Bono diligendo, de voluptatibus ſpernendis, de Divino Cultu amplificando ſcripta ſunt, ſingulari exemplo præfuiſti. Plus Virtutibus Tuis, quam meis vocibus, aut ſcriptis debetur, nec ego diſcipulis meis gratulabor, quod Sacrarum Litterarum amore inflammentur, quod tam firma, ſolidaque jecerint fundamenta dignitatis ſuæ, ſed quod pietatem didicerint Præceptore Principe. Mihi ipſi gratulabor, quod à primo juventutis flore Regiæ Tuæ Celſitudinis patrocinium nactus ſim, ſub quo liberales diſciplinæ reviviſcant, om-

nia ſtudia refloreſcant, & nihil Scriptoribus deſit ad nominis immortalitatem. Interim D. O. M. deprecabimur, ut vota, quæ pro incolumitate Tua ſuſcepimus, divinis Providentiæ legibus confirmentur, ut Te nobis diutius conſervato plura ſcribere poſſimus, majora habeant Subditi quæ imitentur, Poſteri quæ commendent, Fama quæ loquatur.

Regiæ Celſitudinis Tuæ

Humillimus Famulus
F. JULIUS ANTONIUS M. ROBOREDO
Servorum B. M. Virginis.

*E*Xpectatum diù ab Amicis hoc Diſſertationum Volumen, quod noſtras in oracula Prophetarum lucubrationes præcedere debuerat, nunc tibi exhibemus Lector ſtudioſiſſime. Habes, in quo non minus ingenium, quam voluntatem exerceas, ſi te non minus docilem, quam doctum invenero. Cum nihil ſit ſub ſole novum, præſertim in hoc eruditiſſimo ſæculo, res novas non inducimus, ſed veritatem, quæ eò magis placet, quò fuerit antiquior, ipſamque & novam, & antiquam veritatem clara methodo proponimus, qua obſcuriora dilucidentur. Si quid in hoc opere deſideratur, quod ad reliqua primæ Tabulæ præcepta pertineat, illud præſtabitur in cæteris Tomis noſtræ Lucernæ Propheticæ, ad quos præſens etiam in majori ſui parte referri debet. Communes ſunt præliminares Diſſertationes, ac ſtylo ſimplici in eis ordinantur, quæ à præcipuis authoribus uno ferè calamo conſcribuntur, ſed à facilioribus inchoandum duxi, & ſtylum materiæ, non materiam ſtylo accomodandam, ut minùs peritos, quibus me etiam debitorem profitebar, ad difficiliora manuducerem. Si ad Divinarum Scripturarum fontes numquam acceſſiſti,
Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus Eccl. 3. ver. 22.
fue-

fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus; non eſt enim tibi neceſſarium ea, quæ abſcondita
de util. cred. cap. 8. ſunt videre oculis tuis. *Hinc D. Auguſtinus graviter reprehendit eos, qui libros ſacros temerè aperiunt, ſuamque de iis ſententiam proſerunt multa de virtutibus, ac vitiis diſputantes*, Terentium, *inquit S. Doctor*, ſine magiſtro non audes attingere, & in libros ſanctos, & divinos irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam? *Utilia ſunt, quæ tibi tradimus, & aliqua etiam dulcedine conſperſa, neque tantum optamus, ut placeant, quam ut proſint, utrumque ab optimis moribus tuis, atque ingenio ſperantes, & plura in poſterum divino Patris Luminum præſidio tibi promittimus.*

IN-

INDEX
DISSERTATIONUM, AC CAPITUM,
Quæ in hoc Volumine continentur.

DISSERTATIO I.
PRÆLIMINARIS.

Cap. 1. Quid ſit lex æterna. pag. 1.
Cap. 2 & 3. De Jure Naturali. pag. 5. & 11.

DISSERTATIO II.

Cap. 1. De Lege Scripta. pag. 21.
Cap. 2. Quibus de cauſis lex ſcripta promulgata fuerit. pag. 27.
Cap. 3. De Legibus Proſelytorum. pag. 30.

DISSERTATIO III.

Cap. Unicum. De diviſione præceptorum Decalogi. pag. 41.

DISSERTATIO IV.

Cap. 1. De Idololatria. pag. 45.
Cap. 2. De origine Magiæ. pag. 53.

Cap. 3. De Sortibus. pag. 58.
Cap. 4. De iis, quæ in magno Legis mandato prohibentur. pag. 65.

DISSERTATIO V.

De Idolis, quorum mentio habetur in S. Litteris.

Cap. 1. De Idolo Moloch. pag. 71.
Cap. 2. De Thamuz Hebræorum, ſive Adonide pag. 76.
Cap. 3. De Beelzebub. pag. 80.
Cap. 4. De Beelphegor. pag. 84.
Cap. 5. De Aſtarte, ſive Aſtaroth. pag. 88.

DISSERTATIO VI.

Cap. 1. De uſu, ac cultu S. Imaginum. pag. 96.
Cap. 2. Cultus S. Imaginum non adverſatur primo Dei præcepto. pag. 99.
Cap. 3. Qualis fuerit uſus S. Imaginum, & qualis cultus eis debeatur. pag. 106.
Cap. 4. Solutio argumentorum contra S. Imagines. pag. 112.

DISSERTATIO. VII.

Ad tit. 45. Lib. 3. Decretalium de reliquiis, ac veneratione Sanctorum.

Cap. 1. Angeli ſunt colendi, & invocandi. pag. 120.
Cap. 2. Explicatio locorum S. Scripturæ, quæ contra Angelorum cultum opponuntur ab adverſariis. pag. 128.

DIS.

DISSERTATIO VIII.

Cap. 1. De Invocatione, ac cultu Sanctorum pag. 133.
Cap. 2. Solvuntur difficultates, & explicantur plura ex S.S. quæ in alienum ſenſum detorqueri ſolent. pag. 159.

DISSERTATIO IX.

Cap. unicum. Quinam ſint, ut Sancti a nobis colendi, & invocandi. pag. 146.

DISSERTATIO X.

Cap. 1. De Sanctorum reliquiis. pag. 156.
Cap. 2. Explicatur cap ult. Deuter. & difficilis locus Epiſt. Cathol. Judæ Apoſt de altercatione Michaelis Arcangeli cum Diabolo, & Cap. 23. Natth. pag. 167.

DISSERTATIO XI.

Cap. unicum. De Reſurrectione Corporum. pag. 171.

DISSERTATIO XII.

Cap. 1. De Religione. pag. 181.
Cap. 2. Oſtenditur vitam hominis Religionem eſſe, ubi multa de Pulchritudine, ac Pulchro. pag. 186.
Cap. 3. Confirmatur ſupradicta veritas antiquorum teſtimoniis, ubi quamplura de divino amore notantur. pag. 195.
Cap. 4. Diluuntur argumenta adverſariorum. pag. 202.
Cap. 5. Explicatur, quandò teneamur ad actus divini amoris. pag. 207.

DIS-

DISSERTATIO XIII.

Cap. unicum. Qui lapſus eſt in mortale peccatum, tenetur, cum poteſt, quærere medium ſuæ juſtificationis, &c. pag. 214.

DISSERTATIO XIV.

Cap. unicum. De unitate Religionis contrà Libertinos, atque indifferentes. pag. 240.

DISSERTATIO XV.

Ad tit. 14. Lib. Decretal. De voto, ac voti redemptione.

Cap. 1. De Voto. pag. 252.
Cap. 2. De Votis Gentilium. pag. 256.

DISSERTATIO XVI.

De Judæorum Votis.

Cap. 1. De Voto Jacobi. pag. 268.
Cap. 2. De Votis Nazareorum. pag. 271.
Cap. 3. De Voto Annæ. pag. 278.
Cap. 4. De Voto Jephte. pag. 284.

DISSERTATIO XVII.

De Votis Legis Evangelicæ.

Cap. 1. De perpetua B. Mariæ Virginitate. pag. 290.
Cap. 2. Quam fuerit conveniens Deum è Virgine naſci. pag. 298.
Cap. 3. Proponuntur omnia adverſariorum argumenta, & refelluntur. pag. 305.

DIS-

DISSERTATIO XVIII.

Cap. 1. De Voto Virginis Mariæ. pag. 313.
Cap. 2. De vero matrimonio inter Mariam, & Joſephum. pag. 321.

DISSERTATIO XIX.

Cap. 1. Cur Dominus de Virgine deſponſata naſci voluerit. pag. 331.
Cap. 2. Dilucidantur aliqua dubia circa propoſitam veritatem & exponitur, quæ fuerint PP. Sententiæ de ignorantia Diaboli. pag. 338.

DISSERTATIO XX.

De iis, quæ pertinent ad notionem generalem Votorum Legis Evangelicæ.

Cap. 1. Probatur ſolum propoſitum non ſufficere, ut quis Voti reus cenſeatur. pag. 344.
Cap. 2. Nemo poteſt vovere, quod eſt in alterius poteſtate. pag. 349.

DISSERTATIO XXI.

De Sacrificiis.

Cap. 1. Notio Sacrificiorum tam ex Sacris, quam ex prophanis authoribus. pag. 357.
Cap. 2. Sacrificiorum origo undè repetenda. pag 364.

DISSERTATIO XXII.

Cap. unicum. Sacrificia fuere non ſolum à Deo permiſſa, ſed etiam præcepta. pag. 375.

DIS-

DISSERTATIO XXIII.

Cap. 1. Antiquæ legis ſacrificia, & cæremoniæ Chriſtum venturum, Sacramenta, ſanctoſque Ritus Legis Evangelicæ figurabant. pag. 382.
Cap. 2. De Aſperſionibus præfigurativis Paſſionis Chriſti, quæ peragebantur Sacrificio cruento. pag. 393.

DIS-

DISSERTATIO I.
PRÆLIMINARIS
DE LEGE ÆTERNA, AC JURE NATURALI

CAPUT PRIMUM.
Quid ſit Lex æterna.

1. Datur in Deo perfectiſſimum Dominium Juriſdictionis, & Proprietatis. 2. Perfectiones iſtius Dominii ſunt Independentia, Amplitudo, Altitudo, & Eminentia. 3. Definitur Lex æterna. 4. Hæc Lex appellatur communis omnium Creaturarum a Tertulliano, & fuit cognita etiam a Gentilibus. 5 Pythagoreorum, & Platonicorum dogma, Deum eſſe Animam Mundi.

CUm omnes Divinæ humanæque leges ab æterna lege, veluti a fonte ſuo limpidiſſimo oriantur, & ipſa Decalogi præcepta, quorum explanationem aggredimur, ſint quædam Divinæ expoſitiones juris naturalis, ideò antequam ad ea tractanda accedamus, neceſſe eſt, ut aliquid de lege æterna, ac de jure naturali breviter dicamus. Atque, ut clarius æternæ legis notionem attingamus.

I. Supponendum eſt dari in Deo perfectiſſimum dominium, tam juriſdictionis, quam proprietatis, juriſdictionis inquam, quia eſt in Deo perfectiſſima poteſtas guber-

nandi ſubditos, præcipiendo, prohibendo, permittendo, puniendo, & remunerando.

II. Perfectiones iſtius Divini Dominii notabiles ſunt; nam prima eſt independentia, Deus enim dominium habet a ſe a nullo acceptum, nullique tributarium. Secunda eſt amplitudo, extendit enim ſe ad omnem tum rationalem, tum irrationalem naturam, & ad omnia loca, nam quæcumque voluit, fecit in Cœlo, & in terra: extendit etiam ſe ad omnia tempora, & hinc Propheta pſalm. 144. v. 13. inquit: *Regnum tuum, Regnum omnium ſeculorum*. Tertia Dominii Divini prærogativa eſt Altitudo, Deus enim ſummam habet præcipiendi, & prohibendi poteſtatem. Quarta eſt Eminentia, ex Dominio enim Dei omnis poteſtas deſcendit, cum Apoſtolus dicat, *omnis poteſtas a Deo eſt*. Convenit etiam Deo perfectiſſimum Dominium proprietatis, poteſt enim pro libito ſuo, & abſque cujuſquam injuria diſponere de creaturis omnibus, eas ordinando ad gloriæ ſuæ manifeſtationem. Hinc Propheta pſalm. 88. inquit. *Tui ſunt Cœli, & tua eſt terra*. Iſtud autem Dominium proprietatis multis quidem præcipuis titulis fundatur, primus eſt titulus Creationis, hinc Apoſtolus ad Rom. 9 ver. 21. ut oſtendat Deo ſubjecta eſſe omnia, & ipſum poſſe pro libito de omnibus diſponere, adducit exemplum Figuli, cui poteſtas eſt in vaſa, quæ finxit ex luto: Deus autem non tantum omnia creat, ſed etiam conſervat, ut ad Coloſs. 1. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & omnia in ipſo conſtant*. Alter titulus, qui propriè ad Deum Hominem ſpectat (quia eſt operatio Theandrica, ſivè Dei viriis) eſt titulus Redemptionis. Dei enim ſumus, quia non tantum a Deo creati ac conſervati, ſed quia a Deo Homine redempti a poteſtate Dæmonis, a ſervitute peccati, & a morte. A poteſtate Dæmonis, quia ut inquit Chriſtus apud Joan. 12. v. 31. *nunc judicium eſt Mundi nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*:

ras: & de ipſo Chriſto dixit Apoſtolus ad Coloſs. Cap. 2 v. 15. *Expolians Principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo*. A peccato, quia ut inquit idem Apoſtolus ad Rom. 6. *Liberati a peccato ſervi facti fuiſtis Juſtitiæ*. A morte denique, ut prædictum erat per Oſeam cap. 13. *De manu mortis liberabo eas*. Habet inſuper perfectiſſimum proprietatis Dominium, cum ſit omnium ultimus finis, omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Hæc Dominii Divini notitia nos veluti manu ducet ad cognitionem legis æternæ.

III. Lex igitur æterna *eſt ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans*, ita D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſt. cap. 27. ſivè æterna Lex eſt *ea, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima*, uti ſcribit lib. prim de lib. arb. cap. 6. ſubdens, *quid illa lex, quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt, & per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur, per quam denique illa, quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, recteque mutatur; poteſt ne cuipiam non incommutabilis, æternaque videri? An poteſt aliquando injuſtum eſſe, ut mali miſeri, boni autem beati ſint?*

Deus igitur Optimus Maximus, qui ex nihilo omnia condidit, omnia incommutabili, & ſempiterna ſua lege diſponit, ac gubernat, ſive tantum exiſtant ut ſaxa, ſivè exiſtant, ac vivant, ut plantæ, ſivè exiſtant, vivant, & ſentiant, ut animalia, ſivè vivant, ſentiant, atque intelligant, ut homo, atque, ut notat Angelicus Præceptor, ratione rerum creatarum exemplar eſt, atque idea, ratione verò regiminis lex dicitur, & hinc cecinit Boet lib. 3. de conſolatione.

O qui perpetua Mundum ratione gubernas.

Hæc lex divina, atque invariabilis omnes regit creaturas tam rationales, quam irrationales, ſed homines ligat per modum præcepti, cujus capaces ſunt, cæteras verò

creaturas per modum ſimplicis obedientiæ, & naturalis propenſionis, & inclinationis in finem, ſivè, ut clarius dicamus, creaturas rationales regit per modum luminis, infundendo eis notitiam, quâ pergant ad finem ſuum, Creaturas verò irrationales per modum cauſæ impellentis ad ipſum finem dando rebus ſtimulos quoſdam, quibus ad conſtitutum finem trahantur. Sic Proverb cap. 8. v. 29 inducitur æterna ſapientia legem ponens aquis. *Quando legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos:* Sic dicitur verſ. 27. *Certa lege, & gyro vallabat abyſſos.* Sic David pſalm. 118. cecinit. *Ordinatione tua perſeverat dies.* Sic pſalm 148. irrationabilia dicuntur exequi divina mandata, Legimus enim *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.*

IV. Hanc legem toti creatarum rerum univerſitati promulgatam appellat Tertullianus, nam lib. de coron. Militis ait: *Lex communis in publico mundi, & in naturalibus tabulis ſcripta.* Hanc etiam antiqui cognoverunt, omnes enim leges ab æterna derivari, Deumque omnia lege ſua incommutabili regere, & gubernare, conſtans antiquorum ſententia fuit. Cic. lib. 2. de legibus *Hanc*, inquit, *video ſapientiſſimorum hominum eſſe ſententiam, legem nec hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum eſſe aliquod populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi, prohibendique ſapientia. Ita principem legem illam, & ultimam mentem eſſe dicebant, omnia ratione, aut cogentis, aut vetantis Dei. Ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, rectè eſt laudata.* Sic Senec. Epiſt. 66. *Una inducitur*, inquit, *humanis virtutibus regula. Una enim eſt ratio recta, ſimplex, qua nihil eſt divino divinius, cæleſti cæleſtius mortalia eminent, cadunt, deteruntur, creſcunt, exhauriuntur, implentur. Itaque in illis in tam diverſa ſorte inæqualitas eſt, divinorum una eſt natura.*

V. Hinc notum Pythagoræorum, ac Platonicorum omnium

mnium axioma, *Deum eſſe animam Mundi*, hancque omnia creata pervadere. Videatur Clemens Alexandr. lib. 5. ſtrom. Lilius Gyrald. Syntagm. 1. ſic apud Plutarch. lib. 1. de placitis Philoſoph. *Deus eſt mens mundi*. Et Seneca de conſolatione ad Helviam cap. 8. & lib. 4. de beneficiis cap. 7. inquit. *Quid enim aliud eſt natura, quam Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inſerta?* Quod annuere videtur Virgilius 6. Æneid. verſ. 724.

Principio cælum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Et 4. Georg.

Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Quæ omnia etiam explicare videtur Manilius. lib. 1. Aſtronom.

Hoc opus immenſi conſtructum corpore mundi,
Membraque naturæ diverſa condita formæ
Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis,
Vis animæ divina regit, ſacroque meatu
Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat.

CAPUT SECUNDUM

De Jure naturali.

1. *Aſſignantur variæ naturæ acceptiones, & explicatur, quomodo jus naturale dicatur commune omnium nationum, & brutis etiam competere. 2. Creaturæ rationales moventur per regulam rationis, irrationales per impulſum, & impetum. 3. In rationali creatura propriè dicitur*

citur lex æterna. 4. In homine jus naturale multipliciter accipi poteſt juxtà ordinem inclinationis naturalis. 5. Cum aliæ res naturales appetant ſolum bonum, quod verè eſt illis bonum, homo appetit aliquanda bonum, quod apparenter eſt bonum.

1. CUm variæ ſint naturalis Juris acceptiones inquirendum nobis eſt, quale ſit naturale jus homini à principio ſuæ creationis inditum, atque indelebiliter impreſſum Ad cujus rei explanationem ſcire oportet varias eſſe naturæ acceptiones, ut optimè notat Gloſſa in cap. jus naturale diſtinct. 1. *Quandoque enim dicitur natura vis quædam inſita ex ſimilibus ſimilia procreans; aliquando ſumitur natura pro rerum eſſentia, atque earumdem rerum proprietatibus.* Aliquando appellatur natura quidam ſtimulus ex ſenſualitate proveniens ad appetendum, vel procreandum, vel educandum, ut text. eſt in cap. horrendus. 32. quæſt 5. l. 1. §. jus naturale inſtit. de jur. natur. gent. & civil. Aliquando appellatur inſtinctus naturæ ex ratione proveniens; & jus, quod ex tali natura profluit, & emanat, naturalis æquitas nuncupatur. Aliquando denique jus naturale pro naturalibus præceptis deſumitur; cujuſmodi ſunt. Non mæchaberis, non furtum facies, &c. Jus ergo naturale homini a principio inditum fuiſſe naturæ inſtinctum ex ratione provenientem, dubitare nemo poterit, qui originalis juſtitiæ rectitudinem conſideret. Quia tamen multi naturale jus brutis etiam competere aſſeverant per text. in lege 1 §. 3. ff. de Juſtitia, & Jure; & naturale jus commune omnium nationum dicitur per text in cap. jus naturale diſtinct. 1. ideò hæc duo cum ſupra tradita diviſione conciliare debemus, ſimulque explanare, quomodo hæc intelligantur; arduum enim videtur jus naturale brutis etiam competere, cum ex Ariſtotele 1. Ethicor. ea, quæ legi parent, rationem participare debeant; hac

autem

æterni bruta omnino carent. Unde non eſt in eis æquitas, ſint juſtitia, nec damnum, aut injuriam afferre, aut inferre poſſunt per text in lege 1. verſ. ait prætor ff. ſi quadruplex pauperiem feciſſe dicatur.

II. Pro cujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, quod lex æterna eſt ſumma ratio in Deo exiſtens, ut docet D. Thom. 1. 2. quæſt. 91. art. 1. & ſeqq. & hæc lex æterna ordinatiſſima quadam, ſuavique diſpoſitione regit, dirigit, gubernat omnes creaturas, ſivè rationales, ſivè irrationales, ſivè etiam inſenſibiles, ut ait idem D. Thom. d. quæſt. 91. art. 5. & 6. ſed diverſo modo, nam creaturæ rationales moventur per regulam rationis, & lumen intellectus, quo ad debitum finem diriguntur juxtà illud pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; irrationales verò, & inſenſibiles creaturæ ab eadem lege æterna, divinaque providentia reguntur, non quidem per lumen intellectus, & regulam rationis, ſed per impulſum, impetum, & inſtinctum naturalem, quo naturaliter in ſuum finem diriguntur.

III. In rationali igitur creatura propriè dicitur ineſſe lex æterna, & jus naturale, quoniam illud participat intellectualiter, & rationaliter, in creatura verò irrationali non poteſt dici propriè lex, vel jus, cum rationaliter illud non participet, & juxta dictamen, & ragulam rationis. Poteſt tamen impropriè, & abuſivè dici legem æternam, & jus naturale in creatura irrationali reperiri per quamdam ſcilicet participationem, quatenus regitur, & movetur ab ipſa natura, & ſuo inſtinctu, & impulſu naturali tendit in proprium finem naturalem, vel per quamdam proportionem, & ſimilitudinem; nam quemadmodum rationalis creatura movetur ratione in ſuum finem, ita etiam irrationalis movetur in ſuum finem impulſu, & inſtinctu naturali ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 91. art. 2. ad 3. Quando ergo dicitur jus naturale illud eſſe, quod natura omnia animantia do-

cet, ſi referatur ad rationalia, intelligi debet per doctrinam, & diſcurſum, & prævio rationis dictamine, ſi verò ad irrationalia referatur, intelligi debet per inſtinctum, & impulſum naturalem ab ipſamet natura inditum, nec eſt .ovum, quod unum, & idem verbum ad diverſa relatum, diverſam trahat ſignificationem, ut patet ex gloſ. in cap. Capitulum Sanctæ Crucis de reſcript. & in lege ſæpe ff. de re iudic.

IV. Inſuper notandum eſt, quod in homine jus naturale tripliciter ſpectari poteſt, prout in eo triplex eſt ordo inclinationis naturalis. Poteſt enim conſiderari ſecundum naturam generis generaliſſimi, quatenus homo eſt, vel ſubſtantia, ſecundum quam communicat cum omnibus ſubſtantiis in hoc, quod quælibet earum naturaliter appetit conſervationem ſui, ac perinde homo naturaliter conſervationem ſui appetit, etiam vim vi repellendo. leg. ut vim ff de juſtitia, & jure.

Vel conſideratur homo ſecundum naturam generis ſubalterni, quatenus homo eſt animal, & ſecundum hoc communicat cum omnibus animantibus in iis, quæ natura omnia animantia docet, qualia ſunt commixtio maris, & fœminæ, liberorum procreatio, & ſimilia, quæ etiam brutis competunt, vel denique conſideratur ſecundum naturam ſuæ ſpeciei, quatenus ſcilicet eſt animal rationale prææditum inclinatione naturali ad cognitionem Dei, unde emanat illud principium, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, & alia quæ habentur in tota diſtinct. 1. quæ ſolis hominibus propria ſunt, & ita reſoluit D. Thomas 1. 2. quæſt. 94. art. 2. Soto lib. 1. de Juſtit. & jure quæſt. 4. art. 2. Ex quo manifeſtè colligitur, quod in homine multa ſunt de lege naturæ, quatenus eſt animal rationale, quæ tamen communia ſunt cum brutis, nihilominus maximum eſt diſcrimen obſervandum in eorum operationibus; nam bruta operantur ſecundum impetum, & impulſum naturalem; homo verò etiam in his, quæ ſibi cum brutis communia

ſunt,

ſunt, operatur ſecundum dictamen rationis. Etenim bruta ad procreandos liberos naturaliter impelluntur etiam deprædando, ut patet in Leone, homo verò ad liberorum procreationem inclinatur non quidem deprædando, ſed convenienter, abſque alterius damno, & injuria. Bruta etiam ad propriam vitam conſervandam naturaliter impelluntur vim vi quocumque modo repellendo, ut notant juriſconſulti in l. 1. §. Vi arietes ff. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur. Homo vero ad id inclinatur non quocumque modo, ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut text. eſt in cap. ſignificaſti de homicidio.

Sic denique in brutis commixtio confuſa maris cum quacumque fœmina eſt de jure naturali, quia naturaliter bruta ad conſervandam propriam ſpeciem impelluntur; in homine verò non omnis confuſa commixtio maris, & fœminæ licita eſt, ſed tantummodo cum ſibi legitimè conjuncta regendo ſenſus, inclinationem fræno rationis, hoc enim ipſamet ratio ſuadet propter educationem prolis quoad corpus, & quoad animam, quæ facile impediretur, ſi homini ad quamcumque liceret accedere.

V. Eſt & aliud notandum diſcrimen, quod cum naturalis ratio dictet omne bonum eſſe appetendum, omnes aliæ res naturales ſolum appetunt bonum, quod verè illis bonum eſt, homo verò etiam appetit, quod apparenter eſt bonum ſecundum ſenſualitatem, verè tamen eſt malum ſecundum rationem, ut benè ait Soto lib. p. quæſt 4. art 2. cujus rei fundamentum eſt, quod homo duabus, & quidem inter ſe diverſis conſtat naturis, rationali videlicet, & ſenſitiva. Pars rationalis hominem inclinat ad verum bonum, ſenſitiva verò ad malum, quod apparenter eſt bonum, & hæc eſt illa concupiſcentia, quæ repugnat rationi, de qua inquit Paulus ad Galatas cap. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, & ad Rom. cap. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* hinc intelli-

telligendus eſt text. in cap. ſed penſandum diſtinct. 1. ubi pro explicatione rei, de qua agimus B. Gregorius S. P. in ſcribit ad Auguſtinum Angliæ Epiſcopum, *ſed penſandum ipſa cogitatio utrum in ſuggeſtione, an delectatione, vel quod majus eſt, peccati conſenſu acciderit; tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu; ſuggeſtio quippe fit per Diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per Spiritum, quia & primam culpam ſerpens ſuggeſſit, Eva velut caro delectata eſt, Adam velut ſpiritus conſenſit*. Ad hoc etiam referre poſſumus verba pſal. 1. ubi laudatur vir, & appellatur *beatus vir*, *qui non abiit in conſilio impiorum, in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, in quibus verbis triplex nobis manifeſtatur ordo, ac ſtatus humanæ actionis, nempè abire, ſtare, & ſedere, quem quidem ſtatum de ſuggeſtione, delectatione, ac conſenſu poſſumus cum doctiſſimis, ac ſanctis viris intelligere. Hæc cum ita eſſent, cumque Deus prævideret carnem in homine adverſus ſpiritum pugnaturam, & contrariam fore ei ſuis ſtimulis concupiſcentiam, ipſi homini liberum arbitrium conceſſit, ut mereri, vel demereri poſſet, juxta illud Eccleſiaſtici cap. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*. Sæpe igitur homo ducitur ſenſualitate eligendo id, quod ſecundum ſenſualitatem apparet bonum, & tamen ſecundum rationem eſt malum, quod tamen in aliis rebus naturalibus ceſſat, & hinc eſt, quod peccata ſunt ſecundum naturam ſenſualem, & tamen ſunt contra naturam rationalem, ut optime explicat Soto dicto art. 2. Explicatis igitur iis, quæ ad eſſentiam, & definitionem juris naturalis attinent, explicare nunc debemus, cur commune omnium nationum dicatur, cur immutabile, & invariabile; ſit ergo.

CA-

CAPUT TERTIUM.

1. JUs naturale eſt commune omnium nationum, nec obſtat, quod aliquæ gentes barbaris, atque iniquis legibus uſæ ſint. 2. Jus naturale, de quo in præſenti agimus, eſt lumen rationis inſitum animæ, quod quidem continet plura præcepta, quorum aliqua ſunt prima principia, alia verò ſunt rationes, quæ deducuntur ex primis principiis. 3. Jus naturale, & naturalis legis præcepta invariabilia ſunt, & clariſſimis rationibus probatur. 4. Nulla juſta lex poteſt minuere ea, quæ ſunt legis naturalis. 5. Servitutem juri naturali repugnare probant aliqua argumenta in contrarium adducta. 6. Solvuntur argumenta, & explicatur varia eſſe ſervitutis genera. 7 Explicatur, quid ſit Uſucapio, & quare hæc lex introducta. 8. Deus non poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt juris naturalis. 9. Deus abſque juſſione, ſive diſpenſatione præceptorum naturalium potuit præcipere Abrahamo, ut immolaret filium ſuum primogenitum.

I. JUs naturale commune eſſe omnium nationum ipſa ratio ſuadet, & auctoritates juris Canonici, quam Civilis, quas ſuprà retulimus; ut autem melius hæc veritas eluceſcat, oportet, ut aliquas difficultates diluamus; poſſet enim aliquis obiicere, quod jus naturale eſt *omne id, quod juſtum, & honeſtum eſt*, ut ait textus. Id autem, quod juſtum, & honeſtum eſt, variari ſolet, teſte Ariſtotele 5. Æthicor. cap. 7 ergo jus naturale non eſt idem apud omnes; & confirmatur, nam olim apud Germanos latrocinium non reputabatur iniquum, ſi extra fines civitatis fieret, ut teſtatur Julius Cæſar lib. 6. de bello Gallico. Lacedæmones, ut teſtis eſt Plutarchus in vita Lycurgi non puniebant furtum, niſi in furto deprehenderetur, deprehenſum verberabus

bus afficiebant ob negligentiam in furando. Sed immò apud ipſos furtum fuiſſe permiſſum refert Alciatus in lege probrum ff. de verbor. ſignification. Caſtro lib. 1. de lege pœnal cap 10. fol. 81. & lib. 2. cap. 14. fol. 881. dummodo in furto non deprehenderentur, ut ſic adoleſcentium ingenia acuerentur, & ipſi cautiores, & diligentiores fierent. Inſuper apud aliquas nationes permiſſum fuit repudium, & pluralitas uxorum, ſpeculum conjugiorum 2. par. art. 12. & apud aliquas nationes extitit ritus immolandi homines diis ſuis. Caſtro. d cap. 14. fol. 238. & tamen hæc omnia manifeſte ſunt contra jus naturale, ergo illud non eſt commune omnium nationum.

II. Pro cujus ſolutione notandum eſt, quod jus naturale rationale, de quo in præſenti agitur, eſt lumen rationis inſitum animæ ad cognoſcendum quod recte faciendum ſit juxtà illud Pauli ad Rom. cap 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt &c.* Ex pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine;* qui locus communiter de lege naturali interpretatur, ut ait Sotus lib. pr. de juſtitia, & jure quæſt. 4 art. pr. hoc autem jus naturale plura continet præcepta, quædam ſunt prima principia per ſe nota omnibus communia, quorum termini in omnibus patent abſque ullo diſcurſu, ut eſt illud. *Auctor naturæ eſt colendus, parentes diligendi, honeſtè vivere, alterum non lædere* §. juris præcepta inſtitut. titulo de juſt. & jur. Talia etiam ſunt præcepta Decalogi, ut reſoluit Soto lib. 2. de juſtit. & jur. art. pr. quæſt. 4. & omnia moralia præcepta, videlicet Non occides &c. ut docet D. Thomas pr. 2. quæſt. 100. art. 1. Nam prima tria præcepta primæ tabulæ, de quibus infrà fuſius agemus, immediatè deducuntur ex illo præcepto naturali Auctor naturæ eſt colendus; præcepta verò ſecundæ tabulæ, quæ ſunt ſeptem poſteriora, deducuntur ex illo principio, *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, ut docet Concil. Colon. in explicat.

Dec-

Decalogi in præfat. § lex naturæ. Alia denique ſunt præcepta non per ſe nota, ſed veluti concluſiones, quæ mediante ratiocinatione, & diſcurſu ex illis primis principiis deducuntur. Hinc ad argumentum reſpondetur, quod jus naturale, quantum ad prima principia per ſe nota, & quæ ex eis immediatè deducuntur, idem, & invariabile eſt apud omnes nationes, & variationem in univerſali non recipit, cum illa principia ſint in ipſa natura humana, quæ eadem eſt apud omnes. Poteſt tamen aliquando in particulari operabili deficere ob defectum advertentiæ rationis ex concupiſcentia, vel ex aliqua paſſione provenientem. Cæterum in ordine ad illa præcepta, quæ deducuntur ex illis primis principiis veluti concluſiones, licet veritas juris naturalis apud omnes ſit, poteſt tamen non eſſe omnibus nota, & ideo variatio contingere ſolet, vel per pravas conſuetudines, vel habitus corruptos eorum præſertim, qui ex cæcatam mentem habent, & belluarum more vivunt.

III. Jus ergo naturale, ſive naturalis legis præcepta invariabilia ſunt. 1. Quia ea, quæ inſita nobis ſunt a Deo Auctore naturæ immutabilia ſunt, nec deleri poſſunt, talia autem ſunt juris naturalis præcepta, ut patet ex jam dictis. 2. Quia leges tunc non obligant, vel quando earum conditores auctoritate carent, vel quando id prohibent, quod juſtum eſt, id ſuadent, quod injuſtum reputatur, vel quando interveniunt circumſtantiæ, ob quas aliquis a lege poſſit reputari exemptus, ſcilicet inſufficiens promulgatio, ignorantia inculpabilis, &c. Sed nihil horum reperiri poteſt in naturali jure. 1. Quia in conditore legis perfectiſſimum eſt dominium. 2. Quia lex eſt rectæ rationi conforma, & a lege æterna derivatur. 3. Quia iſtius legis ignorantia ſemper eſt culpabilis, 4. quia eſt ſcripta in cordibus noſtris, igitur variari, ac mutari non poteſt, nec aliqua humana lege, ſive eccleſiaſtica, ſive civili abrogari, aut minui.

IV. De-

IV. Denique, ut optimè, probat Angelicus Præceptor 1. 2. quæſt 94. art. 5. lex naturalis nec ex toto, nec ex parte mutari poteſt, nam quod imperat, per ſe eſt bonum, quod prohibet per ſe eſt malum. Hinc etiam fit, ut nulla juſta lex poſſit minuere ea, quæ ſunt legis naturalis, ideo enim leges juſtæ ſunt, quia conformantur naturali æquitati, & ab illa oriuntur; ergo quoties ipſam æquitatem, à qua oriuntur, minuerent, injuſtæ cenſerentur.

V. Sed contra opponi poteſt, jure naturali unuſquiſque liber naſcitur, & tamen jure civili per ſacros canones approbato ſervus reddi poteſt, ergo ea, quæ ſunt juris naturalis lege humana variantur. Major eſt certa, & deducitur etiam ex definitione ſervitutis, quam afferunt Juriſconſulti. Nam ſervitus appellatur *conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur*. Ita Juſtinianus inſtitut. de jure perſonarum & in *l*. 4. § 1. ff. de ſtato hom. ergo ſi ſervitus eſt contra naturam, cum illa jure civili, & canonico aliquando inducatur, poterunt leges civiles, & eccleſiaſticæ ea, quæ ſunt juris naturalis, mutare. Quod verò homines liberi per civiles leges, atque eccleſiaſticas ſervi fiant, unicuique conſideranti patebit, nam ſervi ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac propterea ſervare, nec occidere ſolent, ita Juſtinianus in l. 239. ff. de verbor. ſignificat. qui etiam mancipia dicti ſunt, eo quod ab hoſtibus manu capiuntur, conſonat D. Auguſtinus l. 19 de Civit. Dei cap 15 & *l*. 1. quæſtionum in Geneſim cap. 1. Cum autem bellum jure civili non improbetur, & hoſtes in bello capti ſervi fiant, jam per jus civile juri naturali derogatur. Quin etiam jus canonicum ſervitutes non damnat, ſed potius approbare videtur in toto tit. de conjugio ſervor. & tit. de ſervis non ordinandis. Inſuper per jus canonicum ob aliqua delicta homines ſervi fiunt text. eſt in cap. de raptoribus 36. quæſt 1 ibi enim ex Concilio Aurelianenſi pri. can. 4. ſic legimus: *De raptori-*

ptori-

pioribus autem id conſtituendum eſſe cenſuimus, ut ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor, mortis, vel pænarum impunitate conceſſa, aut ad ſerviendum ſubiectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem. Denique leges Uſucapionis tollunt dominia, & ob eas poteſt aliquis amittere quæ ſua ſunt; ergo jure civili poteſt juri naturali derogari.

VI. Huic difficultati, ut ſatisfaciamus, neceſſe eſt, ut prius explicemus varia eſſe ſervitutis genera, nam ſicuti varii ſunt gradus ſubiectionis, & ſervitus quædam ſubiectio eſt, ita tot modis poteſt aliquis ſervus nuncupari, quot modis poteſt dici ſubiectus, nam datur ſubiectio, ſivè ordo infimi ad optimum, nempè creaturæ ad Creatorem, quæ quidem ſubiectio dignitas quædam eſt. Datur ſubiectio quædam inferioris ſuperiori in dignitate, & ſic in Cœlo, ubi omnia ordinatiſſima ſunt, ſcimus eſſe Seraphim, Cherubim, Poteſtates, Virtutes, Principatus, Dominationes, Thronos, Archangelos, & Angelos. Datur inſuper ſubiectio ſuperioris rei viliſſimæ, quo in ſenſu locutus eſt Joan. *Qui facit peccatum, ſervus erit peccati*. Datur denique quædam ſervitus pænalis per peccatum ipſum introducta, ſic in ſacra Geneſi legimus: *Maledictus Cham, ſervus erit fratrum ſuorum*: quo in loco legendus eſt D. Auguſtinus. His igitur prænotatis jam conſtat non omnem ſervitutem repugnare naturæ, non enim repugnat naturæ, quod creatura ſubjiciatur Creatori, quod inferiora ſuperioribus ſubdita ſint, quam ob cauſam ſacræ Geneſis expoſitores dicunt, quod fœmina etiam ſi non peccaſſet, adhuc eſſet ſub poteſtate viri, quia videlicet naturæ ordo expoſcit, ut perfectiora minus perfectis dominentur. De cæteris autem ſervitutibus ſuprà explicatis videndum pariter eſt, quomodo repugnent, & cui naturæ repugnent, nam difficultas eſſe poteſt in illa definitione ſervitutis, nempè in illis verbis, *qua*

quis

quis alieno dominio contra naturam ſubjicitur, quæ quidem verba, ut facilè explicentur, conſulendus eſt D. Auguſtinus qui libro de moribus Manichæorum ait, *naturam eſſe, quod in unoquoque genere ineſt*. Igitur in homine multa ſunt bona, & multa ſunt mala, quæ tamen natura hominis dici poſſunt, quia naturæ inſunt. Damus clariſſimum exemplum. Creatus fuit homo à Deo cum dono immortalitatis, erat immortalitas hominis tunc innocentis natura, peccavit homo, atque immortalitatem cum juſtitia originali amiſit, & ſic fuit conveniens, ſeu fuit natura hominis corrupti, mortalitas, & peccatum originale. Ad argumentum ergo in forma reſpondemus ſervitus eſt contra naturam hominis innocentis concedo, eſt contra naturam corruptam, ſive contra conditionem hominis peccatoris, nego. Ex quibus patet, quod cum ſervitus detur etiam ob peccatum, poſſunt abſque læſione juris naturalis introduci aliæ pænales ſervitutes.

VII. Ad argumentum deſumptum ex legibus Uſucapionis, ut breviter reſpondeamus, ſcire oportet, quod Uſucapio eſt *acquiſitio, vel adiectio dominii per continuationem poſſeſſionis temporis a lege definiti*, ita Modeſtinus in l. 3. ff. de Uſucapionibus. Quidam eam referunt ad jus gentium, alij verò ad leges duodecim tabularum, meminit Horatius lib. 2. Epiſt. 2. ad Lucium Florum, in qua ſic cecinit

Quædam, ſi credis conſultis, mancipat uſus.

Iſtæ ergo leges uſucapionis, & præſcriptionis introductæ ſunt, ut tollerentur difficultates, ac diſſidia, quæ oriebantur circa rerum dominia, cum enim duobus contendentibus verus dominus rei ignoraretur, optimè proviſum eſt, ut ille verè dominus cenſeretur, qui continuatam poſſeſſionem rei probare poſſet. quamvis ergo aliena aliquando occupentur, & inveterata poſſeſſione fieri poſſint occupantis, non ideò aſſerere poſſumus per jus civile fuiſſe abrogatam legem naturalem, ſed ſolum dicendum eſt variari materiam ipſi-

ipſius legis; prius enim lex reſpiciebat commodum privatum, nunc verò publicum bonum, quod illi eſt anteponendum, nam aliquis erat adinveniendus modus, quo frequens materia contentionum à communitatibus tolleretur, in quibus ſæpe ſæpius de incerto dominio contendebatur. Adinventa eſt lex, quæ publico bono conſuleret, & præſcriptione, & continuata poſſeſſione dominos firmaret, qua in re eadem ſemper eſt firma, & conſtaus lex naturalis, & ſolum variatur materia legis.

VIII. An autem Deus poſſit diſpenſare in iis, quæ ſunt juris naturalis, qnod idem eſt, ac quærere, an Deus poſſit diſpenſare in præceptis Decalogi, quæſtio eſt non inutilis apud Theologos, & ſacræ ſcripturæ Interpretes. Aliqui, ut Scotus exiſtimant præcepta primæ tabulæ non poſſe relaxari, ſecus verò præcepta ſecundæ tabulæ. Durandus mitigari poſſe affirmat leges duorum præcepturum, nempè de homine non occidendo, de honorandis Parentibus, nos verò cum Angelico Præceptore, cum Riccardo, multiſque aliis eruditiſſimis viris conſtanter aſſerimus, Decalogi præcepta divina auctoritate remitti, & ſolvi non poſſe, nam ſi loquamur de præceptis primæ tabulæ, de iis videlicet, quæ ad divinum honorem attinent quis non videt, hæc nullo modo variationi eſſe ſubjecta? non enim poteſt Deus permittere, ut alios præter ipſum colamus (hoc eſt diſpenſare) ut blaſphemetur ſanctiſſimum ſuum nomen, ut externum cultum ipſi non exhibeamus, ſi enim non poteſt non eſſe Deus, non eſſe bonus, non eſſe Dominus, jam non poteſt remittere, quæ ad amorem, ad cultum, & obſequium ſuum attinent, ſi verò loquamur de præceptis ſecundæ tabulæ, animadvertere oportet, dupliciter poſſe intelligi relaxationem legis, vel lato modo, & ſic quælibet interpretatio legis dicitur relaxatio quoad omnes, vel ſtricto quodam modo, ita ut relaxatio legis ſit, cum lege ſuam vim obtinente, ab ea aliquis voluntate Principis eximitur

cum tamen cæteri ea lege teneantur, nullo autem ex iis modis, videlicet nec quoad omnes, nec quoad aliquos tantum poteſt Deus remittere, quæ ſunt ſecundæ tabulæ: nam Deus omnia vult ordinata eſſe, ordo autem expoſcit, ut in Republica hominum ratione utentium, ſimulque viventium, detur quidam ordo hominis ad hominem, deinde hominis ad Deum, hic autem ordo prævertetetur, ſi hæc ſecundæ tabulæ præcepta poſſent relaxari, ut unicuique patebit, & ut fuſius explicabitur, quando agemus de ordine Decalogi, ac numero præceptorum.

IX. Sed contra obiicies. Abraham Deo jubente duxit immolandum filium ſuum unigenitum, ut expreſſum eſt Geneſis cap. 22. Inſuper, Deo pariter jubente, Iſraelitæ Ægyptiis abſtulerunt vaſa aurea, & argentea, ut Exodi cap. 12. legimus, ergo aliqua præcepta Decalogi ſunt à Deo diſpenſata: huic argumento reſpondebis fortaſſe, præceptum datum Abrahamo de filio immolando non fuiſſe præceptum abſolutum ex parte Dei præcipientis, ſed ſolum tentativum, ut oſtenderet obedientiam, ac fidem Abrahami, quod exponunt verba *Tentavit Deus Abraham*, adeoque non fuiſſe diſpenſatum in homicidio. Sed contra eſt, nam vel licitum erat Abrahamo filium occidere, vel non, ſi licitum, ergo ob aliquam diſpenſationem, cum ante hoc præceptum non occidendi extaret juris naturalis præceptum, & præceptum datum poſteris Noe, de quo infra agemus. Si illicitum, ergo non poterat à Deo in hoc tentari, nam cum aliqua cenſentur à lege aut naturali, aut ſcripta prohiberi, etiam reprehenditur animus agendi quæ fieri non poſſunt abſque violatione legis, ergo quamvis illud præceptum fuerit tentativum, & Deus noluerit, ut executioni mandaretur, debebat prius licitum eſſe Abrahamo filium occidere, ut ſcilicet poſſet laudari ejus obedientia, & animus paratus ad occidendum.

Alia ergo erit reſponſio, videlicet, Abrahamum potuiſſe

Deo

Deo jubente occidere filium ſuum unigenitum, nec ullam factam tunc fuiſſe à Deo relaxationem juris naturalis. Quod, ut clariſſime pateat, conſulendus eſt D. Thomas, qui pr. 2 quæſt. 94 art. 6. ad 2. *Omnes*, inquit, *naturali morte moriuntur communiter, tam nocentes, quam innocentes, quæ quidem naturalis mors divina poteſtate inducitur propter peccatum originale ſecundum illud* 1. *Reg.* 2. *Dominus mortificat, & vivificat, & ideò abſque aliqua injuſtitia ex Dei mandato poteſt infligi mors cuicumque homini, vel nocenti, vel innocenti. Nec id fuerit contra legem naturalem, nam ſicut in rebus humanis quidquid à Deo præcipitur, hoc ipſo eſt debitum fieri, ſic in rebus naturalibus quidquid à Deo fit, eſt quodammodo naturale:* Et quæſt. 100 art. 8. inquit. *Abraham, cum conſenſit occidere filium, non conſenſit in homicidium, quia debitum erat eum occidi ex Dei mandato, quippe qui Dominus eſt vitæ, & mortis, ipſe enim eſt, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus tam juſtis, quam injuſtis propter peccatum primi parentis, cujus ſententiæ ſi homo ſit coadiutor auctoritate divina, non erit homicida, ſicut nec Deus.* Item 2. 2. quæſt. 104 art. 4. *Sicut Deus*, inquit, *nihil operatur contra naturam, quia hæc eſt natura uniuſcujuſque rei, quod in ea Deus operatur, ut habetur in gloſ.* Rom 11 *operatur tamen aliquid contra ſolitum curſum naturæ, ita etiam Deus nihil poteſt præcipere contra virtutem, quia in hoc præcipuè conſiſtit virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, ut ea divinæ voluntati conformetur, & ejus ſequatur imperium, quamvis ſit contra conſuetum virtutis modum Secundum hoc igitur præceptum datum Abrahæ, ut filium innocentem occideret, non fuit contra juſtitiam, quia Deus eſt Auctor mortis, & vitæ.*

Gloſſa, quam citat D Thomas, eſt Auguſtini, qui contra Fauſtum lib. 26. cap. 4. ait. *Quid ſit ſecundum naturam, & quid contra naturam, homines, qui ſicut vos errant, noſſe non poſſunt. Dici autem humano more contra naturam*

eſſe, quod eſt contra naturæ uſum mortalibus notum, nec nos negamus. Deus autem Creator, & Conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit, id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo eſt omnis modus, & numerus, & ordo naturæ. Sed contra naturam non incongruè dicimus aliquid Deum facere, quod facit contra id, quod novimus in natura. hanc enim etiam nos appellamus naturam cognitum nobis curſum, ſolitumque naturæ, contra quem Deus, cum aliquid facit, magnalia, vel mirabilia nominantur. Ex quibus clariſſimis auctoritatibus brevis hæc in forma deducitur reſponſio. Homicidium eſt contra legem naturæ, diſtinguo. Homicidium, quod Deus prohibet, concedo, homicidium, quod Deus jubet, nego, nam omnia, quæ jubentur à Deo, naturalia ſunt, videmus ergo fuiſſe præceptum homicidium, & integram remanſiſſe legem naturæ. Ad argumentum deſumptum ex cap. 11. Exod. breviter reſpondemus, quod cum furtum ſit contrectatio rei alienæ, & Deus ſit Dominus vitæ, & necis, rerumque omnium, potuit optimo jure dominium Ægyptiorum transferre in Iſraelitas, & ſic non præcepit furtum, ſed potius præcepit, ut tollerent Iſraelitæ quod ſuum erat ex præcepto Dei.

DIS.

Google

DISSERTATIO II.

DE LEGE SCRIPTA

Cur Deus legem dederit ſcriptam. Cur non ſtatim poſt peccatum Adæ. Cur ſolis Judeis.

CAPUT PRIMUM

1 *EST de Fide legem à Deo eſſe datam. Recenſentur errores Manichæorum, Marcionis, & Cerdonis.* 2. *Vetus teſtamentum non poteſt eſſe à malo Deo, & probatur Prophetarum oraculis, ac teſtimonio Chriſti. Deus legis non poteſt eſſe ignotus. Facilitas mandatorum bonitatem Legiſlatoris oſtendit.* 3. *Explicantur verba pſalmi* 16 *nempè: Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras, & verba Chriſti Matthæi* 7 *verſ.* 14. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.*

ANtequam ad Præceptorum tabulæ primæ explicationem veniamus, quod inſtitutum, & propoſitum eſt noſtrum, neceſſe eſt, ut aliqua prius in generali de lege divina ſcripta dicamus, quorum explicatio ad cætera facilè tractanda nos veluti manu ducet.

Quæritur ergo prius, cur Deus legem dederit ſcriptam, cur non ſtatim poſt peccatum Adæ, & cur ſolis Judæis.

1 Atque ut à primo ordiamur, ſupponendum eſt de fide, legem à Deo eſſe datam, & hoc catholicum dogma eſt contra Manichæos, qui aſſerebant vetus Teſtamentum à malo

 Deo

Deo eſſe factum; Teſtamentum autem novum à bono; & hunc novi Teſtamenti Conditorem, non autem illum eſſe Patrem Chriſti. Eſt etiam contra Marcionem, qui quale monſtrum extiterit, deſcribit Tertullianus lib. contra ipſum. Nam poſtquam de Ponto ejus patria, poſtquam de Regionis barbarie multa dixiſſet omnia ad unum perſtringens, *ſed nihil*, inquit, *tam barbarum, ac tam triſte apud Pontum, quam quod illic Marcion natus eſt*. Duos iſte Deos aſſerebat, unum Creatorem, alterum Reparatorem, unum Deum legis, alterum Deum Evangelii. Hanc falſam doctrinam ſuſceperat à quodam Cerdone magiſtro ſuo, qui pariter docebat Deum Legis, & Prophetarum non eſſe Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, nec eſſe bonum, ſed juſtum, alium verò Deum eſſe Patrem Chriſti, & hunc eſſe bonum. Hoc refert Auguſtinus lib. de hæreſibus cap. 21. Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes cap. 28. Nam de Cerdone ita ſcribit, *Et Cerdon autem quidam ab his, qui ſunt erga Simonem occaſionem accipiens, cum veniſſet Romam ſub hoc Hygino, qui nonum locum Epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit, docuit eum, qui à lege, & Prophetis annunciatus ſit Deus, non eſſe Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, hunc enim cognoſci, illum autem ignorari, & alterum quidem juſtum, alterum autem bonum eſſe*. Hoc idem ſentire viſus eſt Marcio, nam propterea ſcripſerat antitheſes quaſdam inter legem, & Evangelium, ut ex diverſitate utriuſque Teſtamenti, Deorum quoque diverſitarem argumentaretur.

II. Nos autem horum Hæreticorum impia dogmata, velut tranſeundo impugnabimus, & primo. Impii ſunt qui dicere non erubeſcunt vetus Teſtamentum eſſe à malo Deo factum, nam manifeſtum eſt illum, qui eſt malus, non poſſe tradere ſalutaria documenta, & quædam univerſalia principia ad vitæ inſtitutum neceſſariò pertinentia, cum autem in veteri Teſtamento plura, & fere innumera ſint documenta ſalutaria, quis eſt, qui juſtè aſſerere poſſit,

vetus

vetus Teſtamentum à malo Deo fuiſſe conditum? Quis enim tam impius, qui dicat malum eſſe illud documentum, quo jubemur Deum totis viribus, tota mente diligere, illum adorare, & illi ſoli deſervire, quo jubemur ab illicitis abſtinere, ne errorum fœditate maculetur optimus ille animæ candor, quem in perpetuum divini amoris pignus, atque æternum paternæ beneficentiæ Teſtimonium accepimus? Inſuper ille idem, qui à PP. & Prophetis annunciatus eſt, Deus ille eſt legis Auctor, & Pater Chriſti, nam in Cantico Zachariæ legimus *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*. Quod autem ſermo ſit de Æterno Chriſti Patre manifeſtum eſt, nam ideò *viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*, quia miſit Filium ſuum, ut ſalvaretur mundus per ipſum, & ille idem, qui miſit Filium ſuum, ille idem *locutus eſt per Prophetas*, ille condidit vetus Teſtamentum, additur enim *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus*, & Paulus prima ab Hebræos inquit: *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè verò diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem univerſorum, per quem fecit & ſecula.* Legem à Deo eſſe datam teſtatur ipſimet Chriſtus, nam increpans Judæos Matthæi 15. inquit. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras*. Lucæ ultimo; *neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, Moyſi, & Prophetis, & pſalmis de me*. Joannis 5. *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſan, & mihi, de me enim ille ſcripſit*. Errant autem dum dicunt Deum legis non eſſe bonum, ſed juſtum, nam eſſe juſtum non eſt bonitate carere, cum juſtitia bonitati non adverſetur, ſed illius indiviſa comes cenſeatur. Errant, dum aſſerunt Deum legis ignotum eſſe, nam verus Deus novus eſſe non poteſt, nec in ſe ipſo, quia æternus eſt, neque in cognitione, quia abſque culpa ignorari non poteſt. *Invenio quidem* ait Tertull. in Apologetico, *ignotis Diis aras proſtitutas*,

 ſed

ſed Attica Idololatria eſt, item incertus Deus, ſed ſuperſtitio romana eſt. Legem inſuper à Deo datam, hoc eſt à ſummo totius bonitatis fonte, multa alia nobis ſuadent, quæ præterire ſilentio non poſſumus: & primo auctoritas ipſius Dei legem condentis, ut enim homines promptè, atque expeditè illi obtemperarent, poſuit in proœmio ipſius Decalogi *Ego ſum Dominus Deus tuus*, quibus verbis oſtendit nos ad ipſum pertinere, adeoque cum ſimus factura ejus, cum ab eo conſervemur, debere exequi ejus voluntatem. Et hic pſalm. 94 cecinit Propheta: *Ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus paſcuæ ejus, & oves manus ejus.* Suadet Beneficentia, nam ille idem, qui legem condidit, ille eſt omnium Creator, & Reparator, quare idem Propheta pſalm. 118. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me, da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Quæ omnia fuſius explicabimus Deo agente in proœmio Decalogi. Interim ipſa faciliima præcepta Divinitatem, ac Bonitatem ſui Legiſlatoris nobis ſuadent. Id enim, quod præcipitur, eſt rationi conſonum, non eſt impoſſibile, ſed planum, ac facile, ut pax multa ſit diligentibus legem Dei juxta vaticinium Prophetę pſalm. 118. & Deus ipſe per Moyſem in Deuteronomio cap. 30. inquit: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in Cælo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrum valet ad Cælum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas, quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? Sed juxtà te eſt ſermo valdè in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Chriſtus etiam Matthæi cap. 11. verſ. 28. dixit, *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem in animabus veſtris; jugum enim meum ſuave eſt, & onus*

meum

meum iræ. Joannes Epiſt. prima cap. 1. *Hæc eſt enim*, inquit, *Charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt*.

III. Neque dicas divina mandata appellari à Propheta aſpera, & dura, nam pſalm. 16 dixit. *Propter verba laborum tuorum cuſtodivi vias duras*, adeoque non eſſe plana, ac facilia, & rationi conſona. Non inferas ex Chriſti Domini verbis Matthæi 7. verſ. 14. *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam*; non inferas eſſe impoſſibile quod nobis præcipitur, & propterea in divinis mandatis non elucere altiſſimum divinæ ſapientiæ conſilium, ſuaviſſimum ordinem providentiæ omnia creantis, & ad fines ſuos perducentis, non, inquam, hoc dicas, nam ſtatim ipſa te ratio reprehender, & concordi Sanctorum Patrum judicio damnaberis, nam quemadmodum ſano mel dulce, ac delectabile eſt, amarum autem ægroto videtur, ita divina mandata, ut cecinit Propheta pſalm 18 *Dulciora ſunt ſuper mel, & favum*; amara autem videntur iis, qui terrenis deſideriis ſauciati, ægri, debiles, atque infirmi cœleſtia faſtidiunt, & terrenis tantummodo voluptatibus delectantur, ignorantes, quam amplæ, quam immenſæ, quam æſtimabiles ſint cœleſtes voluptates, quæ animum ſine faſtidio recreant, quæ ſine timore poſſidentur, quæ nec occidunt, aut ſeneſcunt, quas nec dies adimit, nec mundus poteſt elargiri: illæ ſcilicet voluptates de quibus Propheta pſalm 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ*. Audi S. Joannem Chryſoſtomum, qui exponens illa verba pſalmi 111. nempè: *in mandatis ejus volet nimis*, inquit. *Amor in Legiſlatorem facilem, & gratam facit legem, etſi videatur aliquam habere difficultatem, nemo autem, quod dico, reprehendat, ſi tali exemplo uſus ſum, nam Paulus quoque eo uſus eſt, ſic dicens, ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ*,

ditiæ, ita exhibere juſtitiæ. Qui meretricis itaque amore captus eſt, etiamſi afficiatur probro, & contumelia, etiamſi verberetur, etiamſi ſe turpiter, & indecorè gerat, etiamſi expellatur è Patria, etiamſi bonis paternis evertatur, etiamſi Patris benevolentia privetur, etiamſi graviora patiatur, ea fert jucundè, & lubenter propter amorem impudicum. Quod ſi illa cum voluptate ſuſcipiunt, quomodo non multo magis Dei præcepta, quæ ſunt ſalutaria, & gloriæ plena, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate ſuſcipere, & nihil eſſe difficile in eis exiſtimare? Difficultatem enim non natura præceptorum, ſed multorum ſolet ſocordia efficere, itaque ſi quis ea cum ſtudio, & alacritate animi ſuſcipiat, videbit ea eſſe levia, & facilia, quo circa dicebat Chriſtus: Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Divus verò Auguſtinus poſtquam ſerm. 70. de verbis Domini alias 9. varias hominum ætates, ac ſtudia expoſuiſſet, ſtatim ſubdidit; *Omnia enim ſæva, & immania, prorſus facilia, & propè nulla efficit amor, quanto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinem Charitas facit, quod ad miſeriam quantum potuit cupiditas fecit, quam facile toleratur quælibet adverſitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur, non immerito ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit. Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce unde illud jugum ſuave eſt, & ſarcina levis, etſi anguſta eſt paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Pſalmiſta. Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Sed quæ dura ſunt laborantibus,* ea iiſdem *ipſis mitеſcunt amantibus,* & infra, *nihil tam facile eſt bonæ voluntati, quam ipſa ſibi, & hæc ſufficit Deo.* Inſuper exponens verba pſalm. 30. nempe: *ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos,* ait: *Certè anguſta via eſt. Laboranti anguſta eſt, amanti lata eſt, eadem, quæ anguſta eſt, lata fit. In ſpatioſo, dicit, poſuiſti pedes meos, planè feciſti mihi facilem juſtitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Multæ, & quidem juſtæ fuerunt cauſæ, ut lex ſcripta promulgaretur, nam

1. Cum poſt peccatum Adæ mutatus eſſet ordo Juſtitiæ, dedit Deus legem ſcriptam, ut homines à concupiſcentia removeret. 2. Fuit ſcripta tradita lex, ut habens homo in ſcripto expoſitionem legis naturalis nullam ſui erroris poſſet adhibere excuſationem. 3. Data denique Lex, ut homo, & ad Deum, & ad ſe ipſum facilius adduceretur. 4. Non fuit data Lex ſtatim poſt peccatum, ut homo cognoſceret legem eſſe donum Dei. Hinc ſolis Judæis potiſſimum data, ut ſingulare beneficium cognoſceretur, & quia ex hac gente naſciturus erat verus Legiſlator, ac Redemptor Meſſias.

I. REvertamur ad alteram partem, a qua fortaſſe recedere viſi ſumus. Inquirendum nobis eſt, cur lex ſcripta promulgata fuerit, cur data ſolis Judæis, & cur non ſtatim poſt peccatum Adæ. Quibus interrogationibus, ut clariſſimè de more noſtro ſatisfaciamus, ſciendum eſt poſt Adami peccatum mutatum fuiſſe, atque everſum nobilem illum ſtatum, in quo Deus hominem condiderat, amiſſa enim per primum Parentem originali Juſtitia, mens, quæ ſubjecta erat Deo, cœpit ad creaturas converti avertendo ſe a Creatore, & ſenſus, quem ratio frenabat, & juſtiſſimo Imperio ſuo ſubditum continebat, exitiale illi, ac perpetuum bellum indixit. Tum cæca errorum caligine obductæ mentes à ſummæ pulchritudinis ſplendoribus aberrabant, & homo ſedebat in tenebris, atque umbra mortis, in tenebris ſcilicet ignorantiæ. Quod clariſſimè pronunciavit Propheta, cum dixit. *Homo cum in honore eſſet,*

non

non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; reſpuendo videlicet, quæ ratio dictabat, & ea ſectando, quæ rebellis concupiſcentia proponit. Dedit ergo Deus ſcriptam legem, ut homines à concupiſcentia, & voluptatibus deterreret, quod ſignificavit Apoſtolus pr. ad Timotheum 1. ſcribens: *Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ea legitimè utatur, ſciens hoc quia lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, &c.*

II. Data fuit etiam à Deo lex ſcripta, ut exponendo per illam hominibus ea omnia, quæ natura dictabat, quæ ratio ſuadebat, nullam tranſgreſſionis, ſive reatus ſui excuſationem poſſent adhibere: hinc Apoſtolus ad Rom. cap. 7 inquit: *Peccatum non cognovi, niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; Non concupiſces*. Non quod concupiſcentia ante datam legem non eſſet peccatum, ſed quia latebat, & hinc intelligenda etiam ſunt illa difficillima verba ejuſdem Apoſtoli dicentis: *ſine lege enim peccatum mortuum erat, ſed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit*, quibus verbis voluit Apoſtolus ſignificare ante legem peccatum ignorari, per legem verò publicari, atque accuſari. Qui enim dicit, ſine lege peccatum mortuum erat, non ita eſt interpretandus, ac ſi dicat, ante legem nullum extitiſſe peccatum, & per legem fuiſſe introductum, ſed ita eſt exponendus, ac ſi apertè nobis inſinuet, per legem revixiſſe peccatum, hoc eſt cognitum fuiſſe, tunc enim proprius, atque validius cœpit conſcientia homines excitare, & infirmitatis ſuæ conſcios reddere.

III. Dedit ergo legem ſcriptam, ut hominem ad Deum, & hominem ad ſe ipſum revocaret, atque ut homo legis ſcriptæ beneficio, conſideraret legem menti ſuæ inditam, & cordi inſcriptam. Præclarè D. Auguſtinus in pſal. 57. inquit, *quis de juſtitia interrogatus, quando non habet cauſam, non facilè reſpondeat, quid ſit juſtum? Quandoquidem*

manu

manu Formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Hoc & antequam lex daretur nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet unde judicarentur, & quibus lex non eſſet data, ſed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur: ſcriptum eſt in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum, quod in conſcientia videre cogerentur, & quaſi forinſecus admota voce Dei ad interiora ſua homo compulſus eſt, dicente ſcriptura: In cogitationibus impii interrogatio erit. Ubi interrogatio, ibi lex, ſed quia homines appetentes ea, quæ foris ſunt, etiam à ſe ipſis exules facti ſunt, data eſt etiam conſcripta lex, non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique eſt, comprenderis, & ad te ipſum revocaris. Propterea ſcripta lex quid clamat eis, qui deſeruerint legem ſcriptam in cordibus ſuis? Redite prævaricatores ad cor, hactenus Auguſtinus, cujus ſententia nihil clarius ad hujus quæſtionis dilucidationem.

IV. Si vero quæras, cur Deus non ſtatim poſt Adæ peccatum ſcriptam legem promulgaverit, breviter reſpondemus, fuiſſe altiſſimum divinæ ſapientiæ conſilium, ut homo aliquando in tenebris relinqueretur, ne ſcilicet legis obſervantiam, & ignorantiæ ſuæ remedium, ſuis viribus tribueret, ſed ut legem Dei donum eſſe cognoſceret, & venturum Liberatorem ſuſpiraret: ea enim, quæ magna ſunt, quæ bona, quæ laudabilia, ſi adveniunt poſtquam iis diutius caruimus, ſtatim non nobis, ſed alterius potentiæ tribuimus. Sic per aliquod tempus conveniens fuit, ut gens ſine lege ſcripta relinqueretur, ut promulgata poſtea lege, divinam beneficentiam, & bonitatem erga homines laudaret. Hinc ſolis Judæis, & non omnibus data lex, ut in hoc ſingulare Dei beneficium cognoſceretur, & quia etiam ex hac potiſſimum gente naſciturus erat verus Legiſlator, ac Redemptor Meſſias, quod indicaverat David pſalm. 147.

Qui

Qui annunciat verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſrael: non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis. Sic in Deuteronom. cap. 32. verſ. 7. & 8. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi, quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam*, & infra. *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus, invenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, circumduxit eum, & docuit, & cuſtodivit, quaſi pupillam oculi ſui*.

CAPUT TERTIUM.

1 *Lege naturali non tantum obligabantur Judæi, verum etiam Gentiles, eorumque peculiaria præcepta, quibus erant adſtricti, numerantur*. 2. *Ad hæc præcepta tenebantur ſolum Proſelyti: explicatur, qui ſint, qui vocentur hoc nomine, & eorum diviſio*. 3. *Quid ſit cultus extraneus, quibus nationibus prohibitus fuit, & quid intelligatur pro cultu extraneo. Damnatur ut idololatricus, & immediatè oppoſitus Dei unitati, quod probatur evidentiſſima demonſtratione*. 4. *Idololotriæ origo, & primi Deorum cultores recenſentur, & qui pro Diis venerabantur oſtenditur*. 5. *Deſinitur blaſphemia, & quam turpe ſit etiam Deum blaſphemare tum apud Gentiles, cum apud Hebræos, clariſſimè demonſtratur. In ſacris litteris aliquando accipitur benedictio pro blaſphemia*. 6. *Quænam pœna blaſphemantibus data ſit, & à Jure Divino, & Jure Canonico*. 7. *Lege naturali, & divina damnatur vagus concubitus. Aſſignantur Hæreticorum errores, & præcipuè Adamitarum, Nicolaitarum, & Anabaptiſtarum, & ſimul confutantur*. 8. *Quomodo intelligenda ſint Sacræ Geneſis verba, Creſcite, & multiplicamini, &c.*

Quam-

I. QUamvis ſupra demonſtratum ſit datam fuiſſe Hebræis legem ſcriptam, & hoc ex peculiari quodam privilegio, non inde affirmare poſſumus, ita cæcutiaſſe fuiſſe reliquas cæteras gentes, ut nullam haberent explicationem naturalis legis, ad quam mores ſuos componerent, & civilem ſocietatem ordinarent: eſt ergo traditio veterum Hebræorum, qui cæteras gentes appellant Noachidas, eſt, inquam, traditio, Noe poſteros aliqua habuiſſe peculiaria præcepta, quæ erant omnibus communia, & quibus jus naturale explicabatur, & præcepta ſeptem fuiſſe commemorabant; nempe

Primum de cultu Dei extraneo; ſecundum de blaſphemia nominis ſanctiſſimi, tertium de effuſione ſanguinis humani, quartum de turpitudine non revelanda, ſive de illicito concubitu, quintum de furto, & rapina, ſextum de judiciis forenſibus, ſeptimum denique de membro animalis vivi non comedendo. Horum duo nempe tertium, & ſeptimum vide in Sacra Geneſi cap. 9.

II. Hæc præcepta dicebant eſſe peculiaria illius gentis, & cujuſcumque diſtincti ab Hæbreis, nec obligati ad legis Moſaicæ obſervantiam. Hinc hæc ſeptem præcepta obſervanda erant à Proſelytis domicilii, quod ut facilè intelligamus, ſciendum eſt Proſelytos appellari eos, qui diſtinguebantur à Judæis, hoc eſt, qui non naſcebantur ſub ritu Moſaicæ legis, & hi erant in duplici claſſe, alii appellabantur Proſelyti juſtitiæ, & alii Proſelyti domicilii. Proſelyti juſtitiæ illi erant, qui ſe ſponte obligabant ad Moſaicæ legis obſervantiam, Proſelyti verò domicilii erant tantum illi, qui admittebantur ad ſocietatem, ad domicilium, ad pacem gentis Hebrææ. Quia verò iſti non poterant obligari ad obſervantiam legum, & rituum legis Moſaicæ, obligabantur tamen ad obſervantiam ſeptem præceptorum, quæ commemoravimus, de quibus non ſupervacaneum eſſet arbitror, quam breviſſimè pertractare.

III. No-

III. Nomine cultus extranei intelligitur hic omnis idololatricus cultus, ſive falſi numinis adoratio, omnis quæcumque ſuperſtitio, ſive actus contra Religionem; qui quidem certe prohibitus fuit etiam natura dictante omnibus gentibus, nullam enim excuſationem adhibere poſſunt ignorantiæ ſuæ circa exiſtentiam ſummi, & veri Dei, quocumque enim mentis oculos vertimus, mundus ſtatim apparet immenſum aliquod opus admirabilis plenum artificii, quod cauſam ſuam, & ſapientiſſimam ad diſponendum, & potentiſſimam ad exequendum indicat; *Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Hinc D. Paulus ad Rom. ſcribens cap. 1. ut indicet, quam inexcuſabiles ſint illi, qui obſequium falſis numinibus tribuebant, inquit: *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis*, hinc Regius Propheta pſal. 78. inquit: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*, ex quo oſtenditur ſummam culpam eſſe Deum ignorare, & hinc Tertullianus in Apologet. cap. 16. concludit: *Hæc ſumma delicti eſt negantium Deum, quem ignorare non poſſis.*

Advertendum tamen eſt nomine cultus extranei omnes gentes, præter Judæos, intellexiſſe aliarum gentium ritus, & cæremonias, cum enim in more poſitum eſſet apud Gentiles, barbaros eos vocare, qui diverſis legibus, ac ritibus utebantur, ita pariter cultum eorum execrabantur, & indignum judicabant illas cæremonias adhibere, quas uſus, & religio apud cæteras gentes introduxerat, Hebræi autem nomine cultus extranei ſolam Idololatriam, & ſuperſtitioſum cultum intelligebant. Quam juſtè autem apud ſapientes homines damnata fuerit idololatria, non ſolum veterum teſtimoniis comprobatur, ſed ratio ipſa ſuadet, nam, ut inquiunt Lactantius, & Cyprianus, Deum eſſe unum com-

munis

munis naturâ teſtatur, quia unus eſt Mundus; ad perfectum enim totius orbis regimen pertinet, ut unus tantum ſit Deus, unus Dominus, qui imperet, diſponat, & omnia ad fines ſuos perducat; nam quemadmodum non poſſunt in una civitate ſine confuſione multi eſſe Rectores, nec in una domo multi Domini, nec in armento, aut grege, duces multi, nec in Cœlo multi ſoles eſſe poſſunt, ita unus debet eſſe univerſi moderator, & rector:

Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Sic Lucanus, & Virgilius 4 Georgicorum hoc nobile documentum dat agricolis, quando plures reges apum in eodem examine reperiuntur.

Verum ubi ductores acie renovaveris ambos,
Deterior qui viſus, eum ne prodigus obſit
Dede neci, melior vacua ſine regnet in aula.

Quod ſi neque armenta, nec villa apum examina plures reges patiuntur, multo magis totius Orbis regimen. Atque ut clariſſimum argumentum habeamus ad probandum, quam juſtè in lege naturæ, & in lege ſcripta multiplicitas Deorum prohibeatur: fiet hæc clariſſima demonſtratio: aut Deus eſt unus, aut nullus eſt Deus, ſed Deum exiſtere eſt neceſſe; ergo neceſſe eſt Deum eſſe unum. Quod verò ex pluralitate Deorum negatio Deorum inferatur, clariſſimè patet, ſi fiat hæc ſuppoſitio. Libertas eſt prædicatum conveniens Deo, Deus enim debet eſſe liber ad faciendum quidquid ipſi placuerit, ſi ergo plures eſſent Dii, omnes eſſent liberi; hoc ſuppoſito unuſquiſque poſſet pro libito ſuo imperare: imperet ergo unus moveri ſolem, imperet alter ſolem quieſcere, hoc ſuppoſito, quæro quis eorum prævalebit? ſi neuter, ergo neuter eſt Deus, quia neuter poteſt facere, quod vult. Si unus prævalet, ergo qui ſuperatur, non eſt Deus, nam ille non poteſt eſſe Deus, qui dependet ab alio, & ab alio ſuperatur, & ſic vel unus tan-

tum erit Deus, vel nullus, quod erat demonſtrandum.

IV. Quamvis autem natura dictante, unum eſſe Deum crediderint priſci homines, adeoque cultum extraneum execrarentur, dæmon tamen non deſtitit ſuis artibus incautas mentes decipere, & in errorem adducere, & hinc non veri Dei, ſed rerum creatarum, aut ſomniati numinis invecta in Orbem adoratio, & cultus. Primi Deorum cultores gloriabantur Ægyptii, Atlantides, Perſæ, Æthiopes, Angliæ, & Africæ populi, quamvis Arcades, & Judæi, auctore Tacito, mente ſola unum numen intelligerent. Phænices, Phryges, Cananæos, Syros, & Cecropem apud Græcos primos omnium Jovem appellaſſe, aras ſtatuiſſe, & victimas immolaſſe perhibetur. Cum verò Politeiſmus longe, lateque propagaretur, & exæcati à concupiſcentiis ſuis mortales, pro libito ſuo Deos fingerent, ac venerarentur; variæ fuere circa Deorum numerum Auctorum ſententiæ; Mundum enim pro Deo coluerunt ſtoici, & Varro. Stellas, & aſtra Anaximander. Mentem, quæ ex aquis omnia formavit Thales Mileſius. Mentem igneam, & Mundi animam Democritus. Animam per univerſas Mundi partes commeantem, atque diffuſam, ex qua omnia animalia vitam capiunt Pythagoras, cæterique ſui diſcipuli: unde Virgilius 6. Æneidos

Principio Cælum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & pleno ſe corpore miſcet.

Numerum ineffabilem Lyſis, & Philolaus, Terram Pherecydes. Quatuor elementa Prodicus; Orbem Cœlum contingentem, quem Στεφάνη *Stephanen* appellabant Parmenides. Mentem æternam cauſam boni in natura, Plato. Unam mentem omnium cauſam Ariſtoteles. Planetas, & lumen cæterarum ſtellarum Zenocrates. Lumen rationis, quo occulta ſapientibus myſteria revelantur Brachmanes. Mentem quamdam ſolutam, liberam, & ſegregatam ab omni

con-

cognitioné mortali omnia ſentientem, & moventem, Cicero. Illos hic prætereo populos, qui res aliquas naturales, ac viles, ut numina venerabantur; coluerunt enim Ægyptii accipitrem, phænicem, anguillam, aſpides, bovem, vaccam, felem, cæpas, & alium. Agnum Perſæ, & Græci. Aquilam Thebani. Araneam Atrihitæ. Capram Mendeſii, Catum Babiloni. Teſtamentum, Febrim, Rubiginem Romani, ventos Græci, & Perſæ. Hircum Mendeſii. Leonem Leontopolitani. Leænam Ambracii. Mortem Delphici, quemadmodum & Lupum. Serpentes Argivi, Epidauri, & Phœnices. Prætereo tot Deos ſelectos, conſentes, indigetes, penates, humanarum actionum, & rerum viliſſimarum cuſtodes, & patronos, quos veterum Theologia introduxit, & Romana ſuperſtitio invexit.

V. Quia vero etiam de blaſphemia Nominis Sanctiſſimi, quam ſecundum præceptum datum Noe poſteris prohibebat, mentionem fecimus, nonnulla hic revocare debemus, ne fortaſſe omittantur in explicatione ſecundi præcepti Decalogi: blaſphemia igitur eſt maledictio quædam pro modo ejus, cui infertur. Sic erga Deum major eſt, cum probosè ei tribuitur, quod non convenit, vel detrahitur, quod ei convenit. Demus exemplum: blaſphemi erant Antropomorphitæ Hæretici, qui Deo humana membra tribuebant, blaſphemi etiam nonnulli ex Armenia, qui Deum Omnipotentem negabant, illi addendo blaſphemi, blaſphemi illi detrahendo; & quemadmodum Magiſtratus gravius animadvertit in eum, qui peccat in Principem, quam qui peccat in Miniſtros ejus, ita profectò graviori, ac ſeveriori pena dignior erit blaſphemia in Deum, quam in Sanctos, utraque tamen deteſtabilis, atque homine indigna. Ipſi etiam Gentiles à blaſphemia abſtinebant, cum indignum judicarent, Deo eſſe detrahendum, cui ſumma ab hominibus reverentia debetur; hoc unicuique apertè conſtabit, ſi Pythagoræ, cæterorumque Philoſophorum moni-

ta conſiderare voluerit. Virgilius cum atroces Inferni pœnas enarret, ut ſuadeat reverentiam erga Deos, hæc ſcripta eſſe in horrendo Inferni carcere deſcribit:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Judæi hoc crimen valdè execrabantur, ita ut audientes blaſphemiam aures obturarent, veſtimenta ſcinderent, quemadmodum ſoliti erant facere in luctuoſiſſimis rebus. Matthæi 26 Numerorum 14. Joſue 7. Judicum 10 cum ſimilibus; 4. Regum 2: Heſter 4 Videantur actus Apoſtolorum, & ibi hiſtoria Stephani Protomartiris. Hinc etiam cum Princeps Sacerdotum audiret à Chriſto, quod erat filius Dei, blaſphemiam exiſtimans ſe audiviſſe ſcidit veſtimenta ſua, ſic pariter tam atrox exiſtimabantur hoc delictum, ut etiam Nabuchodonoſor Rex legem condiderit, ut qui blaſphemaſſet Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago morte moreretur, ut expreſſum eſt Danielis 3. Hanc cauſam intelligemus, cur aliquando in Sacra Scriptura ironicè blaſphemia appelletur benedictio, nempè 3. Regum Cap. 21. verſu 13 in calumnia Naboth: *benedixit Naboth Deum, & regem, quam ob rem eduxerunt eum eſtrà civitatem, & lapidibus interfecerunt*: ex quo textu clariſſimè intelligitur benedictionem ſumi illic pro blaſphemia, non verò pro benedictione propria; nemo enim ob propriam benedictionem dignus eſt qui moriatur, & lapidetur. Similia habemus in libris Tobiæ, & Job. Hinc ſuadebat Satan, & proponebat, ut tentaretur Iob variis calamitatibus ſubiungens, *& vide an in faciem benedicat tibi*. Quo pariter in loco benedictio ſumitur ironicè.

VI. Iure Divino, qui ex malitia blaſphemaſſet, morte dignus erat, legimus enim Levitici 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimat eum multitudo populi*. Inſuper 1 Regum cap. 2. Maximum autem, atque irremiſſibile peccatum judicatum hoc fuit ab Heli, dixit enim filiis ſuis, *Si peccaverit quis in virum, placari*

Google

tari illi poteſt Dominus, ſi autem in Dominum, quis orabit pro eo?

Blaſphemi olim pæna canonica mulctabantur, nam hæc erat, ut Laici excommunicarentur, Clerici verò deponerentur, text. eſt in cap. Si quis 22. quæſt 1. Erat etiam alia pæna conjuncta, ut cap. 2 de maledicis legimus, nempè ut laici ſeptem diebus dominicis præ foribus Eccleſiæ ad conſpectum populi, ultimo illorum dierum ſine pallio, & calceamentis laqueo, ſeu loro collo involuto, & pendente ſedentes non antea Eccleſiam ingredi paterentur, quam ſex feris in pane, & aqua jejunaſſent, & pauperes ſimul ſingulis diebus aliquos refeciſſent. Clericis autem remittitur publica pænitentia, & indicitur privata cap ex pænitentibus 50. diſtinctè cap. quicumque 51. diſtinctè Iure autem civili etiam puniuntur blaſphemiæ, nam Juſtinianus jurantes per caput Dei, & per capillos, & blaſphemias proferentes pæna mortis affici jubet. Notandum etiam hic eſt, quod Pius Pontifex jurantem per capillos, vel caput Dei, vel alio modo blaſphemantem Clericum deponi vult, Laicum verò anathematizari: bujus conſtitutionis, ac pænæ meminit Gratianus in Canone ſi per capillum 22 quæſt. 1. Neque hanc pænam aliquis injuſtam dicat, & defendere audeat eos, qui ſic jurant, eo quod ſcriptura, humana membra aliquando Deo tribuat, nam ſacra ſcriptura his vocibus utitur, ut occulta Myſteria nobis revelet, atque ut ſenſibus noſtris ſe ſe accomodet, cum ergo audimus has voces, eas non propriè, ſed figuratè debemus intelligere, nam per manus Dei, & per brachia intelligitur potentia rerum omnium effectrix, & hinc Job *Manus tuæ fecerunt me*, & David pſal 118. & in Cantico *Fecit potentiam in brachio ſuo*. Inſuper per oculos intelligere debemus providentiam rebus omnibus proſpicientem, cuncta permeantem, ſive ſcientiam, quam nihil lateat, & ſic in pſalmis legimus. *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt; palpebræ ejus interrogant*

 filios

filios hominum, & Paulus ait: *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus*.

VII. Explicationem tertii præcepti, nempè de effuſione ſanguinis humani hic omittimus, quemadmodum de furto, & rapina, & de judiciis, quia de his omnibus, Deo adiuvante, alibi tractabimus, hic tantum ſummatim explicabimus ea, quæ pertinent ad legem datam de turpitudine non revelanda, & prohibentem illicitos concubitus: ii enim omninò prohibiti, & damnati ſunt lege naturali, & lege ſcripta per Chriſtum confirmata, hac enim & inceſtuoſæ nuptiæ, & quælibet copula extra Matrimonii Sacramentum omninò damnatur, & prohibetur.

Errant ergo Hæretici catholicæ veritatis hoſtes acerrimi, qui Sacræ Geneſis verba cap. 1. verſ. 28 *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, ad impios ſenſus retorquent, & Catholicos reprehendunt, quia non ſolum virginitatem, ac cælibatum ſummis laudibus efferunt, ſed quemcumque vagum concubitum omni prorſus jure damnatum eſſe affirmant, & ne cum occultis hoſtibus pugnare videamur, neceſſarium eſſe judicio hic iudicare, quinam illi ſint, qui libidinum ſuarum fœditatem catholico zelo occultantes, nos divini præcepti tranſgreſſores vocant. Ad hoc genus hominum impiorum referuntur Adamitæ, & Nicolaitæ: referuntur etiam Anabaptiſtæ, deteſtabile Lutheri germen, quibus adeò laudabiles erant vagi concubitus, ut quamlibet mulierem ad hoſce eſſe obligatam divino præcepto affirmarent. Non me latet hujus hæreſis peſtem aliquas Italiæ Provincias multo ante infeciſſe, anno videlicer poſt Chriſtum natum 1304. Alberto primo Imperatore, & Benedicto XI. Summo Pontifice, cum ſcilicer Beguini, Biſochi in locis abditis ſcelera perpetrabant, quæ refert Gabriel Prateolus de viris, & ſectis Hæreticorum.

VIII. Nos igitur, ut ſupracitatos errores facilè confutemus, neceſſe eſt, ut explanemus prius hæc Sacra Geneſis verba,

Google

verba, quibus Hæretici non mediocriter inſiſtunt, ut libidines ſuas non quidem damnatas, ſed permiſſas eſſe affirment. Multi graviſſimi Auctores explanantes hæc verba *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, in varias claſſes diviſi ſunt, alii enim affirmant nullum in illis præceptum contineri, alii verò dicunt contineri quidem præceptum, illud tamen non obligare totam multitudinem hominum, neque eſſe pro omni tempore. B. Cyprianus tract. 2. de habitu Virg. aſſerit contineri quidem præceptum, illud tamen obligaſſe uſque ad multiplicationem generis humani, poſteà vero ſummo in honore fuiſſe continentiam, & cælibarum. Cyprianum ſecutus eſt Magiſter ſententiam lib. 4. diſtinct. 27. D. Thomas verò 2. 2. quæſt. 163. art. 2 ait, illud præceptum non obligaſſe omnes, & ſingulos homines, ſed tantum ipſam multitudinem, & ideò non erat adimplendum à ſingulis hominibus, ſed ſatis eſt ut à multitudine per aliquos adimpletur. Scotus in 4 ſententiarum diſtinct. 26 ait. Quod cum matrimonium ſit inſtitutum per modum præcepti affirmativi, manifeſtum eſt illud non ad ſemper obligare, quare obligaret etiam nunc cauſa neceſſitatis, deficiente videlicet hominum multitudine.

At verò non deſunt graviſſimi Auctores, qui affirment nullum illis verbis ineſſe præceptum, ſed voluiſſe Deum ea beneditione declarare ſe maſculum, & fœminam feciſſe, ut per legitimam eorum conjunctionem humana proles generaretur, & ita perpetuò conſervari poſſe genus humanum.

Nullum autem contineri præceptum ex iis quæ ſubſequuntur verbis, & ex antecedentibus facilè patet, nam eodem modo dixit Deus primis Parentibus *Creſcite &c.* Sicut quinto die dixit avibus, & piſcibus Creſcite, an non fuit datum præceptum avibus, & piſcibus, cum irrationabilia ſint incapacia præcepti; ergo nec fuit datum preceptum homini. Inſuper quemadmodum dictum eſt *Creſcite*, ita

dictum eſt *replete terram, ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris;* at in iſtis verbis nullum continetur præceptum, ergo neque in primis, ut ergo omnes cavillationes Hæreticorum fugiamus, diſtinguendum eſt inter poteſtatem, benedictionem, & præceptum. Illis verbis data fuit hominibus benedictio, & poteſtas, non autem datum fuit ullum præceptum.

DISSERTATIO III.
DE DIVISIONE PRÆCEPTORUM DECALOGI.

CAPUT UNICUM.

1. *Decalogi etimologia, & explicatio. Duabus tabulis lapideis continentur præcepta Decalogi, quænam ſint, quæ pertinent ad primam, & quæ ad ſecundam. 2. Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis adumbratur in præceptis Decalogi, quorum altera dirigunt hominem ad Deum, altera vero hominem ad hominem; 3. quot verò modis homo ſe habeat ad alium hominem clariſſimè demonſtratur. 4. Primum præceptum eſt affirmativum, & negativum.*

I Decalogi nomen, ut Græca etimologia ſuadet, decem verba ſignificat, denarium nempe numerum præceptorum, quę Deus Optimus Maximus populo Iſraelitico tradidit, ut legem naturalem explicaret. Eſt autem notandum hæc divina præcepta duabus lapideis tabulis fuiſſe ſcripta, & hinc quædam ad primam tabulam, quædam ad ſecundam pertinere. Ad primam tabulam ea præcepta attinent, quæ ad Deum immediatè referuntur, ad ſecundam verò, quæ ad proximum ſpectant. Omnia præcepta Exodi 20. & Deuteronomii 5. expreſſa ſunt. Inter præcepta autem, quæ ad Deum ſpectant, & quæ primæ tabulæ appellantur, primum eſt, *Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſcul-*

ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neque coles. Secundum, *non aſſumes nomen Dei tui in vanum.* Tertium, *Memento ut diem Sabathi ſanctifices.* Septem alia præcepta, quæ ſecundæ tabulæ nuncupantur, ad proximum ſpectant, quorum primum, & ordine quartum, *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Quintum, *Non occides.* Sextum, *Non mœchaberis.* Septimum, *Non furtum facies.* Octavum, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Nonum, *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Decimum, *Non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt.*

II. Obſervarunt autem graviſſimi Auctores, inter quos D. Auguſtinus quæſt. 71. in Exodum ſerm. 9. de decem chordis, D. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 4. in tribus illis præceptis ad Deum ſpectantibus, aliquam nobis proponi ſignificationem ſacroſancti Myſterii Trinitatis, nam in Deo Patre primo apparet unitas, quæ primo præcepto proponitur rejecta aliorum Deorum multitudine, ac falſo idolorum cultu. Filius veritas eſt, & in ſecundo præcepto omne perjurium, omniſque aſſertio falſa prohibetur. Spiritus Sanctus ſanctificatio noſtra eſt, & requies rationalis creaturæ, quæ tertio præcepto inſinuari videtur. Angelicus Præceptor hanc præceptorum divinorum diviſionem, & convenientiam clariſſime nobis explanat, conſiderat enim, quod divina præcepta hominem dirigunt ad quamdam communitatem, ſeu Rempublicam ſub Deo; ad hoc autem, ut aliquis in Republica, ſeu Communitate bene vivat, duo requiruntur. Primum eſt, ut bene reſpondeat ei, qui præeſt communitati, ſive reipublicæ. Secundum, ut bene ſe habeat ad illos, qui talem communitatem componunt. Oportet igitur, ut divina præcepta alia dirigant homi-

hominem ad Deum, alia hominem ad hominem. Deo autem, ut eſt Princeps, Rector, & Caput ſocietatis, tria debemus, nempè fidelitatem, ut ſcilicet ejus honorem, ac cultum alteri non tribuamus, & ſic præcipitur *Non habebis Deos alienos coram me*. Debemus reverentiam, ut ſcilicet nihil injurioſum adverſus Deum committamus, & hinc exprimit ſecundum præceptum, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Debemus denique famulatum, ut ſcilicet aliquid ei offeramus titulo creationis, & in memoriam beneficiorum, quæ abundè in nos divina liberalitas effudit, & hinc tertium præceptum, *Memento, ut diem Sabbathi ſanctifices*.

III. Ad proximos autem, ut notat idem Angelicus Præceptor, aliquis benè ſe habet, & ſpecialiter, & generaliter; ſpecialiter quidem quantum ad illos, quorum eſt debitor, ut eis debitum reddat, & quantum ad hoc accipitur præceptum de honoratione Parentum. Generaliter autem quantum ad omnes, ut nulli nocumentum inferatur, neque opere, neque ore, neque corde. Opere quidem infertur nocumentum proximo, quandoque in propriam perſonam, & hoc prohibetur per hoc, quod dicitur, *Non occides*. Quandoque autem in perſonam conjunctam quantum ad propagationem prolis, & hoc prohibetur, cum dicitur, *Non mœchaberis*. Quandoque autem in rem poſſeſſam, & quantum ad hoc dicitur, *Non furtum facies*. Nocumentum autem oris prohibetur, cum dicitur, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Nocumentum cordis, cum dicitur, *Non concupiſces*. Ipſa etiam præcepta primæ tabulæ, quæ ad Deum pertinent, poſſunt ita diſtingui, ut & ad opus, & ad os, & ad cor pertineant. Ad opus, *Non facies tibi ſculptile*, ad os, *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, ad cor, *Sanctificatio Sabbathi*, quia hoc præceptum, ut eſt morale, quietem cordis in Deum expoſcit.

IV. In

Digitized by Google

IV. In primo præcepto cum dicitur, *Non habebis Deos alienos coram me*, hæc verba, ut inquit Chatechiſmus Concilii Tridentini, & prohibendi, & jubendi rationem habent, jubent enim, ut Deum ſolum diligamus, & hinc præceptum fidei, ſpei, & Charitatis. Prohibent quamcumque ſuperſtitionem, & Idololatriam. Nos explicaturi primum præceptum prius agemus de his, quæ a Deo prohibentur, poſtea de his, quæ jubentur.

Et primo, quia prohibetur Idololatria, de ea primum nobis agendum eſt. Sit ergo

DISSERTATIO IV.

DE IDOLOLATRIA.

CAPUT PRIMUM.

1. *IDololatriæ notio, & origo, quæ præcipue in hac diſſertatione fuſius, & uberius explicatur.* 2. *Aſſignantur variæ idololatriæ ſpecies, & cultus.* 3. *Quid pro Teraphim intelligatur in ſacris Litteris.* 4. *Reprobatur magica Idololatria, reliquæ ejuſdem Idololatriæ diviſiones adnotantur,* 5. *& ſimul exponitur difficillimus textus Ezechielis.*

I. IDoli nomen à Greco εἶδος quod latinè *Formam* ſonat, & ab eo per diminutionem εἰδωλον, quod *Formulam* latinè ſignificat, deſumptum eſſe docuit Tertullianus libro de Idololatria cap. 3. D. Iſidorus lib. 8. Etimologiarum cap. finali; hinc jure optimo, ut notat Mendoza ad cap. 4. Concilii Illiberitani, non ſolum nuncupari poteſt Idololatria omnis circa Idolum famulatus, ſed Idololatriæ caput ars omnis, quæ Idolum quoquomodo edit. Idolorum autem, & ſimulacrorum uſum à deſiderio mortuorum ſumpſiſſe originem ex ſapientiæ cap. 14. deducitur ibi enim ſic legimus: *acerbo enim luctu dolens Pater citò ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cæpit.* Hoc etiam graviſſimi Auctores teſtantur, inter quos D. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 16. D. Iſidorus lib. 8. Etimologiarum cap. finali, D. Cyprianus in libro, quod *Idola non ſunt Dii*, & idem videtur innuere Lactan-

tius

tius de falſa Religione cap. 15. Judæi dicunt, quod primus omnium Iſmael lutea ſimulacra formaverit. Gentiles autem primum Prometheum ſimulacra hominum de luto feciſſe perhibent, & ab eo natam eſſe artem ſimulacra fingendi, undè & Poetæ ab eo homines primum factos eſſe fabulaotur. Hinc Ovidius primo Metamorphoſeon fab. 2.

Natus homo eſt: ſive hunc divino ſemine fecit
Ille Opifex rerum Mundi melioris origo:
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina Cœli:
Quam ſatus Japeto mixtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Et Martialis lib. 10. Epigr. 19. in Lesbiam

Sic quaque mentiris, namque ut tua ſæcula narrant
Ficta Prometheo dixeris eſſe luto.

Herodotus libro ſecundo Ægyptios omnium primos Deorum duodecim cognomina cenſuiſſe, Diis aras, ſimulacra, & delubra ſtatuiſſe, animalium figuras ſaxis inſculpſiſſe, & ab illis hanc artem Græcos fuiſſe mutuatos refert

Alii autem cum Diodoro lib. 4. referunt Æthyopes primum ſimulacrorum uſum attuliſſe, quos Ægyptii imitati ſunt. D. Fulgentius lib. 2. Mytlologicarum ex lib. 14. antiquitatum, Deophantis Idolorum inventionem Syrophani Ægyptio locupletiſſimo viro attribuit, qui mortui filii ſimulacrum in domus ſuæ penetralibus collocavit; ſed multo altius repetenda eſt idololatriæ origo, cum & ante Prometheum idolorum uſus extiterit: Prometheus enim, teſte Euſebio, in chronico poſt Ogygium diluvium in Attica fuit Joſephi Patriarchæ temporibus, & multo ante dicitur quod Rachel furata ſit ſimulacrum Patris, ut legimus Geneſ. cap. 31. verſ. 19. & Joſeph lib. pr. antiquitatum ait Didymum Meliſeo Cretenſium Regi inveniſſe ſacrificia, & ſacros ritus, & Beroſus, quem citat Lactantius lib. pr. de falſa Religione, ad finem ait Ninum fuiſſe primum ido-

lola-

Idolatriæ inventorem, quia ſcilicet templum Belo Patri Iunoni, & Rheæ aviæ ſtatuas in medio oppidi erexerit; idem affirmat D. Hieronymus in Oſeam Galatinus verò lib. 4. cap. 20. à Nembrot Aſſyriorum Tyranno originem Idolorum repetit, quia ille primus adorandum ignem propoſuit, & ſic hoc idololatriæ genus perſuaſit gentibus, ut Chaldæi ignem undique circumferrent.

II. Prima igitur idololatriæ ſpecies ab errore eorum repetenda eſt, qui ſolem, Lunam, & cætera cœleſtia corpora, ut numina venerabantur, quo pertinet illud Iob cap. 31. verſ. 26. 27. & 28. Nempe *ſi vidi ſolem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum*, quæ auctoritas ut intelligatur ad antiquum errorem referri eorum, qui corpora cœleſtia adorabant, notare debemus illa verba, *Et oſculatus ſum manum meam ore meo*, quibus vetuſtiſſimus adorationis ritus, & nominis etimologia aperitur, qui enim adorabant, manum admovebant ori, capite inclinato, undè D. Hieronymus lib. pr. contra Rufinum, *Qui adorant*, inquit, *ſolent Deos oſculari, manum, & caput ſubmittere*, & paulò poſt, *Hebræi juxta linguæ ſuæ proprietatem deoſculationem pro veneratione ponunt. Sic in Oſeæ cap 13. verſ. 2. ubi dicitur: His ipſi dicunt, immolate homines vitulos adorantes, loco illius participii Aquila vertit cataphiluntes, ideſt oſculantes*. Hic idem ritus exprimitur in Deuteronomii cap. 4. verſ. 19. *Ne fortè elevatis oculis ad Cœlum videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus*. Fuit autem in adorationem cœleſtium corporum maximè proclive humanum genus, cum enim ſupremum Mundi iſtius viſibilis Dominum non omnino caperent, cœleſtium verò corporum imperium in omnia vitæ commoda delegatum non ſine religione ſuſpicerent, neque

que ab eo, quod verum eſt, & ſupremo proprium impiè diſtinguerent, Divinitatem temere ſenſu metientes haud alium Deum præter lucis, ſolatij, tenebrarum, ſilentii, viciſſitudinis, dierum, noctium, & annorum, tempeſtatumque diſpenſatorem agnoſcebant.

Hanc Caldæi primis poſt diluvium ſæculis veri Dei cultu poſthabito, hanc Theologiam amplectebantur, quod ex antiquiſſimis Aſiæ monumentis quamplures Auctores declarant, hinc maximum numen credebant eſſe ſolem, quem Phœnicię Theologi nuncupabant μόνον Οὐρανοῦ θεόν. ideſt unum Cœli Deum cæteris planetis, ac ſyderibus ejus nutum obſervantibus. Sic & apud Ægyptios Sol, & Luna Dii conſiliarii appellabantur, Planetæ verò Lictores, qui eorum Conſiſtorio ſtarent accenſi.

III Altera Idololatriæ ſpecies fuit ingens quædam ſuperſtitio efferatarum gentium, qua veri Dei cultu neglecto varias formabant imagines, quas colerent putantes per ſigna ab ipſis prodeuntia poſſe certam, atque evidentem futurorum eventuum cognitionem adipiſci.

Hanc impietatem non ſemel deteſtantur ſacræ literæ, & nomine Teraphim nobis exprimunt ſimulacra illa, quæ veteres conſulebant. Sic Oſeæ cap. 3. verſ. 4. legimus: *Dies multos ſedebunt Filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Sacrificio, & ſine Altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim*, in cujus ſignificatione diutius hærent Interpretes. Legamus D. Hieronymum in Epiſtola ad Marcellam, ubi propè finem multa notatu digna inveniemus. Multi, quos refert Tirinus in dictum caput Oſeæ arbitrantur nomen Teraphim generale quoddam nomen eſſe, quod ad Deos Penates ſignificandos extendatur. Aliqui putant hoc nomen Teraphim indicaſſe figuras ab antiquis conflatas, ut ab ipſis ſigna quædam prodirent, quibus dubios eventus, incertaſque res prænoſcerent. Huic opinioni adhærere videtur Sanctes Pagninus in Theſauro linguæ Sanctæ in verbo

bo תרף *Taraph*. Omnes tamen conveniunt generale nomen eſſe Idolum ſignificans, & hoc clariſſimè ex Sacris Literis deducitur, prҫcipuè Judicum cap. 17. verſ. 5. ubi de Matre Michæ legitur, quod *tulit ducentos argenteos, & dedit eos Argentario, ut faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ, qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparavit, & fecit Ephod, & Teraphim, ideſt veſtem ſacerdotalem, & idola*.

Quibus verbis ſatis colligitur, nomen Teraphim non ſingulare, ſed generale eſſe; & cap. 18. v. 5. Filii Dan miſerunt quinque viros, qui rogaverunt Micham, ut conſuleret Dominum, *an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum*, ubi loco Domini in aliquibus exemplaribus ponitur Teraphim, & deduci poteſt ex verſu 24. ejuſdem capitis, ubi conqueritur Michas ablatos eſſe Deos ſuos. Iſraelitas autem à Cananæis, & Amorrhæis magicam idololatriam accepiſſe non obſcurè deduci poteſt ex cap. 35. Geneſis verſ. 2. ubi Jacob convocata omni domo ſua ait: *Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra* Sic & Amos cap. 5. ver. 24. Ioſue 24. verſ. 2.

IV De magica idololatria frequens nobis commemoratio eſt in Sacris Literis, in quibus ſemper reprobatur, ſivè hæc ſit Gaſtrimantia, hoc eſt divinatio per ſpiritum Pythonicum ex utero reſpondentem, ſivè Orinomantia, hoc eſt Divinatio per inſomnia, ſivè Necromantia, hoc eſt Divinatio per manes, & defunctos, ſivè Necyomantia, hoc eſt Divinatio ex cadaveribus. Legatur Iſaiæ cap. 8. verſ. 19 ubi hæc habentur; *Et cum dixerint ad vos, quærite à Pythonibus, & Divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis, nunquid non populus Deo ſuo requiret pro vivis à mortuis?* Item Zachariæ cap. 10. verſ. 2. *Simulachra locuta ſunt inutile, & divini viderunt mendacium, & ſomniatores locuti ſunt fruſtra*; quibus duobus locis tres primæ magicæ idololatriæ

D ſpeci-

ſpecies numerantur, nempè Gaſtromantia, Necromantia, Necyomantia. Alterum nobis teſtimonium occurrit Ezechielis cap. 21. verſ. 21. ubi legitur. *Stetit enim Rex Babylonis in bivio in capite duarum viarum Divinationem quærens, commiſcens ſagittas, interrogavit idola, exta conſuluit.* Quæ verba, quia obſcuriſſima ſunt per partes explanabimus. Et primò illa Divinatio denotatur, quæ fiebat ex jactu ſagittarum, & appellatur Velomantia. Egyptium Hermetem illius primum inventorem fuiſſe ajunt, eamque ab eis accepiſſe Syros, & Chaldæos. fiebant autem divinationes per ſagittas hoc modo: in pharetra tres ſagittæ reponebantur, quarum una inſcripta erat his vocibus: *Juſſit me Dominus meus*, altera verò, *Prohibuit me Dominus meus*, tertia abſque inſcriptione, quæ ſi prior exiviſſet e pharetra, iterum reponebatur, ſi prima, pergendum alacri animo tamquam ſi Deus monuiſſet, ſi ſecunda, deſiſtendum. *Exta conſuluit*. Erat apud veteres Splanchnoſcopia, ſivè Haruſpicina, nempe Divinatio per extorum inſpectionem, quam Cicero lib. 3. de Divinat. colendam eſſe, ait Reipublicæ, & communis Religionis cauſa. De hac ſermo eſt in l. 2. cod. de Paganis, & in l. nullus cod de maleficis, & mathematicis. Legatur Iuvenalis Satyra 6.

Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Teſtamentum ingens calidæ pulmone columbæ
Tractata Armenius, vel Comagenus. Haruſpex
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri.

V. Altera idololatriæ ſpecies illa eſt, quando ſcilicet homines Moſaicæ doctrinæ præceptis imbuti, ea ipſa dogmata corrumpendo, illis uſi ſunt ad vanas ſuas ſuperſtitiones, atque ad ſuorum ſimulachrorum culturam. Quare huc dictum illud Tertulliani de præſcriptionibus hæreticorum referre poſſumus, cum & illos impios homines verum Dei cultum ſpernentes credamus à Diabolo fuiſſe forſan edoctos,

ctos, *Cujus ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum Divinorum in idolorum Myſteriis æmulatur*. Nec vanum putemus ex corruptione etiam doctrinæ Moſaicæ fluxiſſe omnem illam barbararum gentium Theologiam, dum & hoc graviſſimi Auctores teſtentur, inter quos Clemens Alexandrinus, & doctiſſimus vir Daniel Huetius in ſua demonſtratione evangelica, qui iſtius rei originem repetens animadvertit Iudæos ex Egyptiaca captivitate reduces, poſtquam promiſſam ſibi à Deo Chananæam armis occuparunt, in vicinas nationes verum Dei cultum tranſtuliſſe, quo facto Iſraelitica gens, & Phœniciæ populi quodam veluti inito fœdere conveniebant, & ſicut potuit religio illa ad barbaros populos transferri, ita frequenti commercio potuit finitimarum gentium ſuperſtitio incautos animos paulatim pervadere, & in longinquum ſerpere. Item ipſæ barbaræ gentes ſimulachrorum cultui addictæ, potuere abuti ſacra illa doctrina per Iſraeliticum populum promulgata, & eam ad impia dogmata traducere. Non unum nobis iſtius rei exemplum innoteſcit, cum & multa ex veterum monumentis deducantur: hinc aſſerit Tertullianus adverſ. Praxæam, Id eſſe verum quodcumque prius, id eſſe adulterum quodcumque poſterius. Et quid eſt, quod Ægyptii in Iudæorum Paſchate quotannis greges, & arbores minio illinire ſolebant, & aſpergere, veluti quodam pharmaco ad repellenda maleficia, niſi quod male, & perperam intelligebant Hebræorum Phaſe, & cæremonias, quas eo tempore exercebant? Videatur D. Epiphanius in hæreſi Nazaræorum. Hinc etiam æneo ſerpenti thimiamata concremata, eo quod male intelligerent, quæ de æneo Moyſis ſerpente referebantur, ſic & apud multos illud toties in Sacris Literis repetitum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob in carmina magica mutatum, & tranſlatum eſt. Videatur Origenes lib. 4 adverſus Celſum. Sic ex ipſa hiſtoria veteris Teſtamenti aliqua Gentilium

Numina finxere; nempe Saturnus, qui ad Adam, & Noe refertur, Bacchus, qui ad Noe, Neptunus ad Iapetum, Apollo ad Tubalcaim, Pluto ad Cham, Mars ad Belum, ſive Nemrod, ut latè probat Gerardus Voſſius in ſua Theologia Gentilium, Samuel Bocartus in Geographia Sacra, Daniel Huetius in demonſtratione Evangelica; ubi omnes Deos Gentilium ad Moyſen refert; ideſt ad hiſtoriam Moſaicam male intellectam, & interpolatos libros veteris Teſtamenti, nos de hac re fuſius egimus in lib. 1. ſenten. agentes contra Politeiſmum Gentilium.

Altera idololatriæ ſpecies fuit vana quædam præſumptio eorum, qui humanis honoribus non contenti, Divinos affectabant, vel etiam eximius amor in Principes. *Reges olim fuerunt*, inquit Cyprianus de Idolor. vanit; *qui ob regalem memoriam coli apud ſuos poſtmodum etiam in morte cœperunt*. Cicero autem de natur. Deorum hæc eadem teſtatur; nam inquit, *ſuſcepit autem vita hominum, conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in Cælum fama, ac voluntate tolleret*. Hinc, ut refert Lactantius lib. 1. de falſ. Relig. cap. 15. *Privatim ſinguli populi gentis, aut urbis conditores, ſeù viri fortitudine inſignes erant, ſeù fœminæ caſtitate mirabiles ſumma veneratione coluerunt*. Hoc idem Tertullianus in Apologetic. Priſci etiam Heroes ob res præclaræ geſtas, & beneficentiam Dii ab hominibus habiti ſunt. Lycurgo Spartani templum condiderunt, tamquam Deo. Ageſilaum Thaſii propter collata beneficia retulerunt in numerum Deorum. Antiochus Dei cognomen meruit propter liberatos Timarchi tyrannide Milelios. Dionem Syracuſani ob reſtitutam ſibi libertatem ſervaturis, & Dei titulis decorarunt. Tiberius etiam Auguſtus, Antoninus Pius, Dii nominati etiam dum viverent, eorumque virtutes ad Deorum album relatæ, ut paſſim videre eſt in nummis, in quibus notiſſima eſt felicitas Auguſti, Pietas Auguſti, liberalitas Auguſti. Caligula, Domitianus, & Diocletianus ſe Deos vocari juſſerunt.

Alte-

Altera fuit adulatio, & avaritia populorum, qui Regum ambitioni, vaniſque cupiditatibus miſerrimè ſerviebant: hinc avaritia à D. Paulo ad Coloſs. 3. Idolorum ſervitus appellatur.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri Sacra fames?

Vendebatur auro libertas, multiplicabatur auro Divinitas, & qui ex luto homines oriebantur, creabantur ferro Reges, fiebant auro Numina.

Altera fuit pictoria quædam, & poetica licentia, nam ſicut

Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Sic illi ad colorum varietatem multiplicem pro libito ſuo Divinitatem finxerunt.

Altera denique fuit methodus malè intellecta quorumdam Sapientum, qui teſte Auguſtino lib. de method. Cum plura nomina Deo tribuerent, & Divinitatem quaſi dividerent in plures perfectiones, inde plebs occaſionem cæpit erroris, & multiplicem voluit eſſe Divinitatem. Huic acceſſit præſumptio, & ſuperbia Philoſophorum, qui ut inquit Paulus ad Rom. 1. evanuerunt in cogitationibus ſuis, & dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Hi ergo, ut oſtenderent ſe eſſe novarum rerum inventores, novos quotidie Deos inducebant.

CAPUT SECUNDUM

1 Magiæ origo, & definitio. Dividitur in Divinatricem, & in eam, quæ miros effectus operatur. 2. Magicæ ſuperſtitionis effectus numerantur.

I. AD idololatriæ ſpeciem omnem Dæmonum cultuꝛam reduximus, quæ primo præcepto damnata à Deo eſt, ideo nunc ipſam Magiæ originem indagare volumus, ut ſtatim intelligamus, quam falſa, & quam vana illa ſit, nomen igitur illud, quod erat apud antiquos venerandum, & indicabat rerum naturalium per ſuas cauſas cognitionem, hoc idem pulcherrimum rerum ſtatum perturbante malitia hominum, ad Dæmonum culturam ſignificandam traductum eſt, nec amplius Magi ſapientes, ſed erroris aſſeclæ, & tenebrarum amatores appellantur. Magia enim non amplius eſt indagatio rerum naturalium, ſed inquiſitio eorum, quæ & naturaliter ſcire, & naturaliter aſſequi non poſſumus. Atque ut aliqua ex parte cognoſcamus, quiſnam primus fuerit, qui tot mala in genus humanum invexerit, legamus cap. 26. lib. 4. recognitionum Clementis, ubi dicitur, quod Angeli quidam relicto proprii ordinis curſu, hominum favere vitiis capere, & libidini eorum quodammodo indignum præbere miniſterium, quo illorum opera ſuis magis voluptatibus morem gererent, quique ne ſponte inclinati viderentur ad indigna miniſteria, docuerunt homines, quod Dæmones artibus quibuſdam obedire mortalibus, ideſt magicis invocationibus poſſent, ac veluti ex fornace quadam, & officina malitiæ totum mundum ſubtracto pietatis lumine impietatis fumo repleverunt. Ab Angelis ergo malis Magia profecta eſt, & ab iis errorum fontibus ſuperſtitionem hauſerunt homines, inter quos à veteribus primus numeratur Zoroaſtres, qui & Miſrainus, & Cham, & Chus, & Aſſur quandoque appellatur, ſi ea diligenter examinentur quæ extant loco citato recognitionum Clementis cap. 27. Et cum vari nominentur Zoroaſtres, dubium eſt, an ille magicas artes docuerit, cujus circumferuntur oracula, nos ne in hac quæſtione tempus teramus, hoc unum dicimus Zoroaſtrem illum Perſam, cujus oracula laudantur à veteribus,

Ma-

Magum fuiſſe appellatum ob rerum naturalium ſcientiam, qua præſtabat, non verò ob culturam Dæmonum, quidquid tamen ſit, nos in præſentiarum magicas artes, quæ divino præcepto prohibentur, dividimus in divinatrices, & effectuum mirabilium effectrices. Divinatricis artis duo genera ſunt, nempè ars, & furor. Ita D. Auguſtinus lib. de natur Dæmonum can. igitur genus. 26 queſt. 5. Nomine furoris intelligimus hic furorem Dæmoniacum, non vero divini Numinis afflatum, quo veri Prophetæ replebantur. Magia autem dividitur in eam, quæ divinatrix eſt, & in eam, quæ miros effectus operatur. De divinatrice multa jam diximus, de altera parte nobis nunc agendum eſt in hac autem conſiderari oportet, effectus omnes mirabiles iſtius artis, vel eſſe ad inducenda mala, vel ad avertenda, licet plerumque ſemper noceat, cum effectus ſuos non niſi in malum finem dirigat. Agamus nunc de effectibus, quibus mala immittuntur, poſtea aliquid agemus de iis, quibus mala avertuntur.

II. Turbari poſſe magicis artibus elementa tradit Conſtantinus Cæſar l. multi 6. cod. de maleficis, & mathematicis, quod quidem induſtria Dæmonum accidere poſſe graviſſimi Auctores teſtantur, cum enim Dæmones ſint agiles, & ſubtiliſſimi ſpiritus, qui omnia pervadere poſſunt, & quæ longiſſima ſunt ad nos perferre, poſſunt utique ex diverſis rebus materias invenire, quibus tempeſtates miſceant, aut concitent, hinc perſuaſum eſt veneficas etiam in aerem, & ſtellas ſuas poſſe artes exercere, unde Virg. Eclog. 8.

Carmina vel Cœlo poſſunt deducere Lunam.

Erant apud Gentiles Sacerdotes quidam, qui ſpecularentur grandines, pluvias, quas agni, & pulli ſacrificio exiſtimant avertere, & ſi agnus, vel pullus deficeret, ſanguine e digito effuſo litabant. Videatur Giraldus ſyntagm. 7. de Diis gentium.

Fuit quoque antiquorum opinio magicis artibus poſſe pellici in ſua arva alienas fruges, hinc Cajus Furius ad judicium deductus, quod in parvo admodum agello uberiores fructus perciperet, quam vicini ex ampliſſimis prædiis. Plinius lib. 18. cap. 6. Et lex duodecim tabularum ſtatuit; *alienam frugem ne pellicito*. Alexander ab Alexandro lib. 6. dierum genialium cap. 10. Neque tantum elementa, & quę extra nos ſunt, turbata aliquando legimus magicis artibus, ſed etiam excitatos ad amorem animos, hinc Conſtantinus hujuſmodi impietatis auctores damnat l. 4. cod. de malef. & mathematic. At ſicut maleficio poteſt quis inhabilis reddi ad conjugium, ut toto tit. de frigidis, & maleficiatis, ſic & maleficio impelli ad libidinem celebris eſt Cypriani hiſtoria apud Nicephorum Calliſtum lib. 5. hiſtorię Eccleſiaſticę cap. 27. Qui antequam Chriſtianus eſſet magicis utebatur artibus, cumque Iuſtinam Virginem eximia forma pręſtantem adamaſſet, nec ejus amorem poſſet experiri, cujuſdam Dęmonis auxilium imploravit, a quo reſponſum accepit, vanas eſſe omnes artes, cum Iuſtina Virginitatem ſuam Chriſto devoviſſet, eamque illibatam conſervaſſet jejuniis, abſtinentia, & oratione, adverſus quę arma nullę proſunt Dęmonum artes. Aliud e contra exemplum refert D. Hieronymus in vita S. Hilarionis, ubi narrat, quod erat quidam iuvenis emporii Gazenſis qui Virginem vehementer deperibat. Memphim profectus, poſt annum magicis artibus inſtructus rediit, & poſtea ſubter limen domus puellæ tormenta quędam verborum, & portentoſas quaſdam figuras ſculptas in ęris cyprii lamina defodit. Illico inſanivit amore Puella, donec liberata fuit per Hilarionem. Similibus quidem artibus utebantur olim Ethnici, & harum erat frequentiſſimus uſus, ad quem alludit fortaſſe Virgilius Eclog. 8.

Ducite ab Urbe domum mea carmina ducite Daphnim.

III. Non

III. Non loquor hic de philtris venereis magorum artificio propinatis cum abuſu multarum rerum, & præcipuè ſacrarum, de quibus latè auctores. Videatur Petrus Gregorius lib. 34. Syntagmatis juris univerſi cap. 13. Ad illam venio Magiam, qua magicis quibusdam adhibitis carminibus mentes hominum turbabantur; de hac canone nec mirum. §. Magi. 26. quæſt. 5. Sic mentem tollit, ſcripſit Lucanus lib. 2.

Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Excantata perit.

Et apud Virg. de Venefica Maſsylæ gentis Sacerdote legimus

Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes,
Quas velit, aſt aliis duras immittere curas.

Permittit autem Deus aliquando Dæmones nocere ex imperſcrutabili ſua ſcientia, vel ad probationem, vel ad ſupplicium eorum, qui divexantur. Sic vexatus eſt Iob cap. 4. ſic Sara uxor Tobiæ junioris, Tobiæ 6. ſic Saul 1. Reg. cap. 17. ſic Paulus Corinthium tradidit Satanæ 1. ad Corinth. cap. 5. Deus immiſſiones dicitur facere per Angelos pſalm. 77. ſic Lucæ 13. Chriſtus Dominus mulierem ſanavit, quam Satanas decem, & octo annos Spiritu infirmitatis tenebat alligatam.

Quomodo autem magicis artibus poſſint mentes turbari, & ad amorem duci difficile eſt explicatu, certe ex imaginatione mutari Spiritus aſſerit D. Thomas pr. parte quæſt. 13. Alii autem ſcribunt ex incantatorum oculis aliquid prodire, quod proximum aerem inficiat, & ad adſtantes perveniat, quo ſtatim detrimentum ſentiunt; huc referendum illud Virg. Eclog. 3.

Eheu, quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo!
Idem amor exitium eſt pecori, pecoriſque magiſtro.
His certe neque amor cauſa eſt, vix oſſibus hærent:
Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

CA-

CAPUT TERTIUM.

An ſortibus uti liceat.

1. *QUot modis ſortes accipiantur. Triplicis generis ſunt, nempe Divinatoriæ, Conſultoriæ, & Deciſivæ.* 2. *Sortes jure Pontificio damnatæ ſunt omnes; conciliatur electio Matthiæ per ſortes, cum hac prohibitione.* 3. *Prohibentur etiam magica inſtrumenta, quæ reducuntur ad Gaſtromantiam, nempe ad Divinationem per Spiritum pythonicum.* 4. *Aſſignatur ratio, quare à Divinis Dæmones conſulantur, & præſcribitur modus ad evitanda Divinorum, & Dæmonum mendacia.*

1. AMpliſſimum nobis-ſe ſe offert ad ſcribendum caput, cum de ſortibus agere inſtituimus, nihil eſt enim, de quo magis aut veteres, aut recentiores Gentiles, & Catholici ſcripſerint, & diſputaverint, quam de earum uſu, & antiquitate. Nos ut ea, quæ vera ſunt à falſis diſcernamus, atque ut ſtatuere poſſimus, quænam licitæ ſint, quænam improbatæ ſortes, ſupponimus cum Gonzalez ad caput Eccleſia de ſortilegiis, ſortem aliquando accipi pro ſtatu alicujus, ut pſalm. 36. *In manibus tuis ſortes meæ*. Aliquando pro pecunia prima, & capitali, quæ in ſocietatem confertur, ut l. acceptam. cod. de uſuris cap. conqueſtus eodem titulo. Aliquando pro fato Virg. 3. Æneidos

Hic exitus illum
Sorte tulit.

Aliquando pro decreto, ſive judicio ſupremi Principis, Virg. lib. 6. Æneid.

Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine Judice Sedes

Et

Et lib. 1.

Non illi imperium pelagi, ſævumque tridentem
Sed mihi ſorte datum.

Aliquando denique pro Genealogia, ſive progenie, ut Ovid. lib. 6. faſt.

Si genus aſpicitur Saturnum prima parentem
Feci, Saturni ſors ego prima fui.

D. Thomas in Epiſt. ad Epheſios ait, quod ſors eſt exquiſitio Divinæ Providentiæ in aliquo contingenti, & occulto. Opuſc. vero 25. art. 8. & 22. quæſt. 95. ait, quod ſors eſt inquiſitio occulti excedentis humanam induſtriam per aliquid à nobis factum de rebus humanis ad nos pertinentibus. Porro ſortes in triplici genere verſantur. Aliæ enim appellantur ſortes Divinatoriæ, aliæ Conſultoriæ, aliæ Deciſivæ. Divinatoriæ ſortes adhibentur ad futura prænoſcenda, & plerumque ſemper illicitis modis, & comprehendunt ſortes illas, quæ non ſolum ad Geomantiam, Pyromantiam, Hydromantiam, Areomantiam, Necyomantiam, Velomantiam pertinent, de quibus vide Petrum Gregorium lib. 34. Syntagmatis juris univerſi Divini, & humani cap. 3. 4. 5. & 6. ſed etiam ſortes illas, quę in libris, vel taleis ad futura ſcienda mittebantur. Hinc damnantur in cap. 1. de ſortilegis cap. Qui divinationes. 2. cap. Non liceat. 3. cap. aliquanti. 6. cap ſortes. 7. cap ſi quis Clericus 9. 26. quæſt. 5. Erant olim apud Gentiles ſortes, quas Virgilianas appellabant, aperto enim aut Virgilio, aut Homero, qui prior verſus occurriſſet, oraculum erat, hinc teſte Ælio Spartiano in Adriani Imperatoris vita, cum Adrianus de Imperatoris erga ſe judicio Virgilianas ſortes interrogaret, incidit in hos verſus,

Quis procul, ille autem ramis inſignis olivæ
Sacra ferens, noſco crines, incanaque menta
Romani Regis, primus, qui legibus Urbem
Fundavit curibus parvis, & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

Hinc

Hinc cum pariter Severus Alexander Virgilianas ſortes conſuleret, hoc illi occurrit carmen

Tu regere imperio populos Romane memento.

Huic ſuperſtitioni ſucceſſit apertio libri ſacri, in qua cum Patres ſuperſtitionem aliquam deprehendiſſent, eam omnino prohibuère, ut conſtat ex Concilio Agatenſi relato in cap. Aliquanti 26. quæſt. 5. Et quidem jure merito divinatoriæ ſortes prohibentur, cum iis homo aliquo modo ſibi uſurpet prænunciationem eventuum futurorum, quæ eſt Dei propria, ut ait Iſajas cap. 41. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* Conſultoriæ autem ſortes eæ ſunt, quæ adhibentur loco conſilii, quæ quidem licitæ ſunt, ſi urgente aliqua magna neceſſitate, & cum debita reverentia fiant, de quibus infra. Diviſoriæ ſortes eæ ſunt, quæ adhibentur, cum in confuſo eſt res dividenda, quæ quidem, ad hoc ut licitæ ſint, quatuor conditiones expoſcunt. Prima eſt, ut eventus non à fortuna, caſu, & aſtris expectetur, ſed à Deo. Secunda, ut fiant ſimplici animo, & ſine admixtione ſuperſtitionis. Tertia ut illi, qui ſortiuntur, pares ſint, & æquali jure nitantur. Quarta denique, ut finis earum ſit auferre lites, & diſcordias. De his conſultoriis, ac diviſoriis ſortibus plura in Sacris Literis nobis extant teſtimonia, ſic ad diviſionem terrę inter filios Iſrael ſortes adhibitæ num. cap. 26 ſorte detectus Achan Ioſue cap. 7. ſic deprehenſus Ionathas 1. Reg. cap. 14. Cognitus Ionas. Ionę cap. 1. ſorte electæ victimę Levitici cap. 16. Diſtributa Sacerdotalia munera lib. 1 Paralypomenon cap. 24. Electi Sacerdotes numeror. 17. Lucæ cap. 1. Electi Apoſtoli Actuum cap. 1. Quo pertinet illud Proverbiorum cap. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Iure civili Romanorum omnes per ſortem conferebantur dignitates, creabantur enim Conſules. Livius lib. 2. Cenſores Varro. lib. 5. de lingua latina. Item & comitia. Livius lib. 5. decade 4.

In

In ſententiis item ferendis adhibebantur ſortes, prçcipuè in tribus judiciis, ideſt communi dividundo, familię herciſcundę, finium regundorum, in quibus utriuſque litigatoris par cauſa eſt, & is, qui prius egerit, actor dicitur, Lege in tribus ff. de judiciis l. 2. §. finali ff. communi dividundo l. inter cohæredes § Qui familię. ff. familiæ herciſcundæ. l. Iudicium. ff. finium regundorum.

II Quamvis autem antiquus fuerit uſus ſortium, ut ex ſupradictis colligitur, nihilominus Eccleſiaſtici Patres, & Sanctiſſimi Pontifices, ut omnem, qui paulatim ſerpebat, abuſum tollerent, ac ſuperſtitiones exterminarent, expreſsè prohibuere, ne electiones Eccleſiaſticę fierent per ſortes, ut textus clariſſimus eſt in cap. Eccleſia de ſortilegiis. Neque huic Sanctiſſimę definitioni Eccleſię obſtare poteſt factum D. Matthię Apoſtoli, qui ſorte connumeratus eſt inter duodecim Apoſtolos, nam in illo facto multæ ſunt circumſtantię conſiderandę, quæ ſi hodie intervenirent, nemo dubitat abſque culpa ſotres fuiſſe adhibendas. Et quidem D. Ambroſius in caput 1. Lucæ ait *Electionem Matthiæ factam per ſortes, ne Apoſtoli electio à mandato diſcrepare legis veteris videretur*. D. Dyoniſius lib de Eccleſiaſt. Hyerarch. cap. 5. exiſtimat illas non fuiſſe proprias ſortes, ſed divinam quamdam inſpirationem ſigno aliquo viſibili indicatam. Quidquid ſit, tunc agebatur de aſſumendo ad Apoſtolatus dignitatem unum ex duobus, qui erant ſanctitate pari inſignes, & præſtantes, utpote, vel Barſabam, vel Matthiam. Res erat, quæ decidi non poterat ſimplici Apoſtolorum decreto, cum illorum animi ad utramque partem proni eſſent, ac propenſi, nec arbitrarentur ab uno poſſe deflectere abſque alterius injuria; neceſſe ergo fuit in tali caſu ſotres adhibere. Ac tale factum in exemplum nequaquam trahi debere docet S. Hieronymus in cap. 1. Jonæ. Cum privilegia ſingulorum non poſſint facere legem communem.

III, Cum,

III. Cum, ut ſupra memoravimus, magicæ artes dividantur in divinatrices, & mirabilium effectuum operatrices, & omnia ſortilegia, ſive incantationès plerumque fiant, aut ad immittenda mala, aut ſub apparentia alicujus utilitatis, aliqua nunc etiam addemus, & quidem breviſſimè, quæ ad hoc genus pertinent, ad illud enim pertinent, & hoc primo præcepto prohibentur magica omnia inſtrumenta, quæ antiquitas ad morbos repellendos, aut ad futura prænoſcenda compoſuit, huc pertinent ea, quæ Gnoſtici, & Maumedani Amuleta Cabaliſtæ, ſigilla Saturni, Arabum, ſeù Salomonis teleſma, ſcuta Davidis appellabant, hæc enim omnia ſpecies quædam ſunt Gaſtromantiæ, per quam non vocibus, ſed ſymbolis reſpondebatur. Huc pertinent ſtatuę illæ ad futura indicanda, de quibus Hermes ter maximus in Aſclepio, cujus locus eſt apud D. Auguſtinum de civit. Dei lib. 8. cap. 23. Huc referre oportet ſchedulas pictas, annulos, inaures, ſive Deorum phylacteria, quæ pro Amuleto geſtabant veteres, de quibus Plutarchus lib. 6. ſimpoſii quæſt. 5. Arnobius adverſus gentes lib. 2. Huc Epheſias literas à Pythagoricis loco Symbolorum inventas, quarum auctor Andocides. Huc Rotas, quæ vertebantur in Deorum templis, de quibus omnibus Clemens Alexander. lib. 5. Stromatum. Huc etiam Iyngas, ſeu Lyngas illas Chaldæorum magorum, quas appellabant στροφάλους ἑκατικὰς vel ſphærulas, aut cylindros aureos incluſum continentes ſaphirum loro bubulo tortos, quos rotantes Dæmones appellabant, de quibus Euſeb. præparationis Evangelicæ lib. 5. cap. 7. Hic pariter meminiſſe oportet, quod de futuris monebatur Eucrates, qui geſtabat Icunculam Deę cœleſtis, ſive Syriæ, ſive Lunæ, ut refert Appianus Marcellinus lib. 22. hiſtoriar. Nero pariter Icunculam puellarem colebat in remedium inſidiarum datam, & quadam conjuratione detecta eam pro ſummo numine habere cœpit, tribus quotidiè ei oblatis ſacrificiis, ut narrat Suetonius in vita ipſius. Exe-

ceſtus

ceſſus Phocenſium Tyrannus duos geſtabat incantatos annulos, & à ſonitu, qui ab eis invicem edebatur, ſciebat tempus rerum gerendarum, mortuus tamen eſt, dolo interfectus, etiamſi ei hoc prius ſignificaſſet ſonitus, ut narrat Clemens Alexandr. lib. 1 ſtrom ex Ariſtotele in opere de Rep. Phocenſium. Apollonius Thyaneus annulos ab Jarca dono datos inſtar Numinis habuit, ita ut ſingulis diebus ipſos per vices variando maximorum ſecretorum particeps fieret, narrat Philoſtratus in vita ipſius lib. 3. cap. 13. Prætereo hic hydromantiam, ex annuli ictibus in cyatho aquæ factis; prætereo ſuperſtitionem, qua credebant antiqui annulum ex ſiniſtra in longiſſimum dexteræ, digitum tranſlatum ſingultus, & gravedines levare. Plin. lib. 28. cap. 6. Alexander ab Alexandro dierum genialium lib. 2. cap. 19. Veteres Hæretici, ut cum Scaligero loquar, præſertim Valentiniani multa ejuſmodi reliquerunt, quæ hodie in antiquariorum loculis aſſervantur, nulla tamen ſuperſtitio eſt, quæ ad aliquam ex iis ſpeciebus, quas ſupra commemoravimus, aut directè, aut indirectè non pertineat.

IV. Hactenus de iis, quæ ad Divinatricem Magiam pertinent, quod ſi quis quærat, cur Divini ad Dæmones conſulendos tam libenter accederent, reſpondemus cum authore recognitionis Clementis cap. 21. quod ideò in hujuſcemodi artibus homines exercebantur, quod cum illi ſint ſpiritus ſagaces, & ad dicendum non prægraventur corporis tarditate, ideò quæ homines Medici longo labore ſciunt, hæc illi abſque ulla tarditate cognoſcunt, non ergo mirum eſt, ſi plus aliquid, quam homines ſciunt, ſed hoc intuendum eſt, quod ea, quæ ſciunt, non ad ſalutem, ſed ad deceptionem proferunt animarum, & per hæc eas cultum falſæ religionis edoceant. Sed Deus, ne tantæ deceptionis error lateret, Clementiæ ſuæ remedia providit hominibus, & diſtinctionem falſi, verique ſcire cupientibus in propatulo poſuit.

Exer-

Eſt ergo iſta diſtinctio, quod à Deo vero dicitur, ſcire per Prophetas, ſive per viſiones diverſas, ſemper verum eſt, quod autem à Dæmonibus prædicitur, non ſemper verum eſt: eſt ergo evidentis indicii non à vero Deo dici ea, in quibus aliquando mendacium eſt, in veritate enim nunquam mendacium eſt, in his autem, qui mentiuntur, poteſt aliquando & veritatis aliquid admiſceri, per quod mendacia condiantur, & ut loquitur auctor imperfecti operis in Matthęum hom. 19. ad cap. 7. verſ. 22. *Diabolus interdum verum dicit, Sanctus autem ſpiritus nequaquam mentitur; conceſſum eſt autem Diabolo interdum veritatem dicere, ut mendacium ſuum rara veritate commendet, ſi autem nunquam diceret verum, nec ad tentationem poterat ſufficere, vel proficere ſeductio ejus*. Inſuper in cap. 22. recognitionum Clementis legimus quod ideò Dæmonibus aliquando permittitur verum dicere, ut cognoſcamus eos eſſe Dęmones, quod ſi ignoraremus, agonis noſtri, & certaminis cauſa latuiſſet. Quamvis ergo arte magica multa fiant, fieri tamen non poteſt verum miraculum præcipuè in confirmationem doctrinę falsæ, quæ enim fiunt à Magis, illuſiones quædam ſunt, ac pręſtigię, quæ ad vanam curioſitatem, non autem ad cultum Dei, & proximorum ſalutem pertineant. In confirmationem ergo doctrinæ falsæ nunquam permittet Deus verum miraculum fieri, cum miraculum ſit ipſius Dei ſigillum. Inquit enim Chriſtus apud Ioannem: *Si mihi non creditis, operibus credite, & opera, qua ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me*. Pertinet ergo ad ſummam Dei loquentis authoritatem, ut miracula tantum fiant in confirmationem doctrinę veræ, nam quemadmodum Rex permittens apponi ſigillum ſuum alicui ſcripturæ falsæ, cenſeretur homines decipere, ita pariter nunquam Deus permittet, ut miraculo confirmetur aliqua falſa doctrina, ne videlicet eam veram exiſtiment homines, cum apparuerit ſigillo Dei obſignata. Videatur

mea

mea idea Theologica in cap. de Deo loquente in Patribus, & Prophetis.

CAPUT QUARTUM.

Referuntur pręcipua capita eorum, quæ prohibentur primo præcepto.

1 P*Robatur Sacra Scripturæ teſtimonio, & pœnis à jure canonico ſtatutis graviſſimum eſſe peccatum, Magorum auxilium implorare, 2. itemque damnatur Aſtrologia Judiciaria, nec non & Chyromantia. 3. Prohibetur Divinatio per ſomnia, 4. & enumerantur cauſæ internæ ſomniorum. 5. Cauſa externa ſomniorum duplex eſt, nempe corporalis, & ſpiritualis. 6. Somnia aliquando immiti à Deo ex Sacris Litteris colligitur. 7 Ad tollendos quoſdam errores in ſomniis, & ad diſtinguendas revelationes nonnullæ univerſales regulæ aſſignantur.*

I. GRaviſſimè peccare eos, qui Magorum auxilium, & conſilium implorant, multa nobis Sacræ Scripturæ teſtimonia declarant. Nam Levitici 19. legimus: *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini.* Et cap 20. *Anima, quæ declinaverit ad Magos, & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contrà eam.* Iſaiæ 44. *Ego ſum Dominus .... irrita faciens ſigna Divinorum, & Ariolos in furorem vertens.* Eccleſiaſtici 34. *Divinatio erroris, & auguria mendacia, & ſomnia malefacientium vanitas eſt.*

Hinc jure optimo ſacri Canones hanc ſuperſtitionem damnarunt, præcipue Conc. Ancyranum, quod refert Gratianus can. Qui divinationes 26. quæſt. 1. Conc. Toletanum 4. can. 29. Agathenſe can 42. Synod Romana 2 can. 12. Conc. Mediolanenſe 1. parte cap. 10. Videndus in hac

ea S. Thomas 2. 2. quæſt. 95. art. 2. Extat etiam celebris textus Alexandri III. in cap. Ex tuarum, de Sortileg. ubi ab Altaris miniſterio ſuſpenditur quidam Præsbyter, qui aſtrolabio uſus erat ad inveniendum furtum.

II. Damnatur etiam Aſtrologia Judiciaria, nam Ierem. 10. inquit Dominus: *A ſignis Cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt*. Et cum nulla ars ſit, qua poſſint liberæ hominum actiones, atque eventus indicari, ideò meritò hanc tamquam Dæmonum inventionem, Fidei Chriſtianæ hominumque libertati obnoxiam SS. Patres reprehendunt. Vid. Tertullianum lib. de Idololatr. cap. 19. Euſeb. præpar. Evang. 19. Auguſt. lib. 2. de doctr. Chriſtiana cap. 21. 22. de Geneſ. ad literam cap. 17. S. Baſilium hom. 6. in Hexameron, Gregorium hom. 10. in Evangelia.

Extant etiam plura Pontificum, ac Conciliorum decreta hanc artem prohibentia, inter qu Conc. Aocyran. can. 24. Bracarens can. 8. Toletanum 4. can. 28 Extat etiam Conſtitutio Xyſti V. quæ incipit, *Cæli, & terra*, dat. die 7. Ianuarii 1586. quam confirmavit Urbanus VIII. ſuo decreto, quod incipit, *Inſcrutabilis* ſub die 22. Martii 1631. Et Conc. Trident. Regula 9. de libris prohibitis, omnes libros reprobat de illa tractantes &c. Neque hic prætereo in Conſtitutione Xyſti V. ſupracitata damnari quoque Chyromantiam, utpotè judiciariæ Aſtrologiæ partem.

III. Clariſſimum eſt etiam damnari, ac interdici primo præcepto omnem divinationem per auguria, & per vanas obſervationes rerum exteriorum, quæ ad effectum obtinendum naturaliter ducere non poſſunt. Deuteron. 18. legimus, *Non inveniatur in te, qui obſervet auguria*. Videatur Baſilium in caput 2. Iſaiæ. Chryſoſt. hom. 21. ad populum Antiochen. Ut autem omnis ſuperſtitio fugiatur, notandum eſt, quod omnis uſus rei, quæ ad effectum, quem deſideramus, natura ſua non conducit, nec conſtat ipſam

rem

tem ad talem effectum eſſe divinitus inſtitutam, erit uſus damnabilis. & ſuperſtitioſus. Quid enim quæſo ad fælicitatem, vel miſeriam confert, quod è domo egrediens, Corvum, aut Colombam volitantes videat: quod menſæ ſal appoſitum caſu ſpargatur: quod oleum è lucerna deſluat, & his ſimilia, quæ vulgus credit & dæmones invenerunt, ut incautas fidelium mentes deciperent?

IV. Prohibetur etiam omnis Divinatio per ſomnia, ſi ad ea extendatur, quæ minimè poteſt attingere. Qua quidem in re notare debemus varias eſſe ſomniorum cauſas; aut enim procedunt à cauſa interna, aut externa. Interna duplex eſt, aut animalis, aut corporalis. Animalis, cum videlicet dormienti, phantaſiç illa occurrunt, circa quæ vigilans ſe ſe exercere conſueverat. Sic Miles bellum, mortem inimicorum, fugam; Nauta mare, tempeſtates; Venator canes, volucres, ſylvas ſomniare ſolent. Corporalis verò cauſa illa dicitur, cum ex interna corporis diſpoſitione aliqui in phantaſia dormientium motus ipſi diſpoſitioni convenientes excitantur. Sic Melancholicis ſpectra, tenebræ, funera: Phlegmaticis imbres, fontes: Bilioſis rixæ, & ſanguineo humore repletis, convivia, cantus occurrunt.

V. Si verò de externa ſomniorum cauſa loquamur, hæc pariter duplex aſſignari ſolet, videlicet, aut corporalis, aut ſpiritualis. Corporalis reſpicit aut continentem, ambientemque aerem, aut cœleſtium corporum influxum, & impreſſionem. Spiritualis vel Deum, vel Dæmonem reſpicit; Diabolum enim divinas revelationes in perverſum æmulari, ut homines in errorem inducat, nemo eſt inter Sanctos Patres, qui non animadvertat, & fallacia eſſe plerumque ſomnia Sacræ Literæ nobis inſinuant, & jubent, ne illis fidem adhibeamus. Levit. 19. *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia*. Deut. 18. *Non inveniatur in te, qui obſervet ſomnia*. Videatur Eccleſiaſtici caput 34. quod con-

cludit; *Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis:* quæ conſiderans D. Gregorius lib. 8 Moralium cap. 13. *Somnia*, inquit, *niſi plerumque ab occulto hoſte per illuſionem fierent, nequaquam hoc vir ſapiens indicaret dicens. multos errare fecerunt ſomnia.*

VI. Somnia à Deo immitti ex Sacris Literis deprehendimus: notiſſimum eſt enim ſomnium Jacob aſcendentes Angelos, & deſcendentes videntis. Somnia Pharaonis, quæ Joſeph eſt interpretatus. Somnium Salomonis à Deo ſapientiam poſtulantis. Somnia Danielis, Judæ Machabæi. Joſephi Dei Genitricis Sponſi, quibus, utpotè à Deo immiſſis, fides erat adhibenda. D. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 49. eaſdem ferè ſomniorum cauſas enumerat, quas ſupra retulimus.

VII. Sed quoniam in hujuſmodi ſomniis, atque revelationibus diſtinguendis, facilè poſſunt homines errare, non ſupervacaneum hic erit ad hujus rei notitiam aliquas univerſales regulas ponere.

Et primò ſuppono valdè errare eos, qui arbitrantur divina eſſe ſomnia, quæ veros effectus ſortiuntur, ſecus vero, ſi effectum verum non habeant; ſed hæc doctrina omnium fallax eſt; poſſunt enim ſomnia aliquando certa, & vera indicare, quin ſint à Deo immiſſa. De Magno Alexandro refertur vidiſſe Ptolomæum deſperata à medicis ſalute in lecto decumbentem, ob lethale vulnus in bello venenata ſagitta ſibi inflictum, & ſomniaſſe poſtea draconem geſtantem in ore lanariam herbam, atque indicantem, quo in loco reperiri illa poſſet. Quęſita herba ſumma diligentia fuit, ſanatuſque hoc remedio Ptolomæus, cæterique ſimili morbo, ac veneno infecti.

Falluntur etiam vehementer, qui putant ea tantum eſſe divina ſomnia, quæ præcipuis, ac Sanctis hominibus contingunt, nam quamvis plerumque hoc verum ſit, ſuas tamen patitur exceptiones; ille enim Deus, qui in ſomniis

Abra-

Abrahamo, Joſepho, Jacobo apparuit, ille idem Pharaoni, Nabuchodonoſor, cæteriſque incredulis, quos ſcriptura commemorat, aliquid voluit per ſomnia manifeſtare: ex quo ſuppono, aliquos habuiſſe revelationes Dei; ſive apparitiones, & poſſe illas habere, quin tamen illas intelligant, ſed opus eſt, ut ad illos recurrant, quibus ab æterno bonorum Datore conceſſa eſt gratia diſcretionis ſpirituum Sic viſionem Pharaonis declaravit Joſeph, Nabuchodonoſoris Daniel.

Regula igitur prima, ac generalis erit circa ſomnia, & apparitiones, ut attendamus perſonarum qualitates. Quamvis enim legamus, perſonis nulla ſanctitate inſignitis factas aliquando olim fuiſſe apparitiones, conſtat tamen eas non fuiſſe intellectas, & admodum raras extitiſſe: animadvertere ergo oportet, quænam ſit eorum hominum vita, qui mores eorum, quibus ſomnia contingunt, vel aliquid revelatur, experientia enim docet divinas manifeſtationes fieri perſonis integræ, atque inculpatæ vitæ, quæ ſanctis contemplationibus, aſſidua corporis mortificatione, ac virtutum acquiſitione exerceantur. Quæ enim abſconduntur à ſapientibus hujus mundi, quæ ſuperna, ac cœleſtia ſunt, manifeſtari non poſſunt iis, quos obumbrant delictorum maculæ, quos excæcat amor ſui, errorum omnium exitialis origo.

Secundà regula eſt, ut notemus ea, quæ manifeſtantur, nam ſi hæc ſunt cordium ſecreta, aut futura contingentia, tunc certiſſimum eſt, non à Dæmone, ſed à Deo fieri revelationem. Do clariſſimum exemplum: revelatum eſt Titio dormienti Sempronium cogitaſſe de interficiendo Cajo, ipſumque tali determinata hora daturum elemoſinam, quæ omnia ita acciderunt, cum tamen Sempronius nemini patefecerit cogitationes ſuas: hoc in caſu videmus, talem revelationem non poſſe eſſe à Dæmone, cui non conceditur humani cordis ſecreta cognoſcere, aut ea futura,

quæ extra cauſas naturales ſunt, & quæ ab hominis arbitrio dependent.

Tertia, ut pariter obſervemus, an ſomnia, vel nocturnæ apparitiones ſint circa res malas, aut Fidei contrarias, tunc enim nulla eis fides eſt adhibenda, & reputanda ſunt, tamquam ea, quæ à Dæmonis induſtria, & fallacia dependent; ſecus verò, ſi verſentur circa res honeſtas, ac ſanctas, & ad animæ ſalutem dirigantur. Admonitus eſt in ſomniis Rex Abimelech, ut Abrahamo traderet uxorem ſuam, ne divinam vindictam incurreret; ſi pariter alicujus fœminæ raptor in viſione admoneretur, talis revelatio, aut apparitio digna eſſet, quæ fidem mereretur, quæ mandaretur executioni, ibi enim agitur de abſtinentia ab opere malo, & illicito.

Quarta regula eſt, ut ſomnia, & apparitiones non ſint circa res leves, vanas, & curioſas, tunc enim poſſemus arguere non eſſe à Deo, qui ſpirituale bonum, animæque ſalutem, ſuique gloriam in apparitionibus, & revelationibus intendit.

Advertendum inſuper eſt, ſi poſt hujuſmodi revelationes homo extollitur, ſi eas ſtatim commemorat, ſi hæ aliqua graviſſima tentatione admixta ſunt, tunc enim certò dubitare poſſumus, an ſint à Deo, cum Deus tantummodo hominibus humilibus ſua revelet.

Quinta denique regula eſt, an perſona ſit prudens, vehementis imaginationis, nimium curioſa, & quæ vaniſſimis rebus fidem præſtet, ſi virtutis amans, ſi orationi dedita, ac rerum divinarum contemplationi. Multæ, & aliæ quidem eſſe poſſunt regulæ in hac materia à ſanctis, ac doctiſſimis viris traditæ, quibus præſentes ſubjicimus, & infallibili Eccleſiæ judicio, ad quod ſemper recurrendum eſt, & quod ſemper venerandum.

DIS-

DISSERTATIO V.

DE IDOLIS

Quorum cultura in Sacris Literis prohibetur, & ad quæ, velut ad præcipua capita, cætera reducuntur.

CAPUT PRIMUM.

DE IDOLO MOLOCH.

1. *Explicatur, quidnam ſit hoc Idolum Moloch, & quænam victimæ eidem offerrentur.* 2. *Quænam erat huic Idolo forma, & quænam adhibebatur ceremonia in oblatione holocauſti. Pro oblatione ſeminis intelliguntur filii, qui immolabantur, & unde hic ritus originem traxerit.* 3. *Idololatria in Sacris Literis plerumque fornicatio appellatur, & quare.* 4. *Idolum Moloch refertur ad Baal, ad Solem, & Saturnum.*

1 Levitici 18. verſ. 21 legimus, *De ſemine tuo non dabis, ut conſecretur Idolo Moloch.* Et cap. 20. verſ. 2. *Si quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moriatur.* Doctiſſimi viri, & Sacrarum Scripturarum Interpretes diligenter inquirunt, quodnam fuerit hoc Idolum Moloch, nos verò, ut à prolixis eorum quæſtionibus abſtineamus, ſupponimus illud fuiſſe, ad cujus conſpectum concremabantur pueri, & quod apud Sephervaitas appellabatur *Adramalech, & Anamalech*, nam 4. Regum cap 17. legimus, *Hi autem, qui erant de Sepharvaim comburebant filios ſuos igni, Adramalech,*

lech, *& Anamalech Dijs Sepharvaim*. Quod verò huic Idolo offerrentur pueri, qui concremabantur conſtat ex 4. Reg. cap. 23. ubi legimus de Rege Joſia, *Contaminavit quoque Topheth, quod eſt in convalle Filii Ennom, ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch*. Videatur Philaſtrius, quem citat Seldenus cap 6. Syntagmate 1. de Diis Siriis. *Aram*, inquit ille, *collocant ita dictam Topheth nomine alicujus in valle filii Ennom, ibidem ſuos filios, & filias Judæi Dæmoniis immolabant* de hac pariter filiorum immolatione, qua Molochum in Syriæ regionibus adorabant ſuperſtitioſæ gentes, videatur Sapient. cap. 14. verſ 23. & cap 12. verſ. 5 & 6. Jerem. cap. 7. verſ. 31. & cap. 19. verſ. 5 Ezechielis cap. 16. verſ. 20. & 21.

II. Quænam autem eſſet forma hujus Idoli Moloch, quænam cæremoniæ adhiberi ſolitæ, quove in loco, explicare nunc aggredimur, ne in hac tam ampla materia confundi videamur.

Aliqui igitur aſſerunt, hoc Idolum fuiſſe ſtatuam concavam ſeptem cubitorum, cujus facies vituli erat, cujus manus extenſæ, velut hominis aliquid accepturi. Septem illi extructa fuere ſacella, ſive conclavia, qui avem, ſeu pullum collumbinum offerebat, primus ingrediebatur, qui ovem, aut agnum, ſecundum, qui arietem, tertium, qui vitulum, quartum, qui juvencum, quintum, bovem, ſextum, qui proprium filium, ſeptimum. Huic Idolo filius offerebatur, cum ſcilicet ab igne ſuppoſito jam jam candeſceret, & ne ploratus, & clamor à parentibus, qui puerum offerebant, audiretur, perſonabant tympana, atque undique ſpectatores exultabant, miſcebantur omnia clamoribus, donec exuſtus eſſet puer; quæ quidem cæremonia clarius, & expreſſius intelligetur, ſi denuò revertamur ad jam citatum cap. 23. lib. 4. Reg ubi de Joſia dicitur *Contaminavit quoque Topheth, quod eſt in valle filiorum Ennom, ne quis traduceret filium ſuum, aut filiam ſuam per ignem*; nam vallis

filio-

filiorum Ennom in agro ſuburbano erat, & hebraicè *Gibei* Ennom appellabatur à lamentis, ſeu rugitu puerorum, nam Ennom a *Nahem*, quod idem eſt, ac *gemuit*, deductum eſſe videtur, & quod extra urbem fierent hæc horrenda ſacrificia D. Hieronymus ad cap. 7. & 32. Jerem. teſtatur, ubi ait: *Hic gentilitatis error omnes provincias occupavit, ut ad capita fontium, lucoſque amœniſſimos victimas immolarent, & omnis prava ſuperſtitionis religio ſervaretur:* ara vero Topheth à nomine תוף *Toph* derivari, quod *tympanum* ſignificat (unde verbum *Tapaph*, quod eſt *tympanum pulſare*) graviſſimi Interpretes volunt, a valle autem Giben Ennom, in qua pueri cremabantur fortaſſe *Gehennæ* nomen ſumptum eſt ad exprimendos Inferni ignes, ploratus, & lamenta.

§. III. Sunt qui putent huic Idolo non ſolum pueros, ſed ſemen etiam humanum fuiſſe oblatum adducentes cap. 18. Levitici, & nimis literaliter exponentes quæ leguntur 20. cap. ejuſdem lib. *Si quis dederit de ſemine ſuo Idolo Moloch, morte moriatur*, & infrà *ſuccidamque & ipſum, & omnes, qui conſenſerunt ei, ut fornicaretur cum Moloch*; ſed non intelligunt, quod plerumque in Sacris Literis idololatria *fornicatio* appellatur, ſic Levitici cap. 17. verſ. 7. *Et nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus, cum quibus fornicati ſunt*. Exod. 34. verſ. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum Regionum, ne cum fornicati fuerint cum Diis ſuis, & adoraverint ſimulacbra eorum vocet te quiſpiam, ut comedas de immolatis*. Numerorum 15. verſ. 40. *Ne ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes*. Deuter. 31. verſ. 16. *Populus iſte conſurgens fornicabitur poſt Deos alienos*. Judicum 2. verſ. 17. *Fornicantes cum Diis alienis*. Hoc idem pſal. 72. Oſeæ 1. verſ. 2. Nahum 3. verſ. 4. Jeremiæ cap. 2. & 3. Vocatur autem hoc nomine Idololatria, eo quod anima, quæ per fidem, & naturalem quamdam obligationem Deo deſponſata eſt hoc vinculo

diru-

dirupto, religione ſpreta, ſe tradat Dæmonibus, eorumque cultoribus, & Deum provocet æmulum. Dicendum eſt igitur, nomine ſeminis in d. cap. 20 Deuteronomii intelligi filios, quæ quidem ſignificatio frequens eſt in Sacris Literis.

At verò ut ad cæremoniam Molocho adhiberi ſolitam revertamur, ſunt qui putent, filios non fuiſſe huic Idolo concrematos, ſed februatos tantum hoc eſt per ignem traductos; ſed hoc videtur adverſari locis jam citatis ſacræ Scripturæ, & præcipuè 4. Reg cap. 23. & 17. ubi de vera immolatione, & mactatione filiorum ſermo eſt. Quam antiquus autem ſit hic ritus, & quam e longinquo ejus origo repetenda, ex hoc colligere poſſumus, quod multi putent ex depravata Abrahami hiſtoria filium immolantis illum fluxiſſe, & hoc non ſine fundamento, cum antiquitatum Judaicarum peritiſſimi viri Strabo, Diodorus Siculus, Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, & Euſebius multas Gentilium ſuperſtitiones ex prava ſacrarum Scripturarum intelligentia, aut ex malitia hominum tales ſcripturas depravantium fluxiſſe affirment. Certe antiquiſſimus eſt iſte immolationis ritus ex Phænicum annalibus tradit Porphyrius apud Euſebium præparationis Evangelicæ pr. & 9. Saturnum, quem Phœnices *Iſrael* nuncupabant, Regem Phœniciæ antiquiſſimum, ut regnum ſuum à belli imminentis periculo liberaret, unicum, quem ex Anobreta ſuſceperat filium, regio faſtu ornatum ad placandos ſibi Deos ſuper aras immolaſſe. A Phœnicibus in Africam, & ad Pœnos hæc impia cæremonia tranſvecta eſt, ut teſtatur Curtius lib. 4. cap. 3. §. 38. Iuſtinus lib. 18. cap. 6. num. 12. Silius Italicus lib. 4. verſ. 767.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido
Poſcere cæde Deos veniam, ac flagantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Videatur Alexander ab Alexandro dierum genialium

tom.

tom. 2. mihi lib. 6. cap. 26. Mos iſte diù apud Phœnices, & Carthaginenſes invaluit; at ob acerbas populi querelas, quibus parvulos immatura morte præreptos lugebant, intermiſſus eſt, ſed cum victi eſſent ab Agathocle, & ob iſtius cæremoniæ omiſſionem Deos iratos ſuſpicarentur, ducentos nobilium filios mactarunt ad aras. Refert Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 1. Diodorus Siculus lib. 20. Hanc conſuetudinem, & cæremoniam variæ gentes imitatæ ſunt, nam Galli, ut refert Cæſar de bello gallico lib 6. Ingenti ſimulacro viminibus contexto, & igne ſuccenſo maximum holocauſtum Diis offerre putavere. Hinc præter Heſum, & Theutatem Mercurium, quos humano cruore placabant, aut immolabant homines, aut ſe immolaturos devovebant. Lactantius lib. 1. cap. 21. Hanc cæremoniam pariter refert Lucanus lib. 1.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Theutates, horrenſque feris Altaribus Heſus.

Videatur Alexander ab Alexandro loco citato.

IV. Sed ut probemus, quam bene poſſint omnes filiorum immolationes, quibus populi Deos ſuos placare credebant, ad Idolum Moloch referri notare debemus illud aliquando appellari in Sacris Literis Idolum Baal, eo quod eædem cæremoniæ, quæ in cultu Baal adhibebantur, adhiberentur in cultu Moloch. Videatur Jeremiæ caput 19. verſ. 5. Ubi legimus; *Et ædificaverunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum. propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non vocabitur amplius locus iſte Topheth, & vallis Filii Ennom, ſed vallis occiſionis.* Quæ verba *clariſſimè demonſtrat* idem eſſe Idolum Moloch, ac Idolum Baal; nam 4. Reg. cap. 23. jam citato nominatur *Toph*, nominatur *vallis filii Ennom*, nominatur *conſecratio per ignem*, Idolum autem, quod exprimitur, eſt Idolum Moloch. Inſuper ſicut Baal interpretatur

Domi-

Dominus, ita Moloch *Regem* ſignificat, & hic fortaſſe Deus eſt, quem Phœnicum Theologia appellabat Deorum Regem, & hinc Adodus dictus, ſive Hadada, quod unum ſignificat juxta Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 18. & ideò Solem denotabat, vel melius referri poteſt ad Hadad, quod clamorem ſignificat, & ſpectare videtur ad Molochi clamores.

At ſicut Moloch ad Baal, & ad Solem, ita pariter ad Saturnum referri poteſt, qui humanis hoſtiis placabatur. Hinc Pecennius Feſtus apud Lactantium Divinarum inſtitution. lib. 1. cap. 21. refert Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, & cum victi eſſent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe, itaque ut diligentius hoc piaculum perſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe. Hoc idem de Pœnorum Hercule dicere poſſumus qui pariter humanis hoſtiis placabatur, ut refert Plinius lib. 36. cap. 5. Conſtat ergo omnes februationes, ſive expiationes hominum per ignem, quibus utebantur Gentiles ex vetuſtiſſimo Idolo Moloch fluxiſſe.

CAPUT SECUNDUM.

De Thamuz Hebræorum, ſive Adonide

1 *Quare Idolum Thamuz flere dicatur, & quomodo hæc flendi conſuetudo devenerit ad Hebræos, Idolum Thamuz ab ipſis etiam pro menſe Junio ſumitur. 2. Quomodo apud Latinos intelligi debeat textus ille Ezechielis Plangentes Thamuz, & quare pro Adonide ſumatur. Quænam eſſet cæremonia adhiberi ſolita in hujus Idoli cultum. 3. Explicatur difficillimus Iſaiæ textus, & oſtenditur uſus, & inventio Papyri.*

Eze-

I. EZechielis cap. 8. verſ. 15. in textu hebraico legimus: *Et introduxit me ad oſtium portæ Domus Domini, quæ eſt ad Aquilonem, & ecce ſedebant ibi mulieres plangentes Thamuz.* Qualis autem fuerit Thamuz, qui à mulieribus plangebatur ex peritis antiquitatum viris referemus. Xanctes Pagninus in ſuo Theſauro linguæ ſanctæ in expoſitione hujus nominis ait aliquos credidiſſe Thamuz fuiſſe imaginem in cujus oculis plumbum reponeretur, & quæ admoto igne, & liquefacto plumbo flere videretur, citat inſuper opinionem Rabbi Moyſis Ægiptii, qui aſſerebat Prophetam Idolorum fuiſſe Thamuz, qui cum prædicaret cuidam Regi, ne ſerviret ſeptem ſtellis, & ſignis duodecim, præcepit Rex eum interfici gravi morte. Tunc narrat conveniſſe omnes imagines ab extremis terræ ad imaginem auream Solis, quæ erat in templo Babylonis, ibique fleviſſe Thamuz, & quod ob hanc cauſam in more poſitum eſſet, ut in principio diei menſis Thamuz flerent Hebræi. Menſis autem Thamuz idem eſt, ac Junius.

II. Latini fere omnes, qui D. Hieronymum ſequuntur, hunc Ezechielis locum intelligunt de luctu, ſeu planctu Adonidis poetis celebratiſſimo, ubi enim Hebræi legunt *Plangentes Thamuz*, noſtra vulgata habet *Plangentes Adonidem.* D. Hieronymus commentario 3. in Ezechielem notat Adonidem ab apto interfectum menſe Junio, atque inde Adonis Thamuz nominatur, & ei hanc ſolemnitatem dicatam, in qua plangitur à mulieribus, quaſi mortuus, & poſtea reviviſcens canitur, atque laudatur. Celebris eſt apud authores Phæniſſarum planctus, dum quærerent Adonim, & gaudium eo reperto, quę quidem conſuetudo fortaſſe ex Phænicia ad Hebræos tranſvecta eſt. Certè Byblienſens populi ſolebant quotannis epiſtolam olla, ſeu vaſe junceo, ſeu papyraceo in mare mittere, quæ Byblum ſponte revertebatur, & repertum Adonim nunciabat. Dum igitur

tur epiſtolam expectarent, flebant, cum verò reverteretur, fletum in gaudia mutabant. Hæc cæremonia difficillimo Iſaiæ textu, quem fortaſſe multi hactenus non explicarunt, denotari videtur, nam cap. 18. iſtius Prophetæ legimus; *Væ terræ, Cimbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ quæ mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas.*

III. Tirinus hoc in loco, & ad cap. 2. Exodi verſ. 25. vult textum debere intelligi de navibus ex papyro arbore compactis, ut mos erat apud Ægyptios, & Æthyopes. Verum pace tanti viri aliam ſubjungemus explicationem, nam ſeptuaginta legunt, *Qui mittit in mare obſides, & epiſtolas papyraceas* inſuper cum hæc verba ſuperius adducta ſint comminatoria, & objurgatoria, non niſi propter aliquod ſcelus exprimuntur, quodnam autem ſcelus eſſet mittere in mare legatos, niſi adnexa eſſet ſuperſtitio de mittenda littera, de quærendo mortuo Adonide, & de gaudio ob eumdem repertum?

Atque ut illa Iſaiæ verba, quantum poſſumus, explicemus, ſcire oportet, quod papyrus eſt Nilotica quædam arbor, nam ut ait Plinius, quem refert Salmaſius ad cap. 52. Julii Solini pagina mihi 705. *In inferiore Nili parte Papyri ſunt uſu, ſed fruticoſi generis ſunt* &c. Ob uſum, & ſimilitudinem ab Auctoribus cum Scirpo confunditur, & Scirpum etiam appellatur; nam papyrus illud eſt, quod Attici antiqui φλεω *Fleo*, Jonici φλων *Flum* nominarunt, paniculam, & lanuginem habet, & ea utebantur ad componenda vaſa fictilia, ne ab invicem colliſa frangerentur, interpoſita enim papyrus hoc prohibebat. Scribit Galenus ſolitam fuiſſe circumponi papyrum vaſis oleareis. Ex papyri etiam cortice veteres exterius cooperiebant mortuorum lectos, cum quibus rogo inferebantur, & cremabantur, unde illud Martialis, quem citat Salmaſius.

Faſtus papyro dum tibi thorus creſcit.

Ex medulla papyri ceræ admixta, ſeu involuta componebant

bant candelas funeribus ſervientes, unde illud carmen Paulini ab eodem Salmaſio citati.

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Ex tota, ac ſolida papyro navigia texebant Egyptii, unde *Papyraceæ Nili naves* ex Plinio: at vero ex cortice inferiori tegetes, veſtes, funes, vela, & alia hujus generis componebant, interior ergo cortex liber etiam appellatur, & hinc nomen libri, cum illa pars corticis papyri, quæ ſecretior erat, apta judicaretur, atque ad ſcribendum idonea, cum ergo illa Iſaiæ verba non de toto papyro ſed de illa parte, ex qua componebantur vaſa, explicari poſſint, recte ex iis inferimus fortaſſe damnata ibi uſum, & conſuetudinem mittendi in mare chartam illam Adonidis enunciativam.

Atque ut ad Idolum Thamuz revertamur, quod pro Adonide ſumebant Gentiles; fabula eſt, quod Adonidem ab apro occiſum amavit Proſerpina, ſuperſtitem amavit Venus, ſupplexque Deos exorabat, ut ſuæ illi deliciæ, ſuus reſtitueretur amor. Demum ut omnis invidiæ cauſa inter Deos tolleretur, Deorum conſilio factum eſt, ut alternis vicibus utraque Dea juvenis amore frueretur, unde cum Adonis pro Sole ſumatur, qui naſcitur, & occidit, cum Thamuz *Revolutio* interpretetur, fortaſſe illi, qui has nænias excogitarunt, eas ſumpſere ab abſceſſu, & regreſſu Solis, quem ut amiſſum lugebant, & revertentem feſtivis vocibus, noviſque plauſibus excipiebant, quod contingere potuit rudioribus, atque indoctis, priuſquam ab Aſtronomia leges Syderum, & omnium Planetarum didiciſſent. Unde Manilius lib. 1.

Nam rudis ante illos nullo diſcrimine vita
In ſpeciem converſa operum ratione carebat;
Obſtupefacta novo pendebat lumine Mundi,
Tum velut amiſſis mærens, tum læta renatis
Syderibus, varioſque dies, incertaque noctis

Tem-

Tempora, nec ſimiles umbras jam ſole regreſſo
Jam propiore ſuis poterat diſcernere cauſis.

Diximus ſupracitatam Iſaiæ authoritatem cap 18. debere referri ad cæremonias, ſive planctus adhiberi ſolitos in memoriam Adonidis, non tamen ignoramus ſupradictum Iſaiæ textum à multis Sanctis viris, & doctis Sacræ Scripturæ interpretibus, quibus aſſentimur, ita intelligi, ut velint ibi ſignificari deſtructionem Ægypti faciendam per Sennacherib, eo quod ipſi Ægyptii præſtitiſſent Iudæis auxilium, denotari autem hanc deſtructionem per illam particulam Væ; Miſſionem verò legatorum in mare eſſe referendam ad eos legatos, quos mittebat in auxilium Iudæorum. Quamvis hęc omnia fatear, tamen non eſt improbabile, ut ſuprà notavi, hunc Iſaiæ textum exprimere etiam cæremoniam de Adonidis planctu, & ideo ponuntur illa verba *in vaſis papyri ſuper aquas*, quæ ſeptuaginta vertunt, & epiſtolas byblinas. Nos in hac expoſitione ſequuti ſumus Procopium Gazeum in hoc cap. 18. Iſaiæ. D. Cyrillum tom. 2. lib. 2. in Iſaiam Prophetam.

CAPUT TERTIUM.

DE BEELZEBUB

1. *BEelzebub princeps eſt Dæmoniorum, & quomodo dicatur Princeps in Inferno, ubi nullus eſt ordo. 2. Beelzebub pro Deo coluerunt Gentiles, quem in rebus dubiis tantum conſulebant, & adducitur caput 1. lib. 4. Reg & quæritur, quare Ochozias miſiſſet nuncios ad conſulendum Idolum Beelzebub potius, quam alia Idola. 3. 4. 5. 6. Hujus Idoli ethimologia, in qua inveſtiganda variæ ejuſdem Idoli acceptiones enumerantur.*

I. Cum

I. CUm Chriſtus Dominus, ut enarrat Lucas cap. 11. & Matth. cap. 12. Dæmonium ejeciſſet, atque admiratæ eſſent turbæ, quidam ex Phariſæis invidia commoti Divino Liberatori imputarunt, quod ſcilicet in Beelzebub Principe Dæmoniorum dæmonia ejiceret, unde quæritur jam, an ſub alicujus idoli nomine fuerit Beelzebub à Gentibus cultus, & quale illud fuerit.

Et primo non levis oriri poteſt difficultas, cur ſcilicet Princeps dæmoniorum appelletur, cum principatus ordinem quemdam indicet, nam in Inferno nullus ordo eſt. Ad quod breviter reſpondemus, quod quamvis nullus ſit in Inferno ordo, tamen hæc confuſio, hæc æterna perturbatio hunc ordinem expoſcit, ut ibi aliquis Princeps ſit, ſed non ſicut in Republica bene ordinata, in qua optimi præſunt, ſapientiores judicant, prudentiores conſulunt. In Inferno autem contra eſt, & quia Beelzebub omnium eſt ſpirituum nequiſſimus, nequiſſimo obtemperare magna miſeria eſt, ideo locus ille ærumnarum hunc principem habet, huic cæteri dæmones obtemperant, non voluntarié, ſed coacti, & obſtricti, ut qui ab Optimo, & Summo Deo averſi ſunt, peſſimo deſerviant.

II. Quod autem aliquod Idolum extiterit, quod venerarentur gentes ſub nomine Beelzebub ex lib. 4. Reg. cap. 1. colligere liquet, cum enim Ochozias per cancellos cænaculi ſui, quod habebat in Samaria, cecidiſſet, miſit ſtatim nuntios dicens ad eos: *Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac.* Ex quibus verbis ſatis conſtat apud Accaronitas Deum fuiſſe, qui ſub Beelzebub nomine coleretur.

Cur autem nuntios miſit Ochozias ad conſulendum potius Beelzebub, quam alios Deos, & præcipuè Baal, quem Mater ejus Jezabel, ſuique populi vana ſuperſtitione deprecabantur, incertum eſt apud Interpretes. Abu-

lenſis hic iſtius rei cauſam deducit à veneratione illa, qua gentes Deos implorabant juxta rerum indigentiam, & quia Apollinem in rebus dubiis tantum conſulebant, & ſub hoc nomine Beelzebub ille coleretur, nihil mirum, quod ad Beelzebub nuntios mitteret Ochozias; ego tamen pace omnium Doctorum, qui hunc textum ſunt interpretati, puto Ochoziam non conſuluiſſe idolum Baal, memorem, quam infirma ejus eſſet potentia; nam ut 18. cap. 3. Reg. legimus, cum Elias reprehendiſſet populum, eo quod vero Dei cultu neglecto in duas partes claudicaſſet, & exprobraſſet illi, *ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum*, cumque juſſiſſet eos hoc experiri per ignem, & Baal Prophetæ poſito ad comburendum bove ligna ſuppoſuiſſent, & clamaſſent, Baal exaudi nos, nec ullus reſponderet, nec holocauſtum combureretur; contra vero Elias exaudiretur, nam ignis de Cœlo deſcendens, & holocauſtum, & ligna aqua aſperſa, & lapides altaris abſumpſit; hinc fallaces deprehenſi ſunt Prophetæ Baal, & luere coacti ſunt morte idololatriæ culpam, ad quam populum inducebant.

III. Sed veniamus jam ad iſtius idoli etymologiam, Beelzebub idem eſt, ac Dominus Muſca. Neque deſunt, qui putent hoc nomen fuiſſe idolo in contumeliam impoſitum, illis tamen libenter aſſentirer, ſi contrarium mihi non ſuaderet factum illud Ochoziæ expreſſum lib. 4. Reg. cap. 1. Quomodo enim illum Deum conſuluiſſet Ochozias, cui ſciret in opprobrium, & contumeliam nomen eſſe impoſitum, quomodo poſſe ab eo ſanari crederet, cujus nomen impunè homines deſpexiſſent?

IV. Alii putant à Belo hoc nomen profectum, quemadmodum nomina aliquorum idolorum, quorum fit mentio in Sacris Litteris, præcipuè Beelphegor, ſed in aliam, & quidem perplexam incidimus quæſtionem, an Belus ille primus fuerit, qui idola conſtruxerit. Hunc certe gentes

Mar-

Martem nuncuparunt interpolata Nembroth hiſtoria, non tamen ab eo idololatriæ modum acceperunt, niſi fortaſſe de ſolis Aſſyriis loquamur. Phylaſtrius, quem citat Seldenus cap. 6. Syntagmate 2. de Diis Syriis ab Accaronitarum errore originem Beelzebub repetit, colebant enim Muſcam ſuperſtitioſi populi in Civitate Accaron dicta. Alii volunt derivari à quodam homine, qui muſcas à ſacrificiis expelleret; alii à familiaritate, qua ſub muſcæ imagine ab hominibus Dæmon in annulis geſtaretur. In Africam hoc numen, & nomen fuiſſe traductum ex idolo illo affirmare poſſumus, cum Plinius lib. 10. hiſtoriæ cap 17. apud alios 28. dicat, quòd *Cyrenaci Achorem Deum invocant muſcarum multitudine peſtilentiam afferente, quæ protinus intereunt, poſtquam litatum eſt illi Deo*; hinc pariter profecta varia Deorum nomina, nam Hercules Romanus, ut refert Solinus cap. 1. cum Potitiorum, & Pinariorum ſacra inſtitueret Myagrum Deum, ideſt Jovem Apomion, dicitur imprecatus, qui pariter muſcas expellebat. Videatur in hac re Salmaſius ad cap. 1. Solini.

V. An ſub hoc idolo Apollo coleretur, incertum eſt. Sacra annua muſcis fieri ſolita in Apollinis Actii templo refert Ælianus lib. 11. de animalibus. Iuppiter, & Hercules ſub hoc nomine ab Europæis adorabantur, ut tradunt ſcriptores. Arcades ſolemni ſacrificio quotannis reddebant propitium Deum Myagron, ſicut & Elæi olimpico certamine Jovem Apomion. Litteris pariter proditum eſt, quod cum Nero, qui primus agona muſicum inſtituit, hoc eſt, addidit olimpicis, & ibidem coronam meruit, taurum Muodi Deo immolaſſe in Olympiorum celebritate; muſcas turmatim Piſas conceſſiſſe Plinius lib 29 cap 6 poſt principium, Pauſanias lib. 5. & 8. ubi loquitur de Jove Muſcario, Alexander ab Alexandro dier. genial lib 5. tom 2. cap. 8. Nota, quod Olympici ludi, ita dicti à Jove Olympico, ſeu à delubro Jovis, quod in Achaja fuit celeberri-

 mum,

mum, & hoc delubrum erat in agro Piſano, & ab Elide trecentis ſtadiis diſtabat, quolibet luſtro celebrabantur juxta Piſas, & Elidem in Campo, cui Olimpia nomen, Hercules fuit horum inſtitutor.

VI. Atque ut ad Beelzebub idolum revertamur, non deſunt, qui in antiquis exemplaribus legant Beelzebul, inter quos Chryſoſtomus, Origenes, Athanaſius, ac Cyrillus; Beelzebul autem idem eſt, ac Juppiter Belus, ſive Dominus ſtercoreus, quod quidem nomen fortaſſe adinventum eſt ad omnium idolorum irriſionem; ſimilia autem nomina illis fuiſſe impoſita non dubitabit quicumque leger cap. 30. Iſajæ verſ. 22. nempe: *Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ.*

CAPUT QUARTUM.

DE BEELPHEGOR.

1. *Numerorum caput 23. 24. & 25 explicatur per Apocalypſis Jo: caput 2. 2. Beelphegor eſt Idolum turpitudinis. Huic etiam turpes ceremoniæ, ac quæ hortorum Deo adhibebantur. 3. Explicantur verba pſalmi 105. Scilicet;* Initiati ſunt Beelphegor, comederunt ſacrificia mortuorum, *nec non demonſtratur qua de re nigræ victimæ, & cibi huic Idolo offerrentur.*

I. Inter ſpiritualia arma, quibus immundiſſimi ſpiritus vincuntur, & profligantur, non infimum locum ſibi vendicat gratiſſima Cœlo Virtus Caſtitatis, cum enim non tam corpus, quam mens ipſa pura cuſtoditur, abſtinet, reſpuitque omnes ſenſus illecebras, tum promptior

ptior redditur ad cœleſtia capeſſenda, tum Creatori ſuo adhærens, & hoc veluti vinculo copulata nihil timet adverſum, nihil mali reformidat; hinc inviſibiles adverſarii noſtri, ut telum hoc, quod tantopere pertimeſcunt, e manibus noſtris extorqueant, in nos quotidie conjurant, fovent rebelles concupiſcentias, cum quibus pugnamus, fœdas libidinis faces accendunt, ut terrenarum cupiditatum pondere gravata mens in ſordibus jaceat, nec ad Authorem ſuum, cujus ſimilitudinem gerit, evolare poſſit. Transferamus animum ad Sacrum Numerorum librum, & præcipuè ad cap. 23. 24 & 25. unde diſſertationis noſtræ de Beelphegor fundamenta deſumimus. Balaach Moabitarum Rex Iſraelitarum victoriis perterritus, quamvis nec ſuorum arma, nec conſilium contra populum Dei prodeſſe crederet, & cognoſceret, quod

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem;

tamen hoc unum pro certo habuit, facilè vincendum Iſraeliticum populum, ſi Deus illum deſerviſſet, revocaſſetque auxilia ſuæ Omnipotentis Dexteræ, quæ cum illo inviſibiliter decertabat: his itaque conſtitutis vocatur à Rege Propheta Balaam, ut populo Dei maledicat, renuit Propheta Regis mandata exequi, ſed tandem minis, maximiſque promiſſis fatigatus ſe conſilium daturum promittit, *veruntamen pergens ad populum meum*, hæc ſunt verba capitis 24. Numeror. *dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore*. Quale verò conſilium dederit Balaam nobis clarè non innoteſceret ex hac eadem Numerorum hiſtoria, niſi in Apochalypſi Jo: cap 2. legeremus, *Sed habeo adverſus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Bb aach mittere ſcandalum coram filiis Iſrael edere, & fornicari*, unde Origenes hom. 20 ad Numeror. cap 25. *In his*, inquit, *oſtenditur, quod ſæpe memoravimus, quia Balaam poſteaquam Dei virtute conſtrictus non eſt permiſſus maledicere Iſrael, volens tamen placere*

F 3 *Regi*

Regi Balaach ait ad eum, ſicut ſcriptum eſt, Veni, conſilium do tibi, & quid conſilii dederit, ibi non apparuit, in poſterioribus tamen ipſius lib. Numerorum ſcriptum refertur, ſed plenius in revelatione Joannis, ubi ita continetur, *Habes*, inquit, *ibi doctrinam Balaam, qui docuit Balaach, ut mitteret ſcandalum in conſpectu filiorum Iſrael, ut manducarent Idolis immolata, & fornicarentur*. Hæc ſunt verba tanti Doctoris, ex quibus, atque ex ſuperioribus manifeſte deducitur, conſilium Balaam hoc extitiſſe, ut ſcilicet Balaach venuſtiſſimas quaſque puellas ad filios Iſrael mitteret, quarum pulchritudine, atque illecebris capti, non ſolum ad turpem, atque execrandam libidinem prolaberentur, ſed religione ſpreta, vero Dei cultu exuto initiarentur *Beelphegor*, Idolo Moabitarum, & hoc graviſſimo piaculo æmulatorem, ac vindicem Deum provocarent. Conſilium comprobavit eventus. Præclaros populi Duces, quos vincere non potuit aſſiduus labor, non proſtravit inimicorum impetus, enervarunt fomenta libidinum: & qui pietate non minus, quam caſtitate ſervata, Deum habebant propitium, atque Authorem triumphi, his virtutibus nova arte expoliati Deum habuere ſeverum ultorem, ac ſcelerum vindicem. Legimus enim numerorum cap. 25. *Morabatur eo tempore Iſrael in Settim, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adoraverunt Deos earum, initiatuſque eſt Iſrael Beelphegor, & iratus Dominus ait ad Moyſem; tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Iſrael, dixitque Moyſes ad Judices Iſrael. Occidat unuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor*.

II. Erat Beelphegor turpitudinis idolum, ut conſtat ex ſupradictis, & ex D. Hieronymo ad cap. 4. Oſeæ, & cap. 9. & vult ibidem S. Doctor eaſdem eſſe ceremonias hujus idoli, ac illas, quas Priapo hortorum Deo corrupti, ac depra-

pravati homines adhibebant, loco enim ſupra laudato nempe ad cap. 4. Oſeæ, citat S. Doctor cap. 15. lib. 3. Reg. ubi ſic legitur: *Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David Pater ejus, & abſtulit effæminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes idolorum, quæ fecerant Patres ejus. Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet Princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat, ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulachrum turpiſſimum, & combuſſit in Torrente Cedron.* Ex quibus colligitur hæc omnia referre Hieronymum optime poſſe ad idolum Beelphegor, quia illud erat idolum turpiſſimum. Videatur idem S. Doctor in pſalmum 105. & adverſus Jovinianum cap. 12, ubi habet *Phegor* in lingua hebræa *Priapus* appellatur; Iſidorus verò lib. 8. originum ait: *Beelphegor interpretatur Simulachrum ignominiæ. Idolum fuit Moab cognomento Baal ſuper montem Phegor, quem Latini Priapum vocant Deum hortorum.*

Ex ſupradictis authoritatibus ſatis colligitur turpes fuiſſe ceremonias idoli Beelphegor, ſi turpes erant ceremoniæ Priapi, ad quem ille refertur; initiatio ergo Beelphegor, quam comeſtio comitabatur, de qua ſermo eſt pſal. 105. erat publica quædam Virginitatis, ac caſtimoniæ proſtitutio. Hanc olim in more poſitam eſſe apud barbaras gentes graviſſimi authores teſtantur, inter quos D. Auguſtinus lib. 4. de civit. Dei cap. 10. Juſtinus lib. 22. Strabo atque Herodotus. Videatur etiam D. Auguſtinus 6. de civit. Dei cap. 9. & lib. 7. cap 21.

III Quia verò turpes Beelphegor ceremonias comeſtio comitabatur, legimus enim pſalm. 105. *Initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum*; ideo, ne aliquid in hac diſſertatione relinquatur, quod explanatione indigeat, cibos illos dicimus fuiſſe victimas Diis manibus, ſive Jovi Stygio ſacratas, hac enim ſuperſtitione barbaras gentes coinquinatas fuiſſe legimus. Victimæ tamen,

quæ offerebantur Dìs Inferis, nigræ erant: Virgilius 6. Æneidos,

Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto;

Et poſtea:

Ipſe atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque ſorori
Enſe ferit, ſterilemque tibi Proſerpina vaccam.

Quas quidem victimas, & cibos credebant non tantum Deorum honores, quam mortuorum ſolatia. Hinc D. Auguſtinus ſerm. 15. de Sanctis ait, *Mirer, cur apud quoſdam fideles hodie tam pernicioſus error increverit, ut ſuper tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quaſi egreſſa de corporibus animæ carnales cibos requirant*. Iſta pernicioſa conſuetudo adeò invaluit, ut in primis Eccleſiæ ſæculis illa eadem convivia, quæ Gentiles in falſorum numinum honorem celebrabant, Chriſtiani ad honorem Martyrum transferrent, videatur D. Auguſtinus in Epiſtola ad Aurelium num. 6.

CAPUT QUINTUM.

De Aſtarth, ſive Aſtaroth

1 *Aſtarth eſt Idolum Sidoniorum: idem eſt ac Dea Aſtarthes, quod etiam appellabatur Lucus, & unde hujuſmodi appellatio dimanet, oſtenditur, nec non exponitur locus difficillimus lib. 4. Reg. cap. 23. verſ. 7. 2. Explicantur verba verſionis ſeptuaginta, nempe* ſervientes Baalim, & Lucis, *3. & recenſentur varia apud Gentes hujus Idoli nomina. 4. Vocatur etiam Idolum hoc Regina Cæli, & ejus ceremoniæ aſſignantur. Explicantur verba lib. 4. Reg. cap 17 verſ. 29. videlicet;* Viri enim Babylonii fecerunt Sucoth Benoth, *& pariter text. Jerem. cap. 7. verſ. 17.*

Non-

Nonne vides, *&c. Idolum hoc reducitur ad Beelphegor*. 5. *Alia Idola numerantur, & quenam hæc ſint explicatur*.

I. IDolum Sidoniorum fuiſſe Aſtaroth Sacræ nobis Paginæ demonſtrant. Falſum hoc Numen fœmineis blanditiis compulſus Salomon adoravit. Verum quale fuerit, ſive ad quem Deum, vel Deam referri debeat, perplexa quæſtio eſt apud authores, nec uno momento dirimenda.

II Nos pro certo ſupponimus idolum Aſtaroth ad Aſtarthem Deam referendum eſſe, nam 4. Reg. cap. 23. de Rege Ioſia legitur, quod deſtruxit *excelſa quoque, quæ erant in Jeruſalem ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael Aſtaroth Idolo Sidoniorum*. Septuaginta legunt *Aſtarth abominationi Sidoniorum*. Hoc idem 3. Reg. cap. 11. Judic. cap. 2. Exprimitur aliquando Aſtarth, ſive Aſtaroth nomine Luci, nam Judic. 3. verſ. 7. ubi legimus: *Obliti ſunt Domini Dei ſui ſervientes Baalim, & Aſtaroth*. Septuaginta vertunt *Servientes Baalim, & Lucis*; pro cujus rei expoſitione ſciendum eſt Aſtarthem Deam eandem eſſe, ac illam, quam Deorum matrem appellabant Gentiles, cui exſecti homines ſacrabantur, ut Hieronymus teſtis eſt ad cap. 4. Oſeæ, & hinc lucem accipit difficillimus locus in cap. 23. libri 4. Reg. verſ. 7. Dicitur enim de Ioſia: *Dextruxit quoque ædiculas effæminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci*. Liranus hic videtur exponere loca arboribus conſita, ſive verum Lucum, in quo velut à publico conſpectu remoti homines comeſſationes, & ſcorta quærerent. Verum alienam eſſe ab hoc loco ſupradictam interpretationem non tam ex ſupracitato Judicum capite deducimus, quam ex interpretatione Septuaginta, qui quidem vertunt: *Et dextruxit domum initiatorum, quæ in domo Domini, in qua mulieres texebant ibi*

ſtolas

ſtolas luco; Si ergo Luco texebantur ſtolæ, utique texebantur Deo, qui Lucus appellaretur, deinde verſ. 6. ejuſdem cap. de Ioſia legitur: *Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Jeruſalem in convalle Cedron, & combuſit eum ibi, & redegit in pulverem*; quæ verba quis non videt eſſe intelligenda de Aſtaroth, qui Lucus appellatur, niſi forte cum Abulenſi ad cap. 23. lib. 4. Reg. quæſt. 13. dicat, quod ubi celebre erat altare Idolo dicatum, ibi & plantabantur arbores, & erigebatur circa altare Lucus. Certe apud antiquos ſummo in honore fuiſſe Lucos, & arbores, nemo eſt, qui ignoret. Hinc teſte Q. Curtio lib. 8. *Indi maximas arbores pro Diis colebant*. Templum fuiſſe à Pelaigis Iovi Sacrum, in quo arbores reſponſa dabant, refert Alexander ab Alexandro dier. genial. lib. 6 Hinc intelligendus Lucanus, qui libro 3. cecinit

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,

& Claudianus lib. 1. de laudidus Stylicon.

Lucoſque vetuſta
Religione truces, & robora Numinis inſtar
Barbarici noſtræ feriant impunè ſecures,

ubi truces appellat lucos propter humanas victimas eiſdem ſacratas, robora verò numinis inſtar Barbarici, Deos arbores appellat, ſive quercus Romanis ſacras teſt. Plin cap. ult. lib 16. Iſte honor lucis exhibitus, vel provenire potuit ex perperam intellecta Abrahami hiſtoria qui conſecravit lucum vero Deo, legimus enim Geneſis 21 verſ. 33. *Abraham verò plantavit nemus in Berthſabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni*. Vel etiam provenire potuit ex conſuetudine hominum, qui, cum nondum templa extructa eſſent, vel in vallibus, vel lucis altaria Deo erigebant, hinc de eodem Abrahamo legimus Geneſ. 13. verſ. 18. quod *venit, & habitavit juxtà convallem Mambre, quæ eſt in Hebron ædificavitque ibi altare Domino*; cum verò hæc conſuetudo in impiam ſuperſtitionem tranſmigraſſet, inde querelæ Pro-

læ Prophetarum, Iſajæ cap. 56. Dei minæ, Ezechielis 6 verſ. 13. Præcepta exciſio lucorum, Exodi 34. verſ. 13. Deuteronomii 7. verſ. 5. & 12. verſ. 3. & 16. verſ. 21. Judæi caſtigati Oleæ 4. verſ. 13.

III. Sed non levis nobis occurrit dubitatio, cur Judicum 3. verſ. 7. hoc idolum plurali numero exprimatur, legimus enim *ſervientes Baalim*, *&* *lucis* in verſione ſeptuaginta; cui difficultati ſatisfacimus breviter, quod ideo plurali numero exprimatur Aſtarth, quia plures ſub hoc nomine Deæ, ac Dii à diverſis gentibus colebantur. Et quidem Aſtarthem eandem fuiſſe, quam Gentiles Reginam Cœli, Deorum Matrem appellabant, Teſtis eſt vir eruditiſſimus Daniel Huetius propoſitione 4. demonſtrationis Evangelicæ. Hæc omnia Veneri certum eſt convenire, & præcipuè Veneri Uraniæ, ſeu Babylonicæ, quam Aſſyrii Mylyttam vocabant. Eamdem credi Libitinam à peritiſſimis Romanorum refert Plutarchus in Numa. Urania inſuper, ſive Cœleſtis Venus illa eadem eſt, cujus ſignum refert Herodianus lib. 5. fuiſſe à Phænicia Carthagine à Didone illatum; hanc Deam Phænices Aſtarthem appellabant, & cum Junone aliquando confunditur, quæ certum eſt adamaſſe Carthaginem. Videatur Virgilius lib. 1. Æneidos, ibi enim de Carthagine loquens ſic cecinit,

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo, hic illius arma,
hic currus fuit.

Quare D. Auguſtinus lib. 7. quæſtionum cap. 16. ſine ulla dubitatione Junonem à Pœnis Aſtarthem vocari air. Syria Dea, quæ Juno erat Deorum omnium formas in ſe continebat, Lucianus enim in dialogo de Dea Syria tradit aliquid habuiſſe Veneris, Lunæ, Rheæ, Dianæ, Nemeſis, & Parcarum. Ambigui ſexus perhibetur Carthaginenſis illa Dea, ut oſtendit in vocationis forma, quam affert Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 9. videlicet, *ſi Deus,*

ſi

ſi Dea eſt, cui populus, civitaſque Carthaginenſis eſt in tutela, eadem Dea Europa eſt Io, atque Iſis; Iſidi omnia convenire teſtatur vetus inſcriptio Capuana, quam affert Huetius loco citato *Te tibi una, quæ es omnia Dea Iſis.* Arrius Balbinus U. C. hanc eamdam Phriges Deum Matrem, Attici Minervam, Cretas Dianam, Siculi Proſerpinam, Eleuſini Cererem, alii Junonem, alii Hecatem appellabant. Veneri igitur, quæ eadem eſt, atque Aſtartha Deorum multorum formæ inerant, quare Dio lib. 53. arbitratur Pantheon, quod ab Agrippa extructum eſt Romæ, non ob aliam cauſam ſic nominatum, quam quod multorum Deorum formas ſub Veneris, & Martis ſtatuis contineret.

IV. Sed quoniam ſupra de Venere Urania, quæ etiam Milytta, & Regina Cœli appellabatur, verba fecimus, non parum nobis eruditionis afferet diligens perquiſitio Fani illius, ſive Simulachri, quod quamvis obſcurè exprimitur, tamen indicatur lib. 4. Reg cap 17. verſ. 30. Nempe *Viri enim Babylonii fecerunt Sucoth Benoth*. Hunc autem locum de Fano Veneris Milyttæ eſſe intelligendum multæ conjecturæ ſuadent; primò, quia ſolet aliquando B. in V. mutari, ſicut Tau in Signa 2. Quia à Sucoth Benoth fortaſſe nomen Siccæ Veneriæ ortum eſt, erat enim Colonia Africana trium dierum ſpatio à Carthagine diſſita, quæ ſicca Veneria appellabatur. Veneria dicitur tantum à Solino, ſicca à Plinio lib 5. cap. 2. Valerius Max. lib. 11. cap 6. ait: *Siccæ eſt Fanum Veneris, in quod ſe Matronæ conferebant*. Phænices hunc cultum, hos ritus à Babyloniis accepiſſe deduci poteſt ab Athanaſio oratione adverſus gentes, Soxomeno lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 5. & lib. 5. cap 9 Idolum hoc Sucoth Benoth multi interpretantur Tabernacula filiarum, nam Herodotus lib. 1. & Strabo lib. 16. affirmant, quod Sucoth Benoth ipſum erat Babyloniæ Milyttæ, ſeu Veneris Uraniæ templum, ubi puellæ ſedentes ſingulis in ſpatiis, quæ funiculis erant di-

ſtin-

ſtincta, hoſpites expectabant. Similes abominationes apud varias gentes in uſu fuiſſe deducere poſſumus ex iis, quæ ſupra dicta ſunt. Concludimus ergo, quod ſi Idolum Aſtarthas, ſive Aſtaroth ad plures Deos referebatur, ſi hoc idem Idolum Regina Cœli appellabatur, poſſe optime etiam referri ad Idolum Beelphegor, nam turpes iſtius ceremoniæ, quemadmodum & illius, & in venerationem utriuſque commeſſationes fiebant. hinc intelligendus eſt text. Jerem. cap. 7. verſ. 17. *Nonne vides, quid iſti faciunt in Civitatibus Juda, & in plateis Jeruſalem? Filii colligunt ligna, & Patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cæli:* idem habetur cap. 44.

V. Sunt alia Idola in Sacris Litteris expreſſa, de quibus peculiares diſſertationes non inſtituimus, eo quod univerſalia ſint, & ad cætera, de quibus egimus facile reducibilia. Inter quæ Chamanim, ſive Chama, quod aliqui putant fuiſſe ſtatuam Soli expoſitam, eo quod Chama, vel calor, vel Sol interpretetur. Alii ſcribunt fuiſſe ædes Solis cultui deſtinatas. Conſtat autem Solem à Judæis cultum, quam ſuperſtitionem Joſias abſtulit, nam 4. Reg. legimus cap. 22. verſ. 11. in quo ſermo eſt de Joſia: *Abſtulit quoque equos, quos dederant Reges Juda Soli, in introitu Templi Domini juxta exedram Nathanmelech Eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combuſſit igni.*

Erat etiam Aſima, videlicet Idolum, quod viri Emath fecerant, ut legitur 4. Reg. cap. 17. verſ. 30. Et hoc juxta doctiſſimos viros ad Apim poteſt reduci.

Gad interpretatur *Bona Fortuna*, unde Geneſ. cap. 30. verſ. 9. ſcriptum eſt, *Sentiens Lia, quod parere deſiiſſet, Zelpham ancillam ſuam Marito tradidit, quæ poſt conceptum edente filium dixit, Feliciter, & idcirco vocavit nomen ejus Gad.*

Primo Reg. cap. 5. occurrit nomen Idoli Dagon hoc

Ido-

Idolum habuiſſe formam piſcis, hoc eſt à parte inferiori, à ſuperiori autem formam humanam multi ex criticis volunt, nec ea interpretatio aliena eſt à verbis Scripturæ, legimus enim ibidem, *Ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini*, & verſ. 4 *Invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen*. Volunt igitur hanc vocem Dagon à *Dag* derivari, quod piſcis interpretatur, vel à *Dagab*, quod eſt multiplicare ad modum piſcium. Videatur Sanctes Pagninus, & in eo Mercerus in verbo *Dagab*. Hinc cum *Dagon* formam piſcis habuiſſet, forſan ad Venerem eſt reducendum, aut quia nota vulgo fabula eſt, quod olim piſces Dercen filiam Veneris in mare decidentem ab iniuria aquarum ſervaverint, ut ſcribit Theon in Aratum; ſive ob metamorphoſim Veneris in piſcem fugientis Typhonem, unde Manilius Aſtronomic. 4.

Scilicet in piſcem ſeſe Cytherea novavit,
Quum Babyloniacas ſubmerſa profugit in undas
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem,
Inſeruitque ſuos ſquamoſis piſcibus ignes.

Sive quod ex Euphrate piſces evolverunt miræ magnitudinis ovum, quod fovens columba Deam edidit, & hinc nefas ducebant Syrii piſces manducare. Videatur Ovidius 2. Faſtorum

Genus hoc imponere menſis
Ne violent timidi piſcibus ora Syri.

Priſcæ etiam fabulæ oſtendunt, quam apta fuerat figura marina Dagonis promiſcui generis Numini, nam ſpuma ortam Venerem dicunt, & nullum terreſtre, aut volatile animal tàm fæcundum, quam marinum.

Sunt & alia Numina, nempe Bel, & Nabo Iſajæ 46. verſ. 1. *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo*. Primum magis generale eſt, ut ſupra notavimus in Beelphegor: alterum

rum non tam eſt nomen loci, quam Idolum proprium loci.

Quarto Reg. cap. 17 legimus verſ. 24. *Et unaquæque gens fabricata eſt Deum ſuum, poſueruntque eos in Fanis excelſis, quæ fecerant Samaritæ, gens, & gens in urbibus ſuis, in quibus habitabat, viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth. viri autem Chutæi fecerunt Nergel. & viri de Emath fecerunt Aſima. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz, & Tharthac.* Hæc autem omnia cum eſſent idola Aſſyriorum poſſunt reduci ad illa præcipua, de quibus jam diſſervimus, & Sochothbenoth, quod interpretatur *Tabernacula filiarum*, poteſt etiam reduci ad turpes Beelphegor ceremonias, quibus impuriſſimi homines initiabantur in templo Veneris Melittæ.

Remnon aliquando accipitur pro Loco, ut Joſue cap 15. verſ. 32. 19. verſ. 7. & 13. Interpretes hoc idem nomen ſumunt pro Idolo, quod erat Numen Syriorum, quod quidem nomen derivatur, vel à Rom, quod idem eſt, ac Altitudo, vel à Ram, quod eſt Excelſus, & ad Lunam, aut Solem referri poteſt.

DIS-

DISSERTATIO VI.

DE USU, AC CULTU SACRARUM IMAGINUM.

CAPUT PRIMUM.

1. Sacrarum imaginum adverſarii numeratur. Non omnium adverſariorum fuit una, ac eadem cauſa. 3 Memoranda eſt perſecutio contrà Chatholicam Eccleſiam ſub Leone Iſaurico.

ANtequam fuſius probemus Sacrarum Imaginum cultum primo præcepto Decalogi non adverſari, neceſſe eſt, ut multa hic neceſſaria adnectamus tam ad uſum, quam ad cultum ipſarum Imaginum pertinentia. Quærere enim debemus, quinam fuerint Sacrarum Imaginum oppugnatores, quomodo ſint intelligenda verba Decalogi. *Non facies tibi ſculptile*, quiſnam fuerit Sacrarum Imaginum uſus, & cultus primis Eccleſiæ ſæculis, in quo etiam multa explicabimus, quæ tractantur in jure Canonico tit. de reliquiis, & veneratione Sanctorum.

I. Atque ut à primo ordiamur, ſciendum eſt quod Iudæi, Saraceni, Græci, Samaritani, Manichæi, Phantaſiaſtæ, & Theopaſchitæ impiè olim adverſus Sacras Imagines inſurrexere, ut conſtat ex Tarraſii verbis actione 5. ſeptimę Synodi, ibi enim dicitur *Iconoclaſtas imitatione Judæorum, Saracenorum, Græcorum, item & Samaritanorum, nec non Manichæorum, & Phantaſiaſtarum, ſive Theopaſchitarum*

Google

tarum venerandarum Imaginum aſpectum exterminare voluiſſe.

II. Quamvis autem hi omnes Imaginum hoſtes numerentur, omneſque ſimul tentaverint cultum earum abolere, non tamen una fuit omnibus communis cauſa, atque unum impietatis fundamentum. Nec repentina aliquem ſubeat admiratio, cum audit Saracenos idololatriæ mancipatos Imagines deſpexiſſe, ideò enim recenſentur à Taraſio inter hoſtes Imaginum, non quia nullus apud eos extiterit uſus earum, ſed quia execrabantur Chriſti effigies, B. Mariæ, atque Sanctorum, quæ apud Chriſtianos in honore erant, qua in re etiam cum Iconoclaſtis conveniebant. Manichæi vero, & Phantaſiaſtæ, & Theopaſchitæ ideo inter Iconoclaſtas recenſentur, non quod Dei Imaginem faciendam eſſe negaverint, quod multis ex veteribus placuit, ſed quod Chriſti Imaginem nullo modo retinendam, & fabricandam eſſe contendebant, diverſo tamen à Judæis fundamento: iſti enim odio Chriſti Imagines Chriſti deteſtabantur, illi verò profitebantur ſe eſſe Chriſti Sectatores, quia verò negabant Chriſtum veram carnem ſumpſiſſe, ideo omnem Chriſti Imaginem reſpuebant.

III. Inter perſecutiones autem, quæ Eccleſiæ Catholicæ tranquillitatem perturbaverunt, ea non ſine lacrymis memoranda eſt, quam ſub Leone Iſaurico paſſi ſunt ſanctarum Imaginum cultores. De illo Leone loquor, qui obſcuro loco natus, Patriæ cognomentum retinens vili, opificio vitam exercens Conon antea dicebatur. Is ab Judæis, & Magis impoſtoribus in certam obtinendi imperii ſpem erectus, poſtquam illud adeptus eſt, eos, quos habuit aſſertores obtentæ Majeſtatis, inſtigatores ſceleris, ac perfidiæ complexus eſt, nam Chriſti, B. Virginis, ac Sanctorum Imagines abolere inſtituit. Salutatus Imperator anno 717. duobus poſtea luſtris labentibus, anno videlicet 726 Salvatoris Imaginem, quam ſupra æream portam fideles vene-

rabantur, impia ſatellitum ſuorum manu dejecit; ſed tumultuante plebe ob tam immane ſcelus coactus eſt ipſe Imperator erumpentem furorem comprimere, & conceptam in animo iniquitatem per aliquod tempus diſſimulare. Demum imperii anno 14 Chriſti 730 impium de evertendis Sacris Imaginibus decretum propoſuit, cui cum ſe opponeret S. Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha vir meritis, ætate, ac ſapientia gravis, erat enim centenarius, nec Imperatoris animum poſſet ab impietate revocare, Epiſcopatu ſe abdicavit. Tum Summus Pontifex Gregorius II. videns, quod nec paternæ admonitiones, nec preces, aut minæ proficerent, coacto Romano Concilio Imperatorem, & ejus aſſeclas anathemate percuſſit, & Romam, & quidquid Italiæ erat ſub Græcorum ditione, ei deinceps obtemperare prohibuit. Anno 741. Leoni ſucceſſit Conſtantinus Copronimus qui paternam æmulatus impietatem anno Imperii ſui 14 collectis in unum tercentis triginta octo Epiſcopis improbum adverſus Sacras Imagines conciliabulum coegit. Ei ſucceſſit Leo, quo mortuo obtinuit Imperium Conſtantinus cum Irene Matre, anno videlicet 780. Cognita interim fuit Taraſii virtus, ac ſincera fides, quare omnium conſenſu è laico repente acclamatus eſt Conſtantinopolitanus Patriarcha, ipſe vero non prius ad hanc capeſſendam dignitatem adduci potuit, quam ab Imperatoribus facultatem obtineret Generalis Synodi convocandæ pro Sacrarum Imaginum cultu. Cum igitur anno 786 permiſſionem Adriani Summi Pontificis Imperatores habuiſſent, cumque ejuſdem Legati Conſtantinopolim miſſi eſſent, tercenti, & quinquaginta Patres convenere, ſed ab Hæreticis ſeditione concitata, neceſſe fuit in annum ſequentem ſeſſiones prorogare, & ut tutius omnia agerentur, Nicęam Bythinię urbem tranſlati Patres ibidem Synodum complevere, quę fuit ſecunda Generalis Nicæna, ordine ſeptima, in qua Imagines reſtitutæ, ſtatu-

tum

tum etiam, ut illæ ſacro cultu, atque adoratione dignarentur, damnati Iconomachi, & Iconoclaſtæ. Hæc eſt totius rei geſtæ ſumma, quam ideò libenter premiſimus, ne aliquid in tam gravi materia omittere videremur.

CAPUT SECUNDUM.

Probatur clariſſimis rationibus, uſum, & cultum Sacrarum Imaginum primo Præcepto non adverſari.

1 *Quomodo intelligenda ſint verba Decalogi Exodi* 20. Non facies tibi ſculptile *&c. Apud Judæos omnem Imaginum cultum, & uſum interdictum fuiſſe variis authoritatibus demonſtratur.* 2. *Primo Præcepto non univerſaliter damnantur Imagines, ſed tantum Idola. Aſſignatur differentia Imaginis, & Idoli.* 3. *Uſum, & cultum Imaginum non adverſari primo Præcepto clariſſimis probatur argumentis, nec non refelluntur Adverſariorum objectiones.* 4. *Confirmatur hæc eadem aſſertio teſtimonio Leontii Epiſcopi Neapolis in Cypro.*

I. QUi Sacrarum Imaginum uſum, & cultum deteſtabantur, inter cætera Catholicos ethnicæ ſuperſtitionis inſimulabant, eo quod apud ſe Imagines Sacras retinerent, eiſque honorem tribuerent, contendentes hunc uſum, & cultum eſſe interdictum primo Decalogi Præcepto, cum Exodi 20. legatur: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in Cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra, non adorabis ea, neque coles.* Ut igitur aſſertum noſtrum probemus, neceſſe eſt, ut prius explicemus quomodo hæc ſacra verba ſint intelligenda, & quæ ſit explicatio Catho-

licæ Doctrinę conformor. Omnem Imaginum cultum, & uſum primo Decalogi Præcepto fuiſſe interdictum, nullaſque apud eos extitiſſe Imagines affirmarunt olim aliqui ex Judæis, quibus antiqui Scriptores viſi ſunt attenti. Philo Judæus in lib. Qui rerum divinarum hæres, in Lib. de Decalogo, in lib. de legatione ad Cajum hoc teſtatur ſcribens pariter in lib. de Gigantibus, omnes pingendi, & ſculpendi artes ex Hebræorum Republica à Moyſe fuiſſe ſublatas. Joſephus autem lib. 8. in eamdem prorſus opinionem videtur inclinare, quandoquidem Salomonem tanquam divinæ Legis violatorem inducit, quod æreas bovum effigies baſi maris [id erat labrum ingens] adjecerat, & Leonum in throno poſuerat, & poſtea addit, nefas enim erat iſta facere. Multi autem profani ſcriptores, inter quos Strabo, Diodorus Siculus, Tacitus, & Dio, quamvis aſſerant nullas Deorum ſtatuas, aut Imagines inter Hebræos extitiſſe, hoc tamen volunt de ſtatuis, atque imaginibus Deorum eſſe intelligendum, at verò nullas extitiſſe aliquorum Judæorum etiam opinio eſt, ſi bene attendantur, quę ſcripſit Maimonides in ſuo tractatu de Idololatria. Severos autem, ac ſuperſtitioſos hac in re fuiſſe Judæos Joſephi temporibus, recentiorum videlicet Rabbinorum tempore, ex ejuſdem lib. 17. cap. 8. antiquitatum deducere poſſumus; narrat ſiquidem ad iracundiam provocatos Judæos, eo quod Herodes ad majorem portam Templi Jeroſolimitani Aquilam auream prægrandem juſſiſſet exculpi. *Prohibet enim lex erectionem imaginum moliri, aut quarumcumque imaginum effigies collocari velut anathemata iis, qui ex illius præſcripto vitam ſuam componere voluerunt.* Hoc quidem lib. primo de bello Judaico, & lib. 2. enarrat concitatam adverſus Pilatum plebem Judaicam, eo quod Cæſaris effigiem introduxiſſet in urbem, omnem odii, ac tumultus cauſam in eo repoſitam eſſe ſcribens, quod *nullum fas ſit in urbe collocari ſimulacrum*. Juſtinus Martyr in

dia-

dialogo cum Triphone videtur exiſtimaſſe apud Judæos non fuiſſe in uſu, ſed potius interdictas Imagines, cum enim prius adverſus Judæos oſtendiſſet Chriſti paſſionem in veteri teſtamento prædici, & multis figuris adumbrari, hoc utitur argumento: *Dicite, nonne Deus erat, qui Moyſi juſſerat, ne qua prorſus imago, neque ſimilitudo, tum eorum, quæ ſupra ſunt in Cælo, tum quæ in terra ſunt, infra fieret, & idem tamen in deſerto per Moyſem æneum ſerpentem elaborari voluit, & in ſignum erexit, per quod icti à ſerpentibus ſanarentur? In quo extra culpam eſt? Myſterium enim, ut diximus, ea re prædicabat.* Clemens Alex. lib. 5. ſtrom. Pytabgoræ legem recenſet dicens *prohibuiſſe ipſum annulum ferre, aut ullam in eo Deorum inſculptam imaginem habere, id illum à Moyſe didiciſſe confirmat, qui lege lata caverit, ne quod ſculptum, vel fuſile, vel fictum, pictumve ſimulacbrum, aut effigies aliqua fieret, ne ad res ſenſibiles adhæreſcamus, ſed ad intelligibiles tranſeamus.* Tertullianus denique lib. de Idololatria cap. 4 damnatas affirmat Moſayca lege omnes artes pingendi, & ſculpendi. Verum halce veterum ſententias examinabimus infrà in reſponſione ad argumenta adverſariorum.

II. Altera opinio, quam totius Eccleſiæ conſenſus, & Orthodoxorum Patrum doctrina confirmat, eſt primo præcepto Decalogi non in univerſum damnari omnes imagines, ſed illas duntaxat, quibus honorem, qui Deo debetur tribuamus, & quas colamus tamquam Numina. Hanc ut tutiſſimam, & veriſſimam amplectimur magno præeunte Auguſtino, qui lib. de ſpiritu, & littera cap. 14. legem Dei de non faciendis ſculptilibus ad ſola gentium idola reſtringit, inquit enim: *In illis igitur decem præceptis, excepta Sabbathi obſervatione, dicatur mihi quid non ſit obſervandum à Chriſtianis, ſive de non faciendis, colendiſque idolis, aliiſque ullis Diis præter unum verum Deum,* ubi notandum eſt D. Auguſtinum nomen ſculptilis pro idolo

 in-

intelligere, & idolum non pro quacumque ſimilitudine, nec pro quacumque imagine, ſed pro ea duntaxat, quam veneremur divinis honoribus. Hæc D. Auguſtini ſententia conſona eſt verſioni ſeptuaginta ſcripturæ interpretum, ubi enim nos legimus: *Non facies tibi ſculptile*, illi vertunt *Idolon*. Quid ſit autem Idolum, jam explicavimus ſupra agentes de origine Idololatriæ; addimus ad majorem iſtius rei intelligentiam à ſacris, & prophanis Authoribus maximum aſſignari diſcrimen inter Imaginem, & Idolum; Imago enim eſt repræſentatio, & ſimilitudo rei extantis; Idolum autem repræſentatio rei non extantis, quam umbram potius appellant ueteres. Exemplum habemus in Imagine Cæſaris, que in memoriam reducit Cæſarem, qui fuit; Iovis autem ſimulachrum illud Numen repræſentat, quod numquam fuit; ſic Imago Cæſaris, ſi proponat Cæſarem, ut Numen, Idolum eſt, quia tale Numen nunquam fuit, nec illud eſt, cui debeatur adoratio; ſi proponat Cæſarem, ut reducat in memoriam Imperatorem, Imago eſt, quia talis Imperator extitit, uno verbo Idolum eſt ſimulachrum falſi Numinis, cui tribuatur adoratio, primo autem præcepto ſolum Idolum prohiberi ſic probamus.

III. Id tantum prohibetur primo præcepto, quod fini primi Præcepti adverſatur; ſed uſus, & cultus Sacrarum Imaginum fini primi præcepti non adverſatur, igitur uſus, & cultus Sacrarum Imaginum non interdicuntur primo præcepto. Quod fini primi præcepti non adverſetur, & uſus, & cultus ſupradictus, ex eo conſtat, quod in primo præcepto Deus jubet, ut ei debitum honorem tribuamus, ut alterum præter eum, ut Deum, non veneremur; uſu autem, & cultu ſacrarum imaginum hoc Præceptum non transgredimur; igitur non adverſamur fini Præcepti; Hæc minor probatur. Qui imagines ſervorum Dei apud ſe retinet, & illas veneratur non cultu Deo debito, ſed cultu quodam habitudinis, quatenus videlicet repræſentant nobis

bis ſervos Deo charos, honorabiles, quia Deo placent, venerabiles, quia ipſi Deo ſummo Domino deſerviunt, tunc non denegat Deo ſuum cultum; ſed ita fit in Eccleſia Catholica; ergo uſus, & cultus ſacrarum imaginum non adverſatur fini præcepti. Confirmatur hoc clariſſima ratione. Vel Deus primo præcepto prohibet omnes imagines, & uſum earum, vel eas tantum, quæ falſa Numina repræſentant; omnes imagines non prohibet; ergo tantum prohibentur ſimulachra falſorum Numinum; ſi hæc tantum prohibentur, cum imagines, quas veneramur, & retinemus, non ſint falſorum numinum ſimulachra, certiſſimum eſt illas non prohiberi. Quod verò non prohibeantur omnes imagines, non ſolum communis Patrum interpretatio probat, & verſio ſeptuaginta, quæ nomine ſculptilis ponit Idolum, ſed etiam eadem verba ſacri textus non obſcurè nobis inſinuant, poſtquam enim legimus, *non facies tibi ſculptile, &c.* ſubditur, *non adorabis ea, neque coles*, ergo ea tantummodo ſculptilia prohibentur, quorum adoratione ſubtrahatur Deo debitus honor, & veneratio. Inſuper verſ. 23. ejuſdem cap. additur: *Non facietis Deos aureos, nec argenteos*, quæ quidem verba, ſi ad priora referantur, ut referri debent, ſatis indicant prohiberi, tantummodo falſorum Numinum ſimulachra.

Quod verò non omnis imago prohibeatur, neque omne ſculptile, ex ipſis Sacris Litteris clariſſimè oſtenditur, ſi enim omnis ſimilitudo, & omne ſculptile eſſet interdictum, non juſſiſſet Deus Moyſi Exodi cap. 25. ut figuras Cherubinorum inſculptas juxta Arcam collocaret, non juſſiſſet inſuper Numerorum 21. ut æneum Serpentem Moyſes erigeret, ut quicumque mortifero ſerpentum veneno contaminatus erat, ſanaretur, ſed hæc de facto Deus juſſit, ergo non prohibuit omnes Imagines.

Sed dices aliquam in his fuiſſe diſpenſationem divinam ob futurum myſterium; ſed contra eſt: nam vel ſculptura

ra

ra ænei ſerpentis, & Cherubinorum auferebat à Deo ſuum honorem, & cultum, vel non? Si auferebat, ergo non poterat permitti; Deus enim nunquam poteſt diſpenſare, ut debitus ei honor alteri tribuatur, eſt enim fidelis, ut inquit Apoſtolus, & ſe ipſum negare non poteſt; ſi verò non auferebat honorem debitum, &c. jam videmus ea eſſe permiſſa, & compoſſibilia primo præcepto, quæ debitum Deo honorem non auferunt, & alteri tribuunt, igitur ſolo primo præcepto prohibentur illa ſculptilia, & imagines, quibus ſubtrahamus Deo honorem, tales autem non ſunt Imagines, quas colimus, & retinemos, ergo, &c.

Probatur hæc eadem veritas clariſſima ſimilitudine: ex quo debeamus Deum noſtrum tota mente, totis viribus diligere, & illi ſoli deſervire, nemo juſte nos appellabit Divini præcepti tranſgreſſores, ſi proximum diligamus, ſi etiam hominibus ſerviamus, prout conditio, & neceſſitas expoſcit; ergo etiam ſi Imagines retineamus, ac piè adoremus, non erimus divini præcepti violatores. Probatur conſequentia, & paritas in ea contenta. Ideo diligendo proximum, ac ſerviendo hominibus non ſumus violatores præcepti, quia proximum propter Deum diligimus, & ſervitutem hominibus exhibitam ad honorem, & gloriam Dei referimus; ſed etiam cum Imagines colimus ad Deum ipſum noſtrum obſequium, ac venerationem dirigimus; ergo non denegamus Deo debitum honorem, nec Præceptum tranſgredimor.

IV. Accedit his clariſſimis argumentis teſtimonium Leontii Neapolis in Cypro Epiſcopi, qui lib. 5. apologiæ Chriſtianorum contra Judæos, & de Sanctorum Imaginibus, quæ quidem apologia laudatur actione 4. Septimæ Synodi, ſicut ait, *Penes nos, ſicut Dii non adorantur Sanctorum characteres, & icones, vel formæ. Si enim ut Deum adorarem lignum imaginis, poſſem profecto & ligna reliqua adorare. Nam ſi, ut Deum, lignum adorarem, minime utique de-*

leto

lita charactere Iconam incenderem, & ſicut is, qui juſſionem Imperatoris ſuſcepit, & ſalutavit ſigillum, non lutum adoravit, aut chartam, aut plumbum, ſed Imperatori adorationem, & cultum impendit: ita & nos Chriſtianorum pueri figuram Crucis adorantes non naturam ligni adoramus, ſed ſignum, & annulum, & characterem Chriſti, &c. Et ſicut pueri proprii patris cujuſdam, qui peregre profectus eſt ad tempus ab illis, multo erga eum affectu ex anima flagrantes, ſive virgam ejus in domo videant, ſive ſedem, ſive clamydem, hæc cum lacrymis deoſculantes amplectuntur, & non illa adorant, ſed patrem deſiderant, & honorant; ita & nos omnes fideles ut virgam Chriſti Crucem adoramus, ut ſedem verò, & cubile ipſius ſanctiſſimum monumentum, ut domum, præſepe, & Betlehem, non locum, neque domum, neque regionem, vel Civitatem, aut lapides honorantes, ſed eum, qui in illis converſatus eſt, & illuxit, & in carne innotuit, atque ab errore liberavit, Chriſtum videlicet Dominum noſtrum, & per Chriſtum ea, quæ ſunt Chriſti, paſſionem in Eccleſiis, in domibus, & plateis, & in imaginibus, & in ſindonibus, & in penetralibus, & in veſtimentis, & in omni loco formamus, ut inceſſanter aſpicientes hæc commoveamur, & non obliviſcamur, ut tu Judæe oblitus es Domini Dei tui. Et ſicut tu adorans librum legis, non naturam pellium, vel atramenti, quæ in ipſo eſt, adoras, ſed verba Dei, quæ in illo continentur; ita & ego imaginem Chriſti adorans, non naturam lignorum, & colorum adoro, (abſit) ſed inanimatum characterem Chriſti tenens per eum, Chriſtum tenere mihi videor & adorare. Et ſicut Jacob acceptam à filiis ſuis tunicam variam, & ſanguinolentam Joſeph deoſculatus eſt cum lacrymis, & propriis oculis hanc circumpoſuit, & non veſtimentum amans, vel honorans hoc fecit, ſed per id exiſtimans Joſeph oſculari, & in manibus eum habere; ita & Chriſtiani univerſi Imaginem Chriſti, vel Apoſtolorum, aut Martyrum tenentes, aut ſalutantes carne Chriſtum ipſum, vel Martyrem ejus anima nos tenere exiſtimamus.

Ex

Ex hac authoritate, cui conſona eſt Concilii Tridentini definitio ſeſſ. 35. omnia deducere poſſumus, quæ pertinent ad uſum, & cultum Sanctarum Imaginum; ſed prius lectorem monitum volo, quod, ut refert Chriſtianus Lupus vir doctrina inſignis, in actione 4. Concilii ſecundi Nicæni ſeptimi generalis poſtquam adducta fuere teſtimomonia Exodi 25. numerorum 7. & ex cap. 41. Ezechielis, & cap. 9. Epiſtolę Pauli ad Hebræos concluſum eſt Imagines Deo placere. Quia verò nos jam probavimus uſum, & cultum Sacrarum Imaginum cum primo Decalogi præcepto non repugnare, neceſſe eſt, ut nunc ad alia veniamus.

CAPUT TERTIUM.

Qualis fuerit uſus Sacrarum Imaginum, & qualis cultus eis debeatur.

1 *Sanctorum Imagines primis Eccleſiæ temporibus non erigebantur, ne Adverſariorum ludibrio exponerentur. 2. Propagata Religione frequentem fuiſſe uſum, & cultum Sacrarum Imaginum ex variis Sanctorum Patrum Sententiis colligitur. 3. Quid ſit Adoratio definitur, & explicatur textus Job cap. 31. verſ. 26. ſcilicet Si vidi Solem cum fulgeret &c. 4. Adoratio dividitur in civilem, & ſpiritualem. 5. Cultus ſacer dividitur in Latriam, 6. Duliam, & Iperduliam.*

I. PRimis naſcentis Eccleſiæ temporibus cum in eam efferatarum gentium perſecutiones deſævirent, non admodum frequens erat Imaginum uſus, quemadmodum enim illis, qui Chriſtianæ militiæ nomen dabant, plerumque certo loco conſiſtere, Chriſtianos ritus palam exercere, ac templa conſtruere non erat permiſſum, ita ſum-

ſummo ſtudio cavebant, ne Sacras Imagines impiorum ludibrio exponerent, & temporum ſe ſe circumſtantiis aptantes ab earum conſtructione abſtinebant; exiſtimabant enim inter tot, tantoſque adverſarios rectè ſe facturos, ſi bonis operibus ſe templum Dei redderent, & illius in ſe illibatam, atque incontaminatam imaginem cuſtodirent. Hinc cum olim Gentiles, ut refert Minutius Felix in Octavio, *Cur nullas aras*, Chriſtianis exprobrarent, *cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacbra?* Reſpondet Octavius, *Putatis autem vos occultare, quod colimus, ſi delubra, & aras non habemus? quod enim ſimulacrum Deo fingam, cum, ſi rectè exiſtimes, ſit Deo homo ipſe ſimulacbrum? Templum, quod ei extruam, cum totus hic mundus ejus opere fabricatus eum capere non poſſit, & cum homo latius maneam intra unam ædiculam, vim tantæ Majeſtatis includam? non ne melius in noſtra dedicandus eſt mente? In noſtro imò conſecrandus eſt pectore?* Sic Lactantius lib 6. cap 25. inquit *Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis extruenda ſunt, in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore*; Non diſſimilis eſt Origenes 8. contra Celſum.

II. Cum autem Chriſtiana religio longè, lateque propagaretur, cumque ſpecioſis Evangelizantium pedibus coronata capita ſubiicerentur, tunc frequentior fuit templorum uſus, retentæ ſine ullo timore ſacræ Imagines, laudatus earum cultus, nam in comperto ſemper fuit ad earum conſpectum internam erga Deum, erga Sanctos, quos illæ repræſentabant, devotionem excitari. Certe probatum eſt in ſeptima Synodo à doctis, ſantiſſimiſque viris imaginum aſpectum multis profuiſſe, ibi laudantibus Patribus Mariæ Ægyptiacę hiſtoria enarrata eſt, quæ videns Sanctiſſimę Dei Matris Imaginem, obortas lacrymas non potuit cohibere, & admirabilem illum hauſit pænitentiæ, & devotionis amorem. Gregorius Niſſenus oratione de Deitate Filii, & Spiritus Sancti meminit de Abrahamo, & Iſaaco

in

in tabula expreſſo, & ait ſe ad eorum intuitum magnam lacrymarum vim profudiſſe, quæ tanti Doctoris narratio à Patribus ſeptimæ Synodi laudatur.

Si Eccleſiaſticæ antiquitatis monumenta conſulamus innumera nobis occurrent pro uſu, & cultu Sanctarum Imaginum argumenta. Euſebius lib. 7. cap. 18. ſcribit mulierem illam, quam Chriſtus Dominus, ut referunt Matthæus cap. 9. & Lucas 8. à profluvio ſanguinis liberavit, æream ſtatuam ei in tanti beneficii memoriam Cæſareæ Philippi erexiſſe, & hanc Mulieris pietatem Chriſtum novo miraculo comprobaſſe ibidem legimus : *Excrevit enim ad ſtatuæ pedes herba quædam novæ, atque inuſitatæ formę, quę cum ad pallium in ſtatua ejuſdem humeris effigiatum perveniſſet, omnes languores, omneſque morbos depellebat.* Quis ergo damnabit Imaginum uſum, quem Deus tantis miraculis confirmat? Sozomenus quoque lib. 5. cap 21 ait, quod cum illam Chriſti ſtatuam Gentiles ignominiosè tractam confregiſſent Chriſtianos eſus fruſtra collegiſſe, & in Eccleſia repoſuiſſe, ubi, hodieque aſſervatur. Chriſtum cum Apoſtolis Petro, & Paulo pictum fuiſſe demonſtrat Auguſtinus lib. 1 de conſenſu Evangeliſtarum cap. 10. & serm. 94. qui eſt de Natali S. Stephani, meminit Imaginis pictæ, in qua propoſitum erat martyrium illius Sancti, ſcribit enim *Dulciſſima pictura hæc eſt, ubi videtis Sanctum Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium veſtimenta ſervantem.* Ambroſius Epiſt. 53. mentionem facit pictæ Imaginis D. Pauli. Item Joannes Damaſc. oratione 2. de Imaginibus. Prætereò quamplures alios, quos citat Petavius de Incarnatione lib. 15. cap. 13.

Explicaturi autem, qualis cultus Imaginibus debeatur, neceſſe eſt, ut prius aliquid de adoratione dicamus.

III. Adoratio igitur, quam Græci προσκύνησιν appellant, eſt ſubmiſſionis, & honoris indicium, ſive ſubmiſſionis, & abjectionis ſignum, ita S. Joannes Damaſc. oratione 2. & 3.

de

de Imaginibus. Expreſſius, ac clarius D. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 105. art. 1. eam definit, quod ſit *teſtificatio quædam Excellentiæ, quam in quopiam agnoſcimus;* ſic Geneſis cap. 18. verſ. 2. Abraham cum vidiſſet tres viros occurrit in occurſum, & adoravit. Genes. 27. verſ. 29. Cum Iſaac Jacob benediceret, ait, & *ſerviant tibi populi, & adorent te tribus*. Geneſis 23. verſ. 22. Idem Abraham coram populo terræ adoravit Ephron. Geneſis 23. verſ. 3. de Jacobo ſcribitur, *Et ipſe progrediens adoravit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater ejus*. Cap. 42. verſ. 6. Fratres adoraverunt Joſeph. Et iterum 43. verſ. 26. *Adoraverunt proni in terram*, & verſ. 28. *incurvati adoraverunt eum*. Exodi 18. verſ. 7. Jetro veniens in occurſum cognati ſui Moyſis *adoravit, & oſculatus eſt eum*. Num. 22. verſ. 31. Balaam cum vidiſſet Angelum ſtricto gladio ſibi minitantem *adoravit eum pronus in terram*. Primo Reg. cap. 25. verſ. 23. Abigail *procedit coram David ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram*. Cap. 28. ejuſdem lib. Saul videns evocatum à Pythoniſſa Samuelem, *inclinavit ſe ſuper faciem ſuam in terra, & adoravit*. 2. Reg. cap. 9. verſ. 6. Miphiboſeth *corruit ſuper faciem ſuam, & adoravit*. 2. Reg. cap. 14. verſ. 4. *Cum ingreſſa fuiſſet Mulier Thecuitis ad Regem cecidit coram eo ſuper terram, & adoravit*. 3. Reg. cap. 1. verſ. 16. *Inclinavit ſe Bethſabee, & adoravit Regem*. Judith cap. 10. verſ. 20. Cum illa ad conſpectum Olophernis veniſſet *adoravit eum proſternens ſe ſuper terram*. Eſther cap. 3. verſ. 2. Cuncti Servi Regis *flectebant genua, & adorabant Aman*. Danielis 2. verſ. 46. *Rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & adoravit Danielem*. Adoratio ergo, ſi materialiter, & externè ſumatur eſt, externa quædam proſtratio, ſive inclinatio, ut ex ſupradictis conſtat, quæ etiam fiebat oſculatione manuum, unde intelligendus eſt difficilis textus Job cap. 31. à me alibi explicatus, verſ. enim 26. legimus, *ſi vidi Solem cum fulgeret, & Lunam*

in-

incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondita cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Altiſſimum. Ubi videmus oſculari manum ſumi pro adorare, & hinc promiſcuè in Sacris Litteris ſumuntur adorare, & oſculari. Pſalmo 2. ubi nos legimus, *Apprehendite diſciplinam*, textus hebraicus habet נַשְּׁקוּ בַר *Oſculamini filium*, ubi hoc verbum נָשַׁק quod *oſculari* ſignificat, ponitur pro verbo *adorare*.

IV. Cum autem adoratio, ut ſuprà notavimus, ſit recognitio excellentiæ, ſi excellentia ſit temporalis, adoratio erit civilis, ſi ſpiritualis, adoratio erit actus Religionis, in quo quidem actu neceſſe eſt, ut interna ſigna exterioribus reſpondeant, nihil enim prodeſt adoratio externa, ſi eam interna non comitetur. Quare S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 84. art. 2. ait *ſicut oratio primordialiter quidem eſt in mente, ſecundariò autem verbis exprimitur: ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reverentia conſiſtit, ſecundario autem in quibuſdam corporalibus humilitatis ſignis, &c. ſicut genuflectimus noſtram infirmitatem deſignantes in comparatione ad Deum: Proſternimus autem nos quaſi profitentes nihil nos eſſe ex nobis*. Et in reſponſione ad primum ibidem ait: *Adoratio corporalis in ſpiritu fit, in quantum ex ſpirituali devotione procedit, & ad eam ordinatur*. Huc etiam referenda ſunt verba Chriſti Domini Joannis 4. *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eas, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*. Unde & Concilium Bituricenſe tit. 1. ait, *Vera adoratia in ſpiritu, & veritate eſſe debet. In ſpiritu quidem adorant, qui mentis affectu Deum colunt: in veritate qui cultu exteriori, & piis operibus mentis affectum teſtantur, & exprimunt*. Perfecta igitur adoratio eſt, cum anima ſimul, & corpore divino obſequio mancipamur.

V.

V. At quia diximus ſupra adorationem eſſe teſtificationem, ſive recognitionem excellentiæ, quam in altero agnoſcimus, ut clariſſimè explicetur, quomodo cultus ſacer ſit à nobis dividendus, & quale Deo obſequium, quale Deiparæ, quale Sanctis Imaginibus debeatur, breviſſimè notandum eſt, quod denominationes poſſunt alicui competere, vel ut principali, vel ut participanti, vel ut ſigno, & conducenti ad ipſammet formam, ob quam aliquid denominatur. Sic Sapientia, Bonitas, Juſtitia, Ratio entis ſunt principaliter in Deo, per participationem verò in creatura, illa enim tota quanta eſt, à Deo eſt, & ab ipſo veluti à fonte totius boni, & exiſtentiam, & ſapientiam, & juſtitiam haurit, & quamvis hæc omnia dicatur creatura participare, habet tamen propriam formam à Deo ſibi communicatam, per quam talem denominationem acquirit. Aliqua tamen ſunt, quæ denominationem quidem habent, carent tamen forma denominante, & ideò talia dicuntur, quia vel ſigna ſunt, vel conducunt ad id, in quo reſidet ipſa forma. Exemplum clariſſimum habemus in herbis, ac medicaminibus, quæ quidem appellantur ſana, non quod in ipſis forma ſanitatis reſideat, ſed conducunt ad corporis ſanitatem, & pulſus ſanus dicitur, quia indicat perfectam temperiem ipſius corporis.

VI. Igitur in Deo eſt excellentia ſanctitatis, tanquam in fonte, & in Authore, in ſanctis per participationem, & in Virgine Maria excellentiori quodam modo, cum ad ſupremam evecta fuerit dignitatem, nempe ad Verbi Divini Maternitatem, & qui potens eſt, ei magna fecerit, ob quæ Beatam eam dicunt omnes Generationes. In Imaginibus autem non reſidet Sanctitatis forma, ſed ducunt nos ad exemplaria, in quibus illa reperitur. Peculiaris autem ille cultus, qui ſoli Deo debetur, nempe recognitio ſummæ, & imparticipatæ excellentiæ, Latria appellatur. Cultus, qui exhibetur ſanctis, in quibus eſt hæc Sanctitas, ſed parti-

tici-

ticipata, appellatur Dulia, & eodem modo cultus, qui exhibetur Imaginibus, cum una ſit, & Prototypi, & Imaginis adoratio. Cultus verò, quo Eccleſia Sanctiſſimam Virginem veneratur, Iperdulia dicitur. Conſtat ergo adoratione Sacrarum Imaginum, ac Sanctorum veneratione non derogari divino cultu, nec minui divinum honorem, cum longe ſit diverſa recognitio, & teſtificatio Excellentiæ in cultu, qui Deo exhibetur, atque in cultu Sanctorum.

CAPUT QUARTUM.

Reſpondetur Objectionibus.

1. *Prohibitio Imaginum apud Hebræos, ſi quæ extitit, ob eorum propenſionem ad Idololatriam, hæc non derogat Imaginum uſui, nec ea ratione cultus Imaginum adverſatur primo Præcepto. Male reprehenditur à Joſepho Salomon, eo quod in Templo ſculpſerit Cherubim, cum Deo Templi ſtructura Salomonici accepta fuerit* 2. *B. Juſtini Martyris verba increpant Judæos negantes Chriſti Paſſionem, & Mortem, non verò prohibent Imaginum ſtructuram, & cultum.* 3. *Tertulliani, & Clementis Alexandrini authoritas tantum prohibere videtur,* 4. *Imagines, quæ Idololatriæ ſerviebant. Statuitur vera reſponſio ad objectionem Concilii Francfordienſis, in qua proponitur opinio eorumdem Patrum circa factum, quia exiſtimabant decretum eſſe in ſeptima Synodo Imagines adorandas eſſe adoratione, quæ Trinitati debetur, quod erat falſum, non igitur Concilium Francfordienſe damnavit decreta de Imaginibus colendis.* 6. *S. Gregorius Magnus nequaquam prohibuit Imaginum cultum, ſed tantum vetuit cultum indebitum. Cultus Iatriæ nomine Adorationis accipitur, quæ cum ſoli Deo debeatur, intelligenda eſt Adoratio abſoluta, non verò reſpectiva, quæ ad ſanctos pertinet.*

1. Quam-

1 QUamvis ea, quæ ad uſum, & cultum Sacrarum Imaginum pertinent ita explicata ſint, ut innumeris occurere poſſimus aduerſariorum argumentis, nonnulla tamen hic examinanda ſunt ad maiorem iſtius diſſertationis claritatem. Et primò ſi quis nobis, aut Philonis, aut Joſephi, aut antiquorum Hebræorum teſtimonia obiecerit, qui nullas imagines apud Iſraeliticam gentem extitiſſe affirmabant, breviſſime reſpondebimus potuiſſe illas fortaſſe prohiberi aliquo Synedrii decreto, cum populus eſſet ad Idololatriam propenſus, non fuiſſe autem Divina lege interdictas omnes imagines, ſed illas tantum, quas velut Numina colebant Gentes; quod verò aliqua lege cautum eſſet Judæis, ne Imagines fierent, attentis temporum circumſtantiis, non derogat Imaginum uſui, neque ex eo inferri poteſt pium earum cultum præcepto Decalogi adverſari. Lex verò illa Synedrii, ſi quæ fortiſſe ſculptas, aut pictas imagines prohibebat, erat veluti decretum proviſorium attentis perſonarum circumſtantiis. Exemplum clariſſimum damus; ſi quis diceret, ſerpentem æneum, de quo numeror. 21 ſermo eſt, fuiſſe contra divinum præceptum ad populi conſpectum erectum, & argumentum deſumeret ex eo, quod, ut legimus 4 Reg cap. 18 Ezechias illum confregerit, male diceret, potuit enim attentis circumſtantiis Ezechias illum confringere, ideo enim fuit confractus, *ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum*. Adorare igitur, ut Deum, ſerpentem æneum pugnat cum præcepto Decalogi, rectus autem uſus non pugnat. Ita à pari, ſi Iſraelitæ imagines fieri prohibuere, quia illis abutebatur populus ad Idololatricam ſuperſtitionem, non bene infertur, ergo ſunt divinò præcepto omnes interdictæ. Quam injuſtè autem Joſephus loco à nobis ſupra citato Salomonem violatæ legis reprehendat, quia Imagines Cherubim in templo ſculpſerit, &

baſi Maris æreas boum figuras ſuppoſuerit, unicuique conſtabit legenti caput 6. & 7. ſed præcipuè 9. libri 3. Reg. Ibi enim Dominus apparens Salomoni ſic ait: *Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me, ſanctificavi domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus;* ex quibus verbis quis non intelligit, quam accepta fuerit Deo Salomonici templi ſtructura, ſi ipſe templum ſanctificavit, & ibi ſe ad preces populi benignè adfuturum promiſit? An Deus ſanctificavit Templum, in quo erant prohibitæ Imagines? An reſponderet Salomoni, & ei ſuum auxilium promitteret, ſi violaſſet juſtiſſimam, ſanctiſſimamque legem ab ipſo Deo traditam?

Si pictura, & ſculptura tam ſeverè Judæis interdicta, ut ipſi Judæorum hiſtorici credunt, cur Dominus Beſeleel his artibus exornavit? Exodi 31. *Vocavi*, inquit Dominus *ex nomine Beſeleel ...... & implevi eum Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diverſitate lignorum.*

II. Ad authoritatem Juſtini Martyris brevis reſponſio erit, ipſum diſputaſſe adverſum Judæos negantes Chriſti Paſſionem, & Mortem in veteri Teſtamento, & ſignis, & vaticiniis prænunciari, unde, ut hoc clariſſime poſſet oſtendere in erectione ſerpentis ænei, quam Chriſti figuram eſſe Chriſtus ipſe teſtatur contra Judæos, ex Judæorum ſententia ſumpſit argumentum, quaſi diceret: Ex veſtra ſententia divina Lege omnes ſunt Imagines prohibitæ, negare tamen non poteſtis, quod Deus juſſerit fieri ſerpentem æneum, ergo cum omnes Imagines prohibeantur, & hæc divino præcepto fabricetur, fateri debetis in ea aliquod divinum Myſterium latere.

III. De Tertulliano ſileo, qui quamvis loco citato videatur ad Judæorum ſententiam inclinare, tamen lib. 2, con-

tra

tra Marcionem cap. 22. exiſtimat eas ſolum Imagines prohiberi, quæ Idololatriæ inſerviebant, ibi enim poſtquam enumerat ſimilitudines, quas Deus fieri juſſit, nempè Cherubim, & Seraphim, ſtatim ait: *Sic & Cherubim, & Seraphim aurea in arca figuratum exemplum certe ſimplex ornamentum accomodata ſuggeſtui longe diverſas habendo cauſas ab Idololatriæ conditione, ob quam ſimilitudo prohibetur, non videntur ſimilitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo ſimilitudinis ſtatu deprebenſa, ob quem ſimilitudo prohibetur.*

IV. Nec, quæ ex Clemente Alexandrino citantur, contra Sacras Imagines locum habent; ibi enim loquitur ipſe de Imaginibus falſorum Numinum, quas Gentiles ſolebant in annulis ſculptas geſtare, quas etiam Phytagoras prohibuit. Plures adhuc extant hujuſcemodi Imagines, quæ in antiquariorum loculis aſſervantur, & quæ variis antiquitatum diſputationibus fundamentum præbent.

V. Sed obiicies. Concilium Francfordienſe can. 2. convocatis tercentis Epiſcopis anno 794. Regnante Carolo Magno damnavit can. 2. ſeptimæ Synodi decreta circa Imagines, legimus enim: *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra Sanctiſſimi Patres noſtri omnimodo adorationem, & ſervitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.*

Huic difficultati multi ſunt, qui reſpondeant damnaſſe Patres Francfordienſes non ſeptimam Synodum, ſed Hæreticorum Conciliabulum Conſtantinopoli habitum, de quo ſupra meminimus, hoc ducti fundamento, quia videlicet ſeptima Synodus, non Conſtantinopoli, ſed Niceæ celebrata eſt. Hæc tamen reſponſio doctiſſimis, graviſſimiſque viris non arridet. Primo, quia Conciliabulum illud

Hæreticorum non approbavit, ſed damnavit cultum Imaginum, & à Synodo Francfordienſi, ut ex citato canone deducitur, damnatur illa Synodus, quæ approbavit Imagines. Secundo, quia quamvis Synodus ſeptima congregata fuerit Niceæ, & illuc tranſlata ob exortum tumultum Hæreticorum, tamen incepit Conſtantinopoli, unde & potuit Conſtantinopolitana appellari.

Verior igitur reſponſio eſt damnaſſe quidem Concilium Francfordienſe ſeptimam Synodum, ſed in hoc erraſſe puro facti errore, nam exiſtimabant Patres Francfordienſes in dicta Synodo fuiſſe ſtatutum imagines eſſe adorandas ea adoratione, quæ Trinitati debetur. Huic opinioni occaſionem præbuit, quod cum in ſeptima Synodo propoſitæ eſſent Epiſcoporum ſententiæ, adducta eſt etiam quædam confeſſio, ſivè formula Conſtantini Conſtantiæ Epiſcopi, quæ quidem in Apologetico Adriani continetur tom. 6. Conciliorum pag 143. *Quod infauſtè, & præcipitanter, ſivè inſipienter Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus dixit, ſuſcipio, & amplector honorabiliter ſanctas, & venerandas imagines, & quæ ſecundum ſervitium adorationis, quæ ſubſtantiali, & vivificatrici Trinitati emitto, &c.* Diverſa tamen ſunt verba in actis ſeptimæ Synodi Græce editis, ex quo conſtat illa in Gallia fuiſſe depravata, & ex tali depravatione id imputatum Concilio, quod ipſum non approbaverat, id imputatum Conſtantio, quod ipſe minimè aſſeruerat; in actis enim legimus, Conſtantinus Sanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri dixit. *His conſentio, & concors ſum ſuſcipiens, & cum honore amplectens ſanctas, & venerandas Imagines: ac Latriæ adorationem ſoli ſuperſubſtantiali, & vivificæ Trinitati defero. & eos, qui non ita ſentiunt, neque glorificant, à Sancta Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ſegrego, & anathemati ſubicio.* Conſtat ergo Conſtantium numquam aſſeruiſſe adorandas imagines cultu Sanctiſſimæ Trinitati debito, ſed hoc ei imputatum, quia interpolata fue-

fuere acta, & ejus formula in iis contenta. Patet etiam erraſſe Concilium Francfordienſe ſolo errore facti, eo quod exiſtimaverit id approbatum in ſeptima Synodo, quod neque erat approbatum, nec dictum à Conſtantio, &c.

VI. Obiicies iterum; S. Gregorius Magnus in Epiſtola 101. quæ eſt ad Serenum Maſſylienſem Epiſcopum videtur non approbare imaginum adorationem, nam eum Serenus magnam utilitatem ſe allaturum putaret Eccleſiis ſibi ſubjectis, ſi ab eis omnes imagines prorſus eliminaret, & de facto ſacras omnes imagines prohibuiſſet, re cognita ſic ad eum ſcripſit Gregorius. *Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari poſſit habuiſſe laudavimus, ſed frangere eaſdem imagines non debuiſſe judicamus, idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut ii, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & litterarum neſcii haberent, unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.* Cum autem Serenus juſſa Pontificis exequi renuiſſet, altera ad eum miſſa eſt epiſtola, in qua hæc habentur: *Dic frater, à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ne deſpectis aliis fratribus ſolum te ſanctum, & eſſe crederes ſapientem? Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum, addiſcere.*

Reſpondetur S. Gregorium non prohibere in ſupracitata epiſtola omnem cultum imaginum, ſed prohibere dumtaxat, ut imaginibus exhibeatur Latriæ cultus, qui nomine adorationis ibi exprimitur. Hoc conſtare poteſt ex ipſa hiſtoria, & ex verbis ipſius Gregorii. Nam ſuperſtitioſo cultu imagines tunc adorabant quidam Maſſylienſes, quem abuſum ut tolleret Serenus, imagines omnes prohibuit. Si reſcripſit Pontifex non eſſe eas adorandas,

intelligendus eſt illo cultu idololatrico, qui tunc ipſis adhibebatur, nam cum reprehendiſſet Serenum, & increpaſſet tanquam authorem excitati ſcandali in animis fidelium, qui vehementer dolebant nobilem ſibi, ac ſanctam præreptam fuiſſe occaſionem, qua ad cœleſtium Civium amorem, imitationemque traherentur, ei demum præſcribit modum, quo fideles à ſe ob facinoris horrorem ſegregatos iterum conciliet, iubens, ut congregato populo ſe excuſet, & dicat ſe imagines alioquin utiles ideo ſuſtuliſſe, quod eas tranſiiſſe viderat in adorationem, & ſolam ſibi incompetentem adorationem diſplicuiſſe. Modus Sereno à Pontifice deſcriptus hic eſt. *Convocandi enim ſunt diſperſi Eccleſiæ filii, eiſque Scripturæ Sacræ eſt teſtimoniis oſtendendum, quia omne manufactum adorari non licet, quoniam ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, ac deinde ſubjungendum eſt, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut neſcientes literas ipſam hiſtoriam intendentes, quid actum ſit, diſcerent, quia tranſiiſſe in adorationem videras, idcirco commotus es, ut eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum, ſi ad hanc inſtructionem, ad quam imagines antiquitus factæ ſunt habere vultis in Eccleſia, eas modis omnibus & fieri, & haberi permitto, atque indica, quod non tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ picturâ teſte pandebatur, diſplicuerit, ſed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita.*

Ex quibus verbis conſtat, S. Gregorium non omnem adorationem imaginibus denegare, ſed illam, quæ ſoli Deo tribuitur, & quæ ipſis incompetens eſt, & nomine adorationis intelligere hic adorationem abſolutam, non vero reſpectivam, nam in ſupracitata epiſtola ad Serenum citat verba Exodi 20. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*; & ex ipſis infert manufacta non eſſe adoranda, ergo illam tantum imaginibus negat eſſe tribuendam adorationem, quæ prohibetur in lege, ſed non omnis adoratio

ibi

ibi prohibetur, ſed illa tantum, qua cultus Dei minuitur, ut ſupra probavimus, ergo D. Gregorius non aſſerit eſſe negandum cultum imaginibus. Hoc etiam deduci poteſt ex aliis ipſius operibus, & præcipuè ex epiſtola 54 quæ eſt ad Secundinum, & continetur lib. 7 in qua petenti illi imaginem Chriſti, ſic reſpondet Pontifex. *Scio quidem, quod imagmem Salvatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filii Dei, ut in ejus amore recaleſcas, cujus te imaginem videre deſideras. Et nos quidem, non quaſi ante Divinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem, aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur*. Inſuper epiſtola 7. quæ eſt ad Januarium, cum Calaris quidam Chriſtianus, qui ex ſecta Judaica ad veram fidem venerat in ſui Baptiſmatis die, nempe ſecunda die Paſchatis, nimio zelo accenſus Judæorum Synagogam vi occupaſſet, & ibi collocaſſet imaginem Deiparæ, ac Sanctam Crucem; re ad Pontificem delata ipſe ad Januarium ſcripſit, ut Judæis Synagoga reſtitueretur, *ſublata exinde cum ea, qua dignum eſt, veneratione, imagine, atque Cruce*; ergo mens Gregorii non eſt aliena à cultu imaginum.

DISSERTATIO VII.

Ad titulum 45. lib 3. Decretalium de reliquiis, ac veneratione Sanctorum. De Sanctorum Angelorum invocatione, & cultu.

CAPUT PRIMUM.

Angeli ſunt colendi, atque invocandi.

1 *QUanto amore Angeli ſint à nobis diligendi propter ſumma beneficia, quæ nobis præſtant, luculentiſſimis Sacræ Scripturæ teſtimoniis fuſius oſtenditur. 2. Ea de cauſa colendi ſunt Angeli, quia, cum dicantur noſtri Concives, lætantur, cum vident ſuum numerum augeri. 3. Quod verò ex hominibus, & Angelis unicus grex componatur, Chriſti verbis, & Sanctorum Patrum authoritate comprobatur. 4. Item colendi ſunt Angeli, quia noſtræ ſaluti invigilant, ut præcipuè Angelorum rebellium ſedes à nobis occupentur: & ſimul Adverſariorum pertinacia confunduur.*

POſtquam de ſacris imaginibus diſſervimus, ad earum exemplaria neceſſe eſt, ut tranſferamur, & de cultu, ac veneratione Sanctorum, eorumque Reliquiis aliquid contra Vigilantium, ac reliquos recentiores Hæreticos breviter tractemus. Pontificii juris Collectores ad duo capita reducunt omnia, quæ explicari ſolent circa Sanctorum cultum, atque eorum reliquias, nempe ad caput,

Au-

Google

Audivimus, quod eſt Alexandri III. & ad caput, *Cum ex eo* Innocentii III. Hoc titulo de reliquiis, & veneratione Sanctorum. Nos à præſcripto ordine non recedentes, & conſulentes non minus brevitati, quam claritati, exponemus primo ea, quæ pertinent ad cultum, & invocationem Sanctorum, deinde quæ eorum reliquias ſpectant, & quia inter Cœleſtes Cives, qui altiſſimæ Majeſtatis thruno aſſiſtunt, pſimum locum obtinent Angeli, primo loco agemus de cultu, atque invocatione Sanctorum Angelorum. rum.

I. Tanta ſunt Sanctorum Angelorum officia erga nos exules, miſeroſque mortales, ſic Deo diſponente, liberaliter impenſa, ut merito inter belluas numerandi ſint, qui nos derident, accuſant, reprehendunt, & damnant, eo quod innumeris devincti beneficiis, quorum perennis memoria extat, Sanctos Angelos veneremur, atque in arduis, in adverſis eorum opem, ac patrocinium imploremus Minus nos reprehenderent Adverſarii noſtri, ſi attentius, & ea, qua decet animi humilitate, in veteris, novique Teſtamenti lectione exercerentur. Et quis tam cœcus, qui ibi non videat, quanta nobis benignus ille Pater, ac miſericors Deus de præparato habitaculo ſuo reſpiciens ſuper omnes, qui habitant terram, Angelorum miniſterio contulerit beneficia? Nonne Angeli Loth ab impiorum hominum inſidiis, ab incendio perditæ urbis liberaverunt, ut Geneſis 19. expreſſum eſt? Nonne Jacob, cum Eſau fratris ſui furorem, atque inſidias pertimeſceret, Angelos ſibi obvios habuit auxilium ferre paratos, & ait: *Caſtra Dei ſunt hæc*, quod legimus Geneſ. cap. 32.? Cum magnus ille Abraham Patriarcha à Deo tentaretur, ut in perenne ſui amoris ſignum, in teſtimonium obedientiæ erga Deum ipſum Iſaac dilectum filium offerret, quis quæſo, paternam dexteram jam jam ferire paratam cœleſti imperio coercuit, niſi Angelus Domini? Clara hæc ſunt, & cap. 22. ejuſdem

dem lib. expreſſa, verſu enim 11. habetur: *Et ecce Angelus Domini de Cælo clamavit dicens, Abraham Abraham, qui reſpondit. Adſum, dixitque ei, non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam.* Hoſtium caſtra Bethuliam obſidione cingentium, & barbari Holofernis tentoria incontaminato caſtitatis flore Judith penetraſſe ipſius hiſtoria nobis commemorat cap. 13. Hæc abſciſſum ſuperbi Ducis caput fumanti adhuc ſanguine conſperſum inter plaudentium Iſraelitarum agmina extollens, ſic ait: *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Quicumque miratur, cum audit mutaſſe elementa naturam, ac circa tres pueros in Babylonica fornace ab impio Rege incluſos innocuum luſiſſe incendium, diſcet ex cap. 3. Danielis hæc omnia Angelico miniſterio eveniſſe; ibi enim refertur: *Angelus autem Domini deſcendit de Cælo cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem, excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem.* In triſtitia, ac mærore poſitos Angelus confortavit, ſic Tobiæ cap. 5. ipſi ab Angelo dictum eſt, *Forti animo eſto, in proximo eſt, ut a Domino cureris.* Angelorum miniſterio orationes noſtras Deo offerri ex pluribus Sacræ Scripturæ locis deducimus, ſed præcipuè ex Tobiæ cap. 12. *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos ...* *..... ego obtuli orationem tuam Domino.* Danielis, 9. *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.* Angeli civitatem Dotban, in quam ſeceſſerat Eliſæus, ab obſidione liberarunt, hoſteſque barbaros cæcitate' percuſſerunt 4. Reg. cap. 6. Eliam ab impia Regina Iezabel fugientem Angelus confortavit afferens ei panem, & ambulavit in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei Oreb 3 Reg. cap. 19. Abacuch ex Iudæa in Babylonem per capillos apprehen-

henſum portavit Angelus, ut cibo, quem ſuis meſſoribus ferebat, Danielem in lacu Leonum injuſtè detentum reficeret, Danielis cap. 14. Agar in deſerto errantem, & propter ſitientem Iſmaelem aſſlictam delatâ cœlitus aqua recreavit Angelus Geneſis cap. 21. Petrum à teterrimo carcere liberavit, & excitavit eum dicens: *ſurge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis* Actorum cap. 12. Angeli ab hoſtium nos defendunt inſidiis, & hinc ſcriptum eſt pſalmo 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Sic 4 Reg cap. 19. *Venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Angeli in peccatorum pœnitentia gaudere dicuntur Lucæ 15. verſ. 10. *Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Quod Angeli duris caſibus quodammodo compatiantur ex Iſajæ cap. 33. verſ. 7 deducimus, legitur enim ibidem, *Angeli pacis amarè flebunt.* Angelos juſtorum animas ad ſedes illi à Deo deſtinatas deferre ſcriptum eſt, Domino docente Lucæ cap. 16. verſ. 22. *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Plenæ ſunt his teſtimoniis Sacræ paginæ, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas; docent nos quotidie Sancti Patres, quanto ſint nobis Angeli obſequio dignandi ob ſumma beneficia, quæ Deus eorum miniſterio nobis contulit, & quotidiè confert. D. Hylarius in pſalmum 129 *Meminimus, ait, eſſe plures ſpirituales virtutes, quibus Angelorum eſt nomen, Eccleſiis præſidentes; ſunt enim ſecundum Joannem Aſianis Eccleſiis Angeli, ſunt, & Moyſe atteſtante, ſecundum numerum Angelorum fines gentium Adæ filiis conſtituti, & Domino dicente, puſillorum Angeli quotidie Deum vident; ſunt, ſecundum Raphaelem ad Tobiam loquentem, Angeli aſſiſtentes ante claritatem Dei, & orationes deprecantium ad Deum deferentes, &c. Interceſſione utique harum non natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra;*

miſſi

miſſi enim ſunt propter eos, qui hereditabunt ſalutem, Deo nihil ex his, quæ agimus, ignorante, ſed infirmitate noſtra ad rogandum, & promerendum ſpiritualis interceſſionis miniſterio indigente.

Idem in pſalm. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Scit enim ſe ſub ſpecula Angelorum vitam omnem, moreſque agere, & ubique hæc divinorum miniſteriorum auxilia fidelibus cunctis aſſiſtere, ut ſcriptum eſt, præeſt Angelus Domini in circuitu timentium eum.*

II. Sed ut clarius diſcamus, qualia erga ſanctos Angelos debent eſſe obſequia noſtra, & qualis amor, pro certo ſupponendum eſt, quod poſtquam æterni Patris Filius noſtra natura indutus venit quærere, & ſalvum facere, quod perierat, poſtquam exaltatus à terra principem hujus mundi foras ejecit, & in ligno crucis pretioſiſſimi Sanguinis pretio liberaliter effuſo redemit nos ab æterna ſervitute, irrogatam Deo ab ingratis mortalibus injuriam compenſavit, delens chirographum, quod contra nos erat, & affigens illud cruci, ut inquit Apoſtolus ad Coloſſenſes 2. verſ. 14. Tunc acquiſivimus jus libertatis, & regni, ut jam filii Dei nominemur, & ſimus, & ut inquit idem Apoſtolus ad Epheſios 2. *Non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed cives Sanctorum, & domeſtici Dei.* Pertinemus igitur ad illam cœleſtem Civitatem, quam in hoc exilio viventes inquirimus. Pertinemus ad concives noſtros, qui lætantur, cum vident eorum numerum augeri, & quemadmodum illi nos amant, nos expectant, ita & viciſſim à nobis & amari, & invocari debent. Nam ſi nulla ex iis, quæ ſupra memoravimus, nobis contuliſſent beneficia, nonne adhuc eſſent amandi, & venerandi, quia Deo aſſiſtunt, quia illi placent, quia eum laudant, quanto magis, cum tantus ex eorum honore, atque amore nobis fructus acceſſerit?

III. Ex hominibus, atque Angelis unum gregem componi divinus nos Paſtor edocuit adducens Matthæi cap. 18,

para-

parabolam illius Paſtoris, qui ut amiſſam ovem ad gregem reduceret, nonagintanovem in deſerto reliquit, donec eam inveniret. Sic idem Chriſtus animarum Paſtor, centeſimam veluti portionem gregis ſui, hominem ut recolligeret, nonaginta novem illas oves, ideſt Angelicos cætus, non dignitate magis, quam numero ſuperiores, videtur reliquiſſe. *Ovis una*, inquit Hylarius in Matth. cap. 18 *homo intelligendus eſt, ſub homine uno univerſitas ſentienda eſt, ſed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit, ergo nonaginta novem non errantes multitudo Angelorum cœleſtium opinanda eſt, quibus in Cœlo eſt lætitia, & cura ſalutis humanæ. Igitur & quærens hominem Chriſtus eſt, & nonaginta novem relicti cœleſtis gloriæ multitudo eſt, cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore eſt relatus.* Præclarè certe Hylarius. At ſi unum gregem caſtè, ſancteque viventes cum Angelis componunt, quis negabit mutua Angelorum, hominumque debere eſſe officia? An mediatores noſtros ad Deum, noſtrarum precum coadiutores, & conciliatores divinæ gratiæ debito amore, ac veneratione non proſequemur? an illis congaudere vetabimur, qui pro noſtra felicitate intercedunt? an gratulari eorum beatitudini prohibemur, qui pœnitentiæ noſtræ, & conceptæ beatitudinis ſpei congratulantur? Sed audiamus etiam Ambroſium, qui in Lucæ caput 18 ſic ait *Dives igitur Paſtor, cujus omnes nos centeſima portio ſumus, habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum, Poteſtatum, Thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit. Qui, quoniam ſunt rationales, non immeritò hominum redemptione lætantur. Quamquam hoc quoque proficiat ad incentiva probitatis, ſi unuſquiſque converſionem ſuam gratam fore credat cætibus Angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offenſam. Et tu igitur eſto Angelis lætitiæ, gaudeant de reditu tuo.* D. quoque Gregorius Papa in hom. 34. in Evangelia eamdem parabolam non diver-

diverſo explicat argumento. *Quia enim*, inquit, *centenarius perfectus eſt numerus, ipſe centum oves habuit, cum Angelorum ſubſtantiam, & hominum creavit, ſed una ovis tunc periit, quando peccando homo paſcua vitæ dereliquit. Dimiſit autem nonaginta novem oves in deſerto, quia illos ſummos Angelorum choros reliquit in Cælo. In deſerto autem nonaginta novem oves remanſerant, quando in terra Dominus unam quærebat; quia rationalis creaturæ numerus, Angelorum videlicet, & hominum, qui ad videndum Deum conditus fuerat, pereunte homine erat imminutus & ut perfecta ſumma ovium integraretur, homo perditus quærebatur in terra.*

IV. At quemadmodum, ut hic diſerte explicat Gregorius, pereunte homine numerus civium Cæleſtium erat imminutus, & ideo tanta ſollicitudine à Paſtore requiſitus, reparatus, atque inventus homo ipſe; ita ſolliciti ſunt Angeli, & noſtræ ſaluti invigilant, ut videlicet ſedes illæ, quas è Cœlo cadentes Angeli deſertores vacuas reliquere, à nobis occupentur, & ut nos eorum numerum implentes ipſis adjuncti, & confœderati æternas Deo laudes canamus. *Conſtat ſine dubio*, inquit D. Bernardus ſerm. 1. in feſto S. Michaelis, *rationis participes, & capaces Beatitudinis humanas animas, Angelicæ, ſi dicere id audeamus, cognatas eſſe naturæ. Nec decet vos, o Beati Spiritus, contra legis præceptum dedignari, quam viſitare debetis, ſpeciem veſtram, licet in multam, ut ipſi cernitis, dejectà ſit vilitatem. Sed neque arbitramur vos cæleſtes cives civitatis veſtræ excidio delectari, & ruina murorum, quos ſemiruptos ipſi videtis Cujus inſtaurationem ſi deſideratis, ut dignum eſt, frequenter quæſo ante thronum gloriæ, verbum precis iteratæ dicentes; benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, ut ædificentur muri Jeruſalem.* Quod vero in nobis inſtaurationem ſuorum ordinum expectent Angeli, clariſſimè ibidem oſtendit idem Bernardus, cum inquit: *Hic eſt dilectiſſimi funiculus triplex, quo de excelſo Cælorum habitaculo ad conſolatu-*

landos, ad adjuvandos nos attrahitur ſupereminens charitas Angelorum: propter Deum, propter nos, propter ſe ipſos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos miſericordiæ viſcera, ipſi quoque, ut dignum eſt, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam ſimilitudinem miſerantur. Propter ſe ipſos, quorum ordines inſtaurandos ex nobis toto deſiderio præſtolantur.

Taceant ergo Adverſarii noſtri, qui cum ament magis tenebras, quam lucem, amorem, quo Angelos proſequimur, damnant, ac reprehendunt. Homines ſumus, quorum Patria Cœlum eſt. Non ad terrena peragenda negotia creavit nos Deus, qui imaginem ſuam nobis conceſſit tam firmè, tam altè, ac tenaciter impreſſam, ut nulla arte, nulla vi deleri queat. Noſtrum primum officium eſt, ipſum Deum, quem vident Angeli, quem diligunt, cui aſſiſtunt totis viribus, tota anima diligere, mentem æternæ felicitatis capacem per ipſa creatarum rerum veſtigia ad Creatorem transferre; vivere in corpore extra corpus, & ſumma ope niti, ut à cæteris animantibus diſtinguamur, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. Nobis eſt cœleſtis origo, adeoque non in terris verſari, non vilia, ac caduca tractare, ſed cœleſtia debemus. In Cœlo commercia noſtra ſunt, &, ut inquit Apoſtolus ad Philippenſ. 3. *Noſtra converſatio in Cœlis eſt.* Si autem converſatio noſtra in Cœlis eſt, quis nos prohibebit cum Angelis converſari, æmulari eorum amorem, & charitatem, & quia plurimum valent apud divinam Majeſtatem, quæ lucem inhabitat inacceſſibilem, noſtra eis obſequia offerre, ut eadem illi offerant unita divino Amori, ac Charitati, qua exardeſcunt, & inflammantur. Si naturarum diſparitas nos ſejungit, charitas nos conſociat; ſi loci diſtantia ſegregat, ſancta Communio non repellit. Vincit naturam gratia, & magna nobis dignitatis acceſſio fit, magnum à Deo infirmitati noſtræ præſidium paratum eſt, cum nos beatiſſimis

Spi-

Spiritibus ſanctæ Charitatis vinculo ſociavit, & eorum concives, ac contubernales eſſe voluit. *Ergo ſi noſtra converſatio in Cœlis eſt*, inquit D. Ambroſius ſerm. 2. de S. Eliſæo, *& cæleſtium converſatio poteſt eſſe nobiſcum, hoc eſt, ut qui vita vivimus Angelorum, recte conſortium mereamur. Eſt ergo ſanctè viventibus quædam inter ſe cognatio, conjunctio, atque ſocietas, nec intereſt, utrum in Cœlis maneant, an in terris, Angelici ſint habitus, vel humani, dummodò in eis ſit eadem vita, vel ſanctitas: converſatio enim connectit, quos ſeparat elementum, & diverſis licet muneribus dividantur, iiſdem tamen actibus conjunguntur.*

CAPUT SECUNDUM.

Occurritur nonnullis difficultatibus.

1. *AD verba cap. 19. Apocalyp. Jo. quæ contra nos obiiciunt Adverſarii, ſcilicet.* Cecidi ante pedes, &c. *propoſitis variis Sanctorum Patrum interpretationibus, alia etiam ſuperadditur, quæ fundatur in ſacro textu. 2 Prophetia dicitur Teſtimonium Jeſu, & nota quædam Divinitatis. 3 Per D. Pauli verb. ad Coloſſ. 2 verſ.* 18. *non damnatur cultus Angelis debitus, ſed ſuperſtitioſus, de quo intelligendus eſt hujuſmodi textus. Exponitur canon difficilis Concilii Laodicenſis.*

I. OBiiciunt nobis Adverſarii caput 19. Apocalypſis, ubi Joannes procidens ante Angelum, ut eum adoraret, ab eodem Angelo prohibetur. Legimus enim: *& Cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, & dicit mihi, Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu; Deum adora.* Ergo,

m-

inquiunt, ſi non permiſit Angelus à Joanne adorari, ſi juſſit, ut Deum ſolum adoraret, jam non erit licitum Angelos adoratione proſequi, & per eam imminuetur cultus Deo exhibendus.

Huic difficultati ut ſatisfaciat Divus Auguſtinus quæſt. 61. in Geneſim inquit: *Nec moveat, quod alio in loco in eadem ſcriptura prohibet Angelus hominem adorare ſe, & admonet potius, ut Dominus adoretur; talis enim apparuerat Angelus, ut pro Deo poſſet adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator*. Similia legimus ex eodem Doctore lib. 10 contra Fauſtum cap. 21. In eadem opinione eſt D. Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos, D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 8. art. 4. qui omnes exiſtimant, Joannem ex inſolito apparentis ſibi Angeli ſplendore judicaſſe illum eſſe Chriſtum, & ideo corruiſſe, ut prompta, atque humili adoratione debitum ei obſequium oſtenderet. Quem errorem, ut omninò removeret Angelus, ſe conſervum ejus confeſſus eſt docens, ut ſolus Deus adoraretur; *Conſervus tuus ſum; Deum adora*, & ut legit D. Cyprianus de patientia; *Dominum Jeſum adora*. S. Gregorius, Rupertus, & Richardus exiſtimant Angelum ob reverentiam, quæ debetur humanitati à Verbo divino aſſumptæ noluiſſe à Joanne adorari, *Angeli enim*, inquit idem Gregorius hom. 8. in Evangelia, *poſtquam naturam noſtram ſupra ſe aſſumptam in Chriſto conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt*; & D. Ambroſius ait: *Pertimeſcit Angelus adorari ab homine, qui ſupra ſe adorabat hominem Deum*. B. Petrus Damianus ſerm. 1. de D. Joanne putat Angelum noluiſſe adorari à Joanne ob excellentiam virginitatis, quæ miro quodam modo animum iſtius Apoſtoli exornabat. *Refugit*, inquit, *obſequium ab illo ſuſcipere, quem noverat apud communem judicem locum gratiæ familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem, fratrem recognovit, ſocium judicavit, ſua dejectionis obedientiam non accepit. Quamvis enim in om-*

 nibus

nibus Sanctis ſemper ſit angelicæ munditiæ contubernalis, & cognata virginitas, B. tamen Joannes tanto reliquos virgines ſuperat, quanta virginitati B. Mariæ per ſedulitatis, ac perpetuæ cuſtodia meritum appropinquat.

Hæ ſunt reſponſiones, qua ex interpretatione SS. Patruum adducere poſſumus, ut propoſitę difficultati ſatis faciamus.

II Et ne aliquid ad majorem ſacri textus expoſitionem deſiderari videatur, non tædeat aliam etiam adducere interpretationem, quæ quidem in ipſo ſacro textu fundatur, videlicet, Angelum noluiſſe à Ioanne adorationis obſequium, eo quod ipſe Joannes eſſet à Deo inſignitus ſpiritu Prophetiæ: legimus enim, *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora; teſtimonium enim Ieſu eſt Spiritus Prophetiæ.* Æqualem igitur ſibi Ioannem, non inferiorem reputavit Angelus; quia ille eſſet Propheta, & docuit hoc divinum Prophetiæ donum ſummo in pretio ab hominibus eſſe habendum; Prophetia enim eſt nota quędam divinitatis, nam Iſaiæ 41. legimus, *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* Hinc Tertull in Apologet. cap 20. inquit, *Idoneum teſtimonium divinitatis veritas divinationis;* & Hieronymus in Danielem, *Confitentur magi, confitentur arioli, & omnis ſcientia ſæcularis litteratura præſcientiam futurorum non eſſe hominum, ſed Dei*, ex quo probatur Prophetas Dei ſpiritu locutos, quia futura cecinerunt. Quod Prophetia donum ſit Dei, & divina facultas, ratio ipſa ſuadet, nam ſi, ut inquit Ovidius primo Triſt. eleg. 8.

Augurium ratio eſt, & conjectura futuri.

& intellectus noſter ad hoc, ut aliquid cognoſcat, debet adiuvari experientia rei, vel evidentia præſentis, vel memoria præteriti, certum eſt non eſſe humanum futura cognoſcere, hæc enim præſentia non ſunt, non fuerunt, ſed erunt.

Unde

Unde & Poetę cecinerunt proprium eſſe divinitatis futura cognoſcere. Horatius lib. 3. ode 29.

Prudens futuri temporis exitum.
Caliginoſa nocte premit Deus.

Iuvenalis Satir. 6;

Et genus humanum damnat caligo futuri.

Statius lib. 3.

quid craſtina volueret ætas
Scire nefas homini.

& paulo poſt.

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ.

Quia ergo Propheta Ioannes erat, & Prophetia eſt teſtimonium divinitatis, ideo non abs re aſſerere poſſumus noluiſſe ab eo Angelum adorari.

III. Obicies 2. Verba D. Pauli ad Coloſſ. 2. verſ. 18. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum*, quibus verbis videtur Doctor Gentium à cultu Angelorum Coloſſenſes avertere.

Sed clara reſponſio eſt, ibi D. Paulum non damnare omnem Angelorum cultum, ſed cultum tantummodo ſuperſtitioſum, quem antiqui exhibebant Angelis. Baronius tom prim. annalium ad annum Chriſti ſexageſimum, errorem Cerinthi commemorat, qui ſupra Chriſtum Angelos exaltabat, aſſerens ipſos mundum creaviſſe, & Hæbreorum Deum Angelum eſſe. D Hieronymus in Epiſtola ad Algaſiam quæſt 10 hunc Pauli locum de malis Angelis interpretatur, ait enim: *Omnis Iudaicarum obſervationum cultura deſtructa eſt, & quaſcumque offerant victimas, non Deo offerunt, ſed Angelis refugis, & ſpiritibus immundis*. Supradictæ ſuperſtitioni addictos fuiſſe Gentiles, qui cultu Deo ſoli debito colebant ſpiritus, aut ſub nomine militiæ Cœli, aut Geniorum, peritiſſimi ſcriptores enarrant, & hinc lucem accipit canon difficilis, qui eſt trigeſimus quintus Concilii Laodicenſis, ubi hæc legimus:

Non oportet Chriſtianos Eccleſiam Dei relinquere, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere, quod eſt prohibitum, ſi quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ ſerviens, ſit anathema, quia reliquit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei. Theodoretus exponens ſupracitatum locum D. Pauli ait: *Qui legem defendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam Manſit autem diù hoc vitium in Phrygia, & Piſidia, quocircà Synodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt in Phrygia Metropoli, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & ne relinquerent Dominum Ieſum Chriſtum*. Theodoſius, & Arcadius Imperatores Gentorum culturam prohibuere, ut videre eſt in Codice Tehodoſiano lege *nullus*, Cod. de Paganis, & ſacrif.; ex quibus omnibus clariſſimè deducimus D. Pauli verba non eſſe intelligenda de quocumque Angelorum cultu, ſed de cultu tantummodo idololatrico, & ſuperſtitioſo.

DIS-

DISSERTATIO VIII.

DE INVOCATIONE, ET CULTU SANCTORUM.

CAPUT PRIMUM.

1 SAncti ſunt laudandi, & honorandi, quia laus eorum ad Deum revertitur, quia Deo placent, quia Chriſtus promiſit eos eſſe honorandos à Patre ſuo. 2. Plurimum Sanctorum interceſſionem apud Deum valere Sacræ Scripturæ teſtimonio probatur. 3. Confutatur variis ſacrarum litterarum textibus, & ſanctorum Patrum authoritate Adverſariorum error, qui admittunt Sanctorum interceſſionem, cum adhuc viverent, non autem poſtquam ex hac vita migraverint. 4 Oſtenditur Sanctos multo magis poſſe pro aliis orare, quia cum perfectiori divinę charitatis vinculo Deo uniantur, ita major eſt poteſtas benefaciendi. 5. Oppartunior eſt Sanctis benefaciendi poteſtas, dum regnant in Cælo, quam cum inter mortales vitam agunt.

QUamvis ea, quæ ſuperiori capite ſunt explanata, ſufficere nobis poſſent, ut contra Vigilantium, Petrobuſianos, Waldenſes, *Lu*theranos, & Calviniſtas probaremus licitam eſſe, ac laudabilem Sanctorum invocationem, utilemque pariter, nec contemnendum eorum cultum, aliqua tamen hic peculiariter addimus, ut clarius, ac diſtinctius hanc catholicam veritatem propugnemus.

I. Primo quidem laudem illam, quam Sanctis tribuimus in divinam laudem referri, & ad divinam majeſtatem reverti tanquam ad primum fontem, à quo merita Sanctorum, quæ à nobis commendantur, profecta ſunt, ſancto aflatus ſpiritu prænunciavit regius Pſaltes pſalm. 150. cum dixit, *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Idem etiam cecinit pſalm. 32. *Rectos decet collaudatio*. Et profecto nihil majeſtati divinæ detrahitur per honorem, ac laudem Sanctis exhibitam, nec repræhendi debet laudator, cum hæc obſequii teſtificatio Deum in Sanctis ſuis mirabilem prædicet. Et quemadmodum non repræhenditur, qui dilectum Principis miniſtrum regno utilem laudat, invocat, honorat, quia ſcilicet laus eſt etiam Principis eos apud ſe miniſtros retinere, quibus homines obſequantur; ita repræhendendi non ſumus, quia Sanctos laudamus, & invocamus, eo quod ideo laudamus, quia ſummæ bonitati, cui placere non poſſunt mali, ſcimus placere. Ipſemet Chriſtus, qui infallibilis veritas eſt, eos promiſit eſſe à Patre ſuo bonorandos, qui ipſi fideliſſimè deſervirent: ait enim Joannis cap. 12. *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus*. Si ergo æternus Pater ſervos ſuos fideles honorat, cur non debemus nos honorare? Si quem honorat Pater apud ipſum potens eſt, cur eum non poſſumus in anguſtiis, in miſeriis, in periculis veluti patronum invocare? Si cœleſtium civium interceſſione, ac patrocinio, quin imò bonorum hominum etiam in terris viventium orationibus multa Deus confert humano generi beneficia, cur indignum exiſtimabimus, atque à chriſtiana pietate alienum ad eos recurrere, qui ſunt Dei domeſtici, qui pulcherrimarum exempla virtutum nobis reliquere, qui de morte gloriosè triumpharunt, & qui jam ſunt de æterna felicitate ſecuri?

II. Quantum autem poſſint Juſti apud Deum, & quantum ponderis habeat eorum interceſſio, clariſſima ſacræ ſcripturæ teſtimonia nobis declarant, nam Geneſis cap. 18.

cum

cum Sodomorum ſcelera divinæ vindictæ fulgura provocaſſent, atque ad iniquiſſimæ urbis ruinam jam jam cœleſtis ignis accenderetur, legimus Deum Abrahamo juſtiſſimi ſui furoris cauſam revelaſſe, & non ſemel exoratum promiſiſſe non deleturum incendio urbem, ſi in ea decem tantummodo Juſti fuiſſent inventi. Jeremiæ cap 5. pariter promiſit Deus ſe propitium fore Jeruſalem, ſi in ea unus aliquis Juſtus inhabitaſſet. *Circuite*, ait, *vias Jeruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei*. Sic Exodi 32. cum vitulum aureum Iſraeliticus Populus adoraviſſet, & graviſſimo hoc Idololatriæ delicto cultum Deo debitum ſubtraxiſſet, Deus ad ſervum ſuum Moyſen ait, *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos;* & paulò infra legimus Moyſen his verbis Dominum exoraſſe: *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra Populum tuum .... recordare Abraham, Iſaac, Iſrael ſervorum tuorum*. Quæ verba ideo prolata eſſe ait Auguſtinus quæſt. 149. in Exod. *ut eo modo admoneremur, cum merita noſtra nos gravant, ne diligamur à Deo, relevari nos apud Deum eorum meritis poſſe, quos diligit, nam cum ab Omnipotente dicitur homini, ſine me, & conteram eos, quid aliud dicitur, quam contererem eos, niſi diligerentur abs te? Ita ergo dictum eſt, ſine me, ac ſi diceretur: noli eos diligere, & conteram eos, quia, ne id faciam, dilectio tua in illos intercedit mihi*.

III. Non poſſum non deridere Adverſariorum inſaniam, qui cum admittant ſanctos, & juſtos adhuc viventes poſſe pro aliis orare, ac intercedere, hoc negant convenire ipſis, jam in cœleſti patria degentibus; hæc tamen clariſſima ſunt ſacrarum ſcripturarum teſtimonia, quibus convinci poſſunt; nam 2. Machab. cap. 15. de Jeremia, qui jam ex hac vita deceſſerat ſcriptum legimus: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo, &*

univerſa ſancta civitate, *Jeremias Propheta Dei*. Hunc locum citat Euſeb Cæſarienſis lib. 12. Præparationis Evangelicæ cap. 2. ubi ait, *Eſſe pariter Platonicorum dogma animas juſtorum corporibus ſolutas vim habere, ut curam gerant rerum humanarum*. Legatur etiam Theodoretus in Exod. quæſt 67. in Levitic. quæſt. 37. ubi ex facto Moyſis pro populo orantis optimè infert, quantum apud Deum valeant juſtorum preces. Sed clariſſimè ſerm. 8. de Martyribus ipſum Platonis dogma cum noſtra veritate catholica conferens ait; *Poſſe autem Sanctorum animas, etiam cum extra corpus fuerint, hominum curare negotia*. *Plato idem in 11. legum libro his verbis affirmat: Opportunè igitur ea, quæ ſuperius tractata ſunt, locuti videmur; animas videlicet defunctorum, poſtquam ex hac vita deceſſerint, vim quamdam habere, ac de rebus humanis curam gerere*. Præclarum, atque elegans eſt in hac eadem materia D. Hieronymi argumentum, ipſe enim adverſus Vigilantium ita ſcribit. *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuò pro nobis orare poſſumus, poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, &c. Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in carne conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quanto magis poſt victorias, coronas, & triumphos? unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto pro perſecutoribus veniam deprecatur; & poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint, minus valebunt? Paulus Apoſtolus 276. ſibi dicit in navi animas condonatas, & poſtquam reſolutus eſſe cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro his, qui in toto orbe ad ſuum Evangelium crediderunt, mutire non poterit, meliorque erit Vigilantius canis vivens, quam ille leo mortuus? Rectè hoc de Eccleſiaſte proponerem, ſi Paulum in ſpiritu mortuum confiterer. Denique Sancti non appellantur mortui, ſed dormientes, unde & Lazarus, qui reſurrecturus erat, dormiſſe perhibetur.*

Quan-

Quantum apud Deum valeant Sanctorum orationes, vidit in ſpiritu Evangeliſta Joannes, qui Apocalypſis cap. 5 enarrat, quod *vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum*. Hebræos in hanc etiam veritatem conſentire multorum opinio eſt, nam Matthæi cap. 27. cum Chriſtus diceret, *Eli Eli Lammaſabathani*, putavere circumſtantes Judæi ipſum Eliam invocaſſe, *Ecce Eliam vocat iſte*: non legimus tamen hanc invocationem imputatam fuiſſe blaſphemiæ, ex quo multi deducunt credidiſſe Judæos, poſſe licitè invocari Juſtos, qui ex hac vita deceſſere.

IV. At ſicut ſponte concedunt Hæretici homines juſtos, etiam dum in terris vivunt, poſſe pro aliis orare, ita fateri debent vel inviti, ipſos multo magis hoc poſſe poſtquam ex hac vita migraverint, nam tunc elevata eorum voluntate ad perfectè eliciendos amoris actus, cum ipſi divinæ charitatis vinculo Deo uniuntur, conformantur, colligantur, quis non videt tunc uberiorem, ac ſplendidiorem eſſe erga nos eorum beneficientiam, ac charitatem? Hæc enim nunquam amittitur, ſed feliciſſimo illi Beatorum ſtatui jucunda eſt, & conſentanea; & quemadmodum tunc major, & perfectior eſt charitas, ita eſt major poteſtas benefaciendi. Amant illi Deum, qui nos amat, inebriantur cœleſtis domus voluptate; hæc autem voluptas amorem, ac voluptatem noſtri non expellit. Deſidioſa tanta charitas eſſe non poteſt, nec à nobis inhonorata, atque illaudata præteriri, unde Auguſtinus lib. de vera Religione cap. ultimo *Quiſquis Angelorum diligit hunc Deum, certus ſum, quod etiam me diligit, quiſquis in illo manet, & poteſt humanas preces ſentire, in illo me exaudit, quiſquis ipſum habet bonum ſuum, in ipſo me adjuvat*. D. Bernardus ſerm. 27. in cantica, cum mortui Gerardi fratris ſui memoriam agat, ita ad Deum ait. *Cæterum qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt, &*

in

in divinum quemdam immutatur affectum, nec poteſt jam ſentire, aut ſapere niſi Deum, & quod ſentit, & ſapit Deus plenus Deo: Deus autem charitas eſt, & quanto quis conjunctior eſt Deo, tanto plenior charitate. Porro impaſſibilis eſt Deus, ſed non incompaſſibilis, cui proprium eſt misereri ſemper, & parcere; ergo neceſſe eſt & te miſericordem eſſe, qui inhæres miſericordi, quamvis enim minime miſer ſis, & qui non pateris, compateris tamen. Affectus proinde tuus non eſt imminutus, ſed immutatus, nec quoniam Deum induiſti, noſtri cura te exuiſti: & ipſi enim cura eſt de nobis. Quod infirmum eſt, abjeciſti, ſed non quod pium. Charitas denique nunquam excidit.

V. Sed non tantum ex uberiori erga nos charitate argumentari poſſumus, quam juſtè ad cœleſtes cives recurrendum ſit, ſed etiam ex majori poteſtate benefaciendi, hæc enim opportunior eſt cœleſtibus, quam mortalibus. Illi præſentiores Deo ſunt, unde & à peregrinantibus æquius poſſunt interceſſores adhiberi, quam cum nobiſcum exularent, jam pro ſe ipſis orare non indigent, unde pro nobis vehementius orant, quam cum nobiſcum eiſdem miſeriis premerentur; jam extra periculum ſunt, adeoque melius poſſunt periclitantibus ſuccurrere. Cum eſſent de ſua ſalute nimium ſolliciti, cum adhuc certarent, noſtra tamen gerebant, pro nobis orabant: quanto magis cum jam ſint extra omne periculum, cum beatiſſimo Dei conſpectu perfruantur, cum æterna præmia, atque immarceſcibiles coronas obtineant? Quis ergo nos juſtè prohibebit ſanctos invocare, atque ad eorum patrocinium recurrere, præcipuè cum ſanctos honoremus propter ipſam divinam majeſtatem, non enim à nobis aut amari, aut laudari poteſt veritas, bonitas, & juſtitia, quæ Dei non ſit, & à Deo non proficiſcatur.

CAPUT SECUNDUM.

Satisfit præcipuis Adverſariorum difficultatibus.

1. *Nulla fit injuria Chriſto, ſi Sancti etiam mediatores noſtri appellentur, & explicantur ſimul verba Apoſtoli prima ad Thimot. cap. 2.* 2. *Confirmatur hæc noſtra aſſertio manifeſtiſſimus ſacrarum litterarum teſtimonius.* 3. *Exponitur cap 14. lib. Job, Eccleſiaſt cap. 9. & 4. Reg. cap. 22. ſancti mortui ea non cognoſcunt, quæ ſenſibus obiciuntur, non vero preces, quæ ad eos funduntur, quod latè patet ex multis ſanctorum Patrum textibus.* 4. *Ex argumento D. Hieronymi in confirmationem allato hanc Adverſariorum opinionem ad hæreſim Chiliaſtarum, & Millenariorum referri colligitur.* 5. *Explicatur, quomodo intelligenda ſint verba Apocalypſis nempe*, ſequuntur agnum, &c.

I. INſurgunt contra nos Adverſarii, & obiiciunt verba Apoſtoli, qui prima ad Thimoteum cap 2. ita ſcripſit, *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus*, ergo inquiunt, ſi Jeſus unus tantum mediator eſt, magna ipſi irrogatur injuria, ſi alios mediatores vocemus, & invocemus.

Sed reſpondetur omiſiſſe Adverſarios noſtros ex induſtria illa verba, quæ ſtatim ſubiunxit Apoſtolus. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, quæ quidem declarant, illum jure optimo unum mediatorem appellari, quia videlicet ille ſolus pro nobis in ara crucis Deo Patri ſatisfecit, ille injuriam Deo irrogatam ad æqualitatem compenſavit. Legatur etiam idem Apoſtolus ad Hebræos cap 9. & 10. quibus in locis Chriſtum appellat novi teſtamenti mediatorem, quod quidem teſtamentum melioribus promiſſionibus

bus ſancitum eſt. Igitur nemo negat Chriſtum eſſe unum, ac primum mediatorem, & quia plene pro nobis ſatisfecit, & quia alio mediatore non indiget, aut aliquo, qui pro ipſo oraverit; Sancti autem in hoc ſenſu non appellantur à nobis mediatores, & quia non ſunt noſtræ redemptionis pretium, & quia etiam dum in hac vita oraverunt, neceſſe illis fuit, ut aliorum orationibus ſe commendarent: hoc tamen non prohibet, quin ipſos Sanctos mediatores interponamus. D. Auguſtinus lib. 11. contra Parmenianum ait: *Homines omnes invicem ſe commendant orationibus ſuis, pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus, veruſque mediator eſt, qui ſanctus per ſemetipſum ad Deum accedit ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, inquit *Apoſtolus*. Videmus ergo non repugnare cum mediatione Chriſti, ut alii etiam vocari poſſint mediatores, cum ſciamus cæteras mediationes, ac interceſſiones in Chriſti meritis fundari, ab ipſis robur, & efficaciam ſortiri, unde laudabilis eſt catholicæ Eccleſiæ conſuetudo, quæ, dum ſanctos invocat ſemper hanc formulam adhibet, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c.*

Reſponſionem allatam illuſtrant eiuſdem Auguſtini verba tract. 1. in Epiſtolam 1. Joannis, nempe. *Joannes autem, qui dixit; & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Jeſum Chriſtum. Sed dicet aliquis: ergo Sancti non petunt pro nobis; ergo Epiſcopi, vel Præpoſiti non petunt pro populo? Sed attendite ſcripturas, & videte; Propoſiti commendant ſe populo, nam Apoſtolus dicit plebi: orantes ſimul & pro nobis; orat Apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo. Oramus pro vobis fratres, & vos orate pro nobis: invicem pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.*

II. Quam vehementer autem errent Adverſarii, & putent injuriam Chriſto irrogari, ſi ſanctos invocemus, & mediatores adhibeamus, manifeſtiſſimis ſacrarum ſcripturarum teſtimoniis oſtendi poteſt. Voluit enim ipſemet Chriſtus

no-

noſtrum Caput, de cujus plenitudine omnes accepimus, ut aliquæ prætogativæ in electos ſuos transfunderentur, & in membra ſua derivarent. Sic Joannis cap. 8 ipſe ſe appellat mundi lucem. *Ego ſum lux mundi*, & cap. 1. inquit de Deo Joannes, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; & tamen Matthæi cap. 5. ab eodem æternæ veritatis magiſtro nuncupantur diſcipuli lux mundi, *Vos eſtis lux mundi*. Joannis 6. verſ. 51. *Ego*, inquit, *ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi:* & tamen Divus Paulus prima ad Corinthios cap. 10. verſ 17. de fidelibus ſcripſit, *Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus omnes.*

Pſalmo 109. prænuntiatur Chriſtus ſacerdos, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Et tamen Joannes in Apocalypſi cap. 1. ſcribit, *Fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo*, & hæc eadem repetit cap. 5. Quid plura? Filius Dei Chriſtus eſt; & tamen ut legimus Joannis cap. 1 *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, cur ergo non poſſunt ſancti ſecundarii mediatores appellari, ſi abſque ulla Chriſti injuria illius prærogativæ in membra ſua tam copioſè diffunduntur?

Præclarè omnia hæc teſtimonia in Adverſarios contorquet Paulinus Epiſcopus Nolanus epiſtola 4. ad Severum. *Et quam dignè*, inquit, *vicem huic Domino referre poterimus, in quo & mortui vivimus? qui viciſſim nobis hoc eſſe dignatur, quidquid illi fuerimus ſervuli ſui? Ita enim ſe immiſcet nobis, ac ſe nobis conſerit, ut quod ipſe accepit, nobis proficere faciat, qui quod nobis, ideſt minimis ejus tribuitur, ſibi acceptum ferat? Sic & honori ſuo implicans ſuos, prope omnia nobis etiam nomina ſua communicavit. Ut virtus Dei dicitur, ita & nobis virtus eſſe dignatur, Deus enim noſtrum refugium, & virtus. Hæreditas ut illi nos, & ille nobis. Nam ſicut habes in Moyſe: facta eſt Dei portio populus*

ejus Jacob; & in pſalmis habes: portio mea Dominus; & ſicut ipſe de ſe ait: Ego ſum lux hujus mundi, ita & ad ſuos dixit, vos eſtis lux mundi. Ego ſum, inquit, panis vivus, & nos omnes unus panis ſumus. Ego ſum vitis vera, & tibi dicit; plantavi vitem fructuoſam, vitem veram. Mons Dei Chriſtus, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, & Sancti ejus montes Dei, montes uberes, de quibus nos illuminat mirabilis à montibus æternis. Petra eſt Chriſtus, bibebant enim de ſpiritali ſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus: etiam diſcipulo ſuo hujus vocabuli gratiam non negavit, cui dicit: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Sed quid miramur eum ſuis famulis indulſiſſe ſua nomina, quibus & patrem participat, & regnum? Dedit enim poteſtatem recipientibus ſe filios Dei fieri, & quantum in ipſo eſt omnibus dixit hominibus, Dii eſtis, filii excelſi omnes. Legatur D. Hieronymus lib. 3. in Evangelium Matthæi, & Auguſtinus lib. 9. de Civit Dei cap. ultimo.

III. Opponunt 2. nobis Adverſarii, juſtos, poſtquam ex hac vita migrarunt non poſſe cognoſcere preces ad ipſos directas, adeoque fruſtra à nobis invocari. Hoc ut probent, varia adducunt ſacræ ſcripturæ teſtimonia, videlicet caput 14. lib. Job, ubi cum ſermo ſit de homine multis miſeriis oppreſſo, cujus vita brevis eſt, tandem de eo dicitur, *ſive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget*. Et Eccleſiaſtici cap. 9. *Mortui nihil noverunt amplius.* 4 Reg. cap 22. Deus promiſit Ioſiæ, *Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum in locum iſtum.*

Reſpondemus hæc, & ſimilia loca probare tantum, homines ex hac vita decedentes non cognoſcere ea, quæ attinguntur experientia ſenſuum, & quæ animam cum corpore conjunctam requirunt, ideoque bene de ipſis dicitur, non vident, non audiunt; & clare ex ipſa ſcriptura deducitur, quam adducunt adverſarii, nam de Joſia dicitur,

Col-

Collegam te &c. ut non videant oculi tui mala. Ex quibus verbis concluditur Ioſiam immunem à miſeriis hujus vitæ non poſſe ſentire mala, neque uti ſenſibus, & cognitione illa, quæ corporis organa expoſcit. Sed clarè ex pſalmo 113 eadem reſponſio illuſtratur, nam ibi dicitur. *Non mortui laudabunt te Domine*; quæſo igitur ab Adverſariis, an ex davidico eloquio bene inferri poſſit, juſtos ex hac vita decedentes non eſſe Deum laudaturos, cum tamen ex pluribus ſacræ ſcripturæ teſtimoniis nobis perſuaſum ſit divinas laudes in cœleſti illa patria perennes eſſe? Statim reſpondebunt ſermonem referri ad laudem vocalem, & quæ, dum corpori conjuncta anima eſt, lingua exercetur, non verò ad illam laudem, quam animæ beatæ Deo tribuunt ipſum intuentes, ipſum jam poſſidentes. Ita pariter ſi natura, vitaque corporea ſenſibus affixa conſideretur, res vivorum non cognoſcunt mortui; ſi vero diligenter feliciſſimum ſtatum beatorum perquiramus, nulla erit nobis cauſa aſſerendi illos non poſſe cognoſcere preces noſtras. D. Gregorius lib. 12. moralium cap. 14. præclarè hanc nobis reſponſionem ſuggerit; unde & additur, *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget. Sicut enim hi, qui adhuc viventes ſunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant, ita mortui, vita in carne viventium poſt eos qualiter diſponatur, neſciunt, quia & vita ſpiritus longe eſt à vita carnis; & ſicut corporea, atque incorporea diverſa ſunt genere, ita etiam diſtincta cognitione, quod tamen de animabus ſanctis ſentiendum non eſt, quia quæ intus Omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent*. Cum hoc ergo ſanctiſſimo Pontifice præcipuæ Theologorum ſcholæ conſentiunt Beatos in Verbo, quod vident, preces etiam ad ſe directas cognoſcere.

Sed ad uberiorem iſtius rei explicationem audiamus etiam D. Hieronymum, qui Vigilantii cavillationes ſic refel-

fellit. *Lege Evangelium, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum, ſi ergo vivunt, honeſto juxta te carcere non clauduntur, aut enim vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel ſubter aram Dei animas Apoſtolorum, & Martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & ubi voluerint adeſſe præſentes. Senatoriæ videlicet dignitatis ſunt, & non inter homicidas teterrima, ſed in libera, honeſtaque cuſtodia in fortunatorum inſulis, & in Campis Eliſiis recluduntur. Tu Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula inicies, ut uſque ad diem judicii teneantur cuſtodia, ne ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt, ſequuntur Agnum, quocumque vadit, ſi Agnus ubique, ergo & hi, qui cum Agno ſunt, ubique eſſe credendi ſunt. Et cum Diabolus, & Dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia ubique præſentes ſint, Martyres poſt effuſionem ſanguinis ſui arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt?*

IV. Ex hoc D. Hieronymi argumento clariſſimè deducitur eos, qui aſſerebant ignorari à Sanctis preces noſtras, nec eſſe invocandos, ad Chiliaſtarum, ſive *Millenariorum* hæreſim reduci, qui volebant juſtorum animas, quibus nihil ſupereſt purgandum, non gaudere beata viſione, ſtatim ac egrediuntur à corporibus ſuis, ſed expectandos eſſe eis mille annos poſt reſurrectionem, & interim amœniſſimus locis detineri. Quæ quidem hæreſis jam ab Eccleſia catholica damnata eſt, & ultimò in Concilio Florentino.

V. Cum ergo conſtet juſtorum animas, quæ à ſordibus peccatorum purgatæ ſunt, Deo eſſe præſentes, ſtatim ac corporeis vinculis diſſolvuntur, & ad illas referri verba Apocalypſis, *ſequuntur Agnum quocumque ierit*; nil mirum, quod dicat Hieronymus, *ſi Agnus ubique, ergo hi, qui cum Agno ſunt, ubique eſſe credendi ſunt*. Quæ verba ita ſunt intelligenda, ut ubicumque eſſe voluerint, protinus adſint, ideſt ut ſervi Dominum imitentur, non aſſequantur, & immenſitatem omnipotentiæ celeritate ſuarum opera-

tio-

tionum æmulentur. Et quemadmodum nequiſſimi ſpiritus toto ſpatiantur orbe, atque undequaque diſcurſant, ut nobis noceant, ita, Deo ſic permittente, eadem celeritate poſſe juſtos nobis adeſſe, ut pro nobis interpellent, ut ſuccurrant.

Hæc eadem innuere videtur Ambroſius in pſalmum 118. inquit enim, *Adeſt ergo Pater, adeſt & Filius, adſunt & miniſtri, adſunt Cherubim, & Seraphim, qui dicunt ſanctus, ſanctus, ſanctus plena eſt terra majeſtatis tuæ. Plenus eſt enim mundus ſanctarum virtutum, quia plenus eſt nequitiarum. Plenus eſt orbis terrarum remediis, quia plenus eſt laqueis.* eadem Gregorius lib. 12. Moralium cap. 14. Concludamus ergo cum D. Bernardo ſerm. 2. de S. Victore, *Numquid cæleſtis habitatio animas, quas admittit, indurat, aut memoria privat, aut ſpoliat pietate? latitudo Cœli dilatat corda, non arctat, exhilarat mentes, non alienat, affectiones non contrahit, ſed extendit, in lumine Dei ſerenatur memoria, non obſcuratur, in lumine Dei diſcitur, quod neſcitur, non quod ſcitur, dediſcitur.*

DISSERTATIO IX.

QUINAM SINT, UT SANCTI, A NOBIS COLENDI, ET INVOCANDI.

CAPUT UNICUM.

1. Illi tantum ſunt invocandi, ut Sancti, qui à S. Sede Apoſtolica in Beatorum album fuerint relati, quod unice ſpectat ad Summum Pontificem. Eccleſia non poteſt errare in declarandis Sanctis, quod probatur validiſſimo argumento. 2. Confirmatur multis SS. PP. & ſacrarum litterarum locis, privati hominis non eſſe aliquem, Sanctum declarare. 3. Non eſſe hominis privati, aliquem in Sanctorum numerum referre, etiam apud Gentiles hæc invaluit conſuetudo. 4. Explicatur, quodnam eſſet primum Eccleſiæ inſtitutum in notandis Sanctorum geſtis, quibus ritè perſpectis moveretur ad permittendum cultum eorum, & præcipuè canonizationem, quæ ſpectat ad Sanctæ Sedis Apoſtolicæ juriſdictionem, & quid intelligebatur pro canonizatione Sanctorum. 5. Non omnes Sancti deſcribebantur in Martyrologio Romano, niſi de eorum ſanctitate legitimè conſtiterit, unde etiam alius ritus obſervatur de eadem canonizatione Sanctorum. Recenſentur decreta Urbani VIII. quæ formam præſcribunt in canonizatione, & beatificatione Sanctorum.

I. NE-

I. NEminem poſſe à nobis pro Sancto coli, aut invocari, quamvis miracula faciat, niſi à ſede apoſtolica in Beatorum album fuerit relatus, probant clariſſimi pontificii juris textus, nempe caput *Audivimus* de reliquiis, ac veneratione Sanctorum cap. 2. hoc tit. & caput unicum hoc tit. in 6. quibus accedit Concilium Tridentinum ſeſs 25. de reformat. Nec ultra prædictas authoritates, quas venerari debemus, deſunt nobis rationes, quibus probemus quod non ſit alicujus hominis privati Sanctorum beatificatio, aut canonizatio, ſed quod hæc, utpotè materia ad religionem ſpectans, ad catholicam Eccleſiam, cujus caput eſt Romanus Pontifex, unicè pertineat. Hæc nobis ſufficient, quod ad illum ſpectat proponere quid ſit agendum, & credendum in iis, quæ ad fidem, & religionem attinent, qui præeſt toti Eccleſiæ; & cujus judicium ex aſſiſtentia Spiritus Sancti, cuicumque judicio eſt anteponendum; talis autem eſt Romanus Pontifex, quemadmodum enim ad ipſum ſpectat declarare, quænam ſint membra putrida Eccleſiæ, quinam ſint fugiendi; ita pariter illius peculiares erunt partes decernere, quinam mereantur coli à nobis, & invocari. Quod autem in hac materia credendum ſit Eccleſiæ judicium eſſe infallibile, probat Bellarminus lib. 1. cap. 9. de beatificatione Sanctorum hoc clariſſimo argumento; quia ſi Eccleſia poſſet errare decernendo, & declarando illum pro ſancto eſſe invocandum, & colendum, qui ſanctus non eſt, jam duo graviſſima incommoda ſequerentur, unum videlicet, quod non ſancti vivorum ſuffragiis privarentur; nam pro Sancto non licet orare, & clariſſimè ait D. Auguſtinus ſerm. 17. de verbis Apoſtoli *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre;* ſi ergo invocaremus eum, qui Sanctus non eſt, & qui ſuffragio noſtro indiget, illum ſuffra-

gio privaremus, talem enim eum exiſtimamus, ut reputemus illi fieri injuriam, dum preces pro illo funduntur. Alterum eſt, quod vivi, & non ſancti fraudarentur interceſſionibus Sanctorum, nam in tali caſu poſſent pro Sanctis homines improbos, ac damnatos invocare.

II. Quod etiam ad privati hominis judicium non ſpectet cultus Sanctorum, melius explicabimus, ſi conſideremus, quod quemadmodum bonitas infinita, non in unum tantum ex hominibus diffunditur, ſed eſt ab omnibus infinitè participabilis, ita voluit in aliquibus dilectis ſuis mirabili quodam modo elareſcere, ut hoc veluti veſtigio ad ipſam aſcenderemus. Ah quot ſeſe modis divina bonitas offert, ut eam imitemur! *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, nobis ſuadet æterna Veritas Chriſtus Matthæi 5. verſ. 48. ac ſi diceret manifeſtius [explicat Innocentius III in cap. Damnamus de ſumma Trinitate, & fide catholica] *Eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ*. Quia verò infirmitati noſtræ, ac naturæ pronæ ad voluptates hoc aut impoſſibile, aut nimium difficile videbatur, voluit ut in omni ætate homines hac eadem carne induti, nos exemplo ſuo ad cœleſtes virtutes præirent, & ut nos illorum veſtigiis inhærentes divinam ſanctitatem æmularemur. Sic propoſuit nobis innocentem Abelem, juſtum Noe, Abrahamum fidelem, Joſephum caſtum, Davidem manſuetum, Job patientem, Eliam zelatorem, Machabæos fortes. Origenes lib. 1. in Job inquit: *Sicut Cœli luminaria, ac ſydera cunctis indeſinenter, quæ ſub Cœlo ſunt, fulgent, ſic & Sanctorum virtutis inſignia, atque beatiſſimi eorum agones omnibus in perpetuum ſingulariter lucent, omnibus in æternum bonorum operum formam tribuunt, omnibus ſub ſole pietatis exemplum oſtendunt*. D. Baſilius epiſtola 1. ad Gregorium Nazianzenum inquit, *Beatorum virorum vita litteris traditæ, veluti imagines quædam vivæ divinæ Reipublicæ ad bono-*

rum

rum operum imitationem propoſitæ ſunt. Iſidorus verò Hiſpalenſis ſecundo ſententiarum cap. 11. ſic concludit, *Exempla Sanctorum, quibus ædificatur homo, varias faciunt conſectari virtutes, humilitatis ex Chriſto, devotionis ex Petro, Charitatis ex Joanne, obedientiæ ex Abraham, patientiæ ex Iſaac, tolerantiæ ex Jacob, caſtimoniæ ex Joſeph, manſuetudinis de Moyſe, conſtantiæ de Joſue, benignitatis de Samuel, miſericordiæ de David, abſtinentiæ de Daniel*. At quomodò poſſemus hos, alioſque innumeros viros, qui in omni ætate floruerunt, imitari, niſi communi Eccleſiæ judicio heroum actiones nobis proponerentur, cum tale, ac tantum opus, quod publicum commodum reſpicit, ad privatum hominem, cujus judicium fallax eſt, ſpectare non debeat? Hinc Eccleſiaſtici 31. poſtquam vir juſtus laudatur, eo quod in divitiis ſpem ſuam non repoſuit, *qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris*, additur, *ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & elemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum*; ex quibus verbis nobis innoteſcit, non temerè, non caſu, non ſine matura inſpectione aliquem tanquam Sanctum debere laudari, ſed opera talia eſſe debere, quæ ab omnibus laudentur, omnibus innoreſcant, quod ut fiat, non ſatis eſt unius, aut paucorum judicium, ſed conſenſus Eccleſiæ in ſuo capite adunatæ. Eccleſiaſtici cap 44 poſtquam dicitur, *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua*, verſ. 7. ſubiungitur, *omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus*; verſ. verò 15. *ſapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia*; atq; ut expreſſius nobis, innoteſcat quanta diligentia notarentur res geſtæ præclariſſimorum virorum, eodem cap. verſ. 17. proponitur Noe, ait enim, *Noe inventus eſt perfectus, juſtus*, & verſ. 20. *Abraham magnus pater multitudinis Gentium, & non eſt inventus ſimilis illi gloria*, verſ. 24. *Et in Iſaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus* 25.

Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum confirmavit ſuper caput Jacob. 27 Et conſervavit illi homines miſericordiæ invenientes gratiam in oculis omnis carnis: cap 45. de Moyſe ſermo habetur, *Dilectus Deo, & hominibus Moyſes, cujus memoria in benedictione eſt*: cap. 46. enarrantur opera Jeſus Nave, actiones Caleb, & Samuelis, 47. laudantur Nathan, David, & Salomon; deinque 48. hoc elogium texitur Eliæ, *beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt, nam nos vita vivimus tantùm, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum*.

Ex quibus omnibus concluditur, quod quemadmodum latere non poteſt ſanctitatis ſplendor, ſed omnium ſe ſe oculis libenter obtrudit, ita declarare, quænam ſint heroicæ virtutes, quæ laudem mereantur, quæ laus viro juſto debeatur, quiſnam talis ſit exiſtimandus, non à privati hominis judicio dependet. Sed quemadmodum apud Judæos benè diſcuſſis clariſſimorum virorum actionibus juſti, ac Sancti non à privatis tantum, ſed ab omni cœtu fidelium declarabantur, ita nulla ferè natio extitit, quæ eumdem ritum, ac legem conſtantiſſimè non retineret.

III. Ut cæteras prætercam, de Romanis narrat Alexander ab Alexandro dier. genial. lib. 6. cap. mihi 14 Quod injuſſu populi juxta traditiones conſecrari ædem, terram, agrum, aut ſanciri nihil poterat. Certe ſi antiquos voluamus annales, reperiemus tàm ἐναγιζῶν, quæ erat conſecratio ſive declaratio heroum, quàm ἀποθέωσιν, quæ erat Deorum conſecratio, ad Senatum pertinuiſſe. Trajano, ut narrat Spartianus, Adrianus divinos honores poſtulavit à Senatu, atque obtinuit. De Antonino Pio narrat Julius Capitolinus *cum jucunditate à Senatu Divus appellatus eſt*. De Marco Antonio Philoſopho, *cum gratias ageret Senatui, quod fratrem conſecraſſet*. De Ælio Elvio Pertinace: *per Senatum, & populum Pertinax in Deos relatus*. Tertullianus in apologet. cap. 5. *Vetus erat*

rat

Google

rat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu approbatus. Hoc idem Euſebius lib. 2. cap. 2. De Athenienſibus idem probat Samuel Petitus ad jus Atticum lib. 1. tit. 1. in principio.

IV. In Eccleſia autem catholica quanta diligentia adhiberetur in notandis Sanctorum geſtis; ex eo conſtat, quod S. Clemens I. ſeptem creavit Notarios in Urbe, qui Martyrum geſta conſcriberent; Platina in ejus vita, & Baronius ad annum 98. num. 3. Hoc idem obſervatum legimus ab aliis Pontificibus, & præcipuè à Fabiano, qui diviſis regionibus ſeptem Diaconibus ſeptem Subdiaconos deſignavit, qui Notariis imminerent, ut Martyrum actiones in integrum colligerent. Baronius in præfatione in Martyrologium Romanum cap. 1. *Exemplo ſummorum Pontificum quilibet Epiſcopus ab initio proprios viros veraces, ac diligentes in ſua diœceſi conſtituebat, qui tale munus exercerent, ut memoriæ Martyrum fierent, eorumque commemorationes celebrari poſſent*, Baronius dict. cap 1. & 4. & ad annum Domini 302. num. 26. Nec tantum Martyrum geſta, cum in Chriſtianos tyrannorum perſecutio deſæviret, hac, quam meminimus, diligentia conſcribebantur, ſed etiam inſignium virorum virtutes, ac miracula: ceſſante autem perſecutione, cum non eſſet abbreviata divina manus, nec diminuta omnipotentia in aliqua ſemper Provincia extitere viri virtutum ſplendore inſignes, miraculorum dono illuſtres, qui quemadmodum in admiratione erant, dum viverent, ſic in veneratione, poſtquam ex hac vita deceſſiſſent, ad quorum tumulos certatim confluebant populi, fundebant preces, accendebant lumina, quem populorum concurſum, ut ait Mattha de canonizat. Sanctorum part. 1. cap. 3. num. 9 Si Epiſcopus approbaſſet referens eorum nomina, vitam, virtutes, & miracula in cathalogo Sanctorum ſuæ Eccleſiæ, talis actio vim canonizationis obtinebat, ſi verò tantum tolleraſſet, erat ſimplex

 quæ-

quædam beatificatio: Gonzalez tamen in cap. Audivimus expreſſe air, canonizationem eſſe unam ex cauſis, quæ ad Apoſtolicam ſedem, & juriſdictionem immediatè ſpectent, adeoque falli vehementer eos, qui exiſtimant ſolum à temporibus Alexandri III. conditoris bujus decretalis de reliquiis & veneratione Sanctorum, cæpiſſe ad Apoſtolicam ſedem deferri cauſas canonizationis, cum multo ante nulla earum potuerit definiri abſque ejuſdem apoſtolicæ ſedis authoritate. Nos verò, ut moderni iſtius authoris ſententiam cum explicatione Gonzalez conciliemus, hoc adiungere poſſumus, declarationem illam, quæ in aliqua particulari diecæſi per proprium illius Epiſcopum fiebat, in rigore, ac propriè non appellari canonizationem, ſi per canonizationem intelligamus actum, & declarationem, qua tota Eccleſia, & omnes fideles obligentur; erat igitur incohatio quædam canonizationis; ſi ſummus Pontifex poſtea talem cultum approbaſſet, & definiendo præcepiſſet, tunc ad totam Eccleſiam extendebatur.

V. Ex particularibus eatbalogis Eccleſiarum compilatus deinde fuit cathalogus univerſalis, ſeu Martyrologium Romanum; animadvertendum autem eſt non fuiſſe in eo conſcriptos omnes Sanctos, qui in qualibet diecæſi, ſeu loco floruerunt, ſed eos tantum, de quorum ſanctitate per legittima documenta conſtabat; quare, ut benè obſervat V. C. Philippus Ferrari, olim Inſtituti mei ſupremus Moderator in ſuo Martyrologio, fieri poteſt, ut in pluribus particularibus locis celebrentur feſta Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio deſcripti. Antiquitus præter aſſignatos modos, quos retulimus, extitit alius indicendi Sanctis cultum, & venerationem per communem Eccleſiæ conſenſum, quo quidem modo inter Sanctos annumerati fuere Eccleſiæ Doctores, aliique Patres Græci; cultus autem iſte, ut plurimum deducebatur, aut ex elevatione, aut ex tranſlatione corporum, & reliquiarum ſervorum Dei. Nam

cum

cum inſignia prodigia Deus per Sanctorum corpora operaretur, cumque populi experirentur utilem ſibi eorum intercesſionem, nec latere poſſet ſanctitatis fama, ex loco, in quo jacebant corpora, ac reliquiæ ad excelſiorem elevabantur, & ad ampliorem, nobilioremque transferebantur. Cum verò decurſu temporis aliqui Epiſcopi faciles eſſent in redigendis in Sanctorum cathalogum iis, qui aliqua ſanctitatis fama occubuiſſent, nec diligenter examinaſſent, quo fundamento populorum animi ad concurſus moverentur cæperunt hujuſmodi cauſæ ad concilia generalia deferri, poſtea ad Sedem Apoſtolicam, quæ omnes ſibi reſervavit. Multa autem extant Pontificum decreta, quæ modum, ac formam præſcripſere in Canonizatione, ac Beatificatione Sanctorum obſervandam; inter cætera autem clariſſima ſunt, quæ edidit Summus Pontifex Urbanus VIII. quibus & explicata, & perfecta fuit antiqua forma procedendi in cauſis Canonizationis, & Beatificationis. Primo enim prohibent, ne in Eccleſiis, Oratoriis, & aliis locis publicis, vel privatis exponantur, vel depingantur imagines, ſtatuæ, aut figuræ hominum, qui ab hac vita migrarunt cum aliqua ſanctitatis, vel martyrii fama, cum coronis, laureolis, ſplendoribus, radiis, palmis, aut aliis ſignis, quæ cultum, ac venerationem indicent, neve ad eorum ſepulchra, quæ à reliquo Eccleſiæ, vel cæmeterii pavimento differre non debent, tabellæ votivæ, aut imagines appendantur, antequam à Sede Apoſtolica canonizati, vel beatificati fuerint, niſi tamen cultus ab immemorabili, ſeu per centum annorum ſpatium ante eorumdem decretorum editionem cum ſcientia, & tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinariorum [qui dicitur caſus exceptus] fuerit præſtitus, quæ quidem centenaria immemorabilis cultus, & venerationis niſi ante decretorum prædictorum editionem per centum annos probata fuerit, removendæ ſunt omnes tabellæ votivæ, imagines, picturæ,

figu-

figuræ cum radiis, laureolis, coronis, &c. lampades, lumina, ſolo æquandum ſepulchrum, & tollendum quodcunque aliud ſignum cultus, & venerationis.

Secundo, quod nulla cauſa in hac materia poſſit inchoari, niſi prius formato proceſſu cum interventu promotoris, ſeu ſubpromotoris fidei, & promotoris fiſcalis, vel Eccleſiæ, qui in omnibus, & ſingulis actibus citari debeat per Ordinarium loci, vel Delegatum apoſtolicum prævia viſitatione Eccleſiæ, & ſepulchri, niſi prius conſtiterit de obedientia præſtita decretis Summi Pontificis Urbani VIII. editis in congregatione generali Inquiſitionis, vel conſtiterit de caſu excepto à prædictis decretis.

Tertio, quod in cauſis ſupradictis procedi non poſſit, niſi elapſis quinquaginta annis à die obitus. Nihilominus Ordinarii locorum poſſunt proceſſus conſtruere, ut tranſmittantur ad ſanctam ſedem, & examinentur à ſacra Rituum Congregatione, an ſint concedendæ litteræ remiſſoriales pro conficiendis proceſſibus, authoritate ejuſdem Sedis Apoſtolicæ primo in genere, deindè in ſpecie, qui poſtquam confecti fuerint, & ad Urbem tranſmiſſi, & probata eorum validitas claudi debent, ac in archivio reponi, nec aperiri, niſi elapſis annis quinquaginta à die obitus ſervi Dei.

Quarto, quod ad canonizationem ſervi Dei, qui titulo Beati decoratus ſit, eique indulta veneratio, procedi non poſſit, niſi prius in S. R. Congregatione denuo facta fuerit plena, & diſtincta relatio non modo eorum, quorum intuitu ſummi Pontifices venerationem conceſſere, verum etiam eorum, quæ poſt indultam venerationem ſupervenerint, ſuper quibus novi erunt proceſſus conficiendi.

Quinto, prohibetur omnibus Nunciis apoſtolicæ ſedis, ne ſe in prædictis cauſis intromittant, niſi hoc illis fuerit commiſſum. Interdicitur ſimiliter locorum Ordinariis, ne ſe ingerant in cauſis ſupradictis poſtquam ſedes apoſtolica

ea in eis manus appoſuerit. Præſcribitur denique forma proteſtationis apponenda in libris continentibus vitam ſervi Dei ſcriptis ante ejus beatificationem, quam formam reperies apud eumdem Mattham par. 5. cap. 2. ex quo authore, utpote verſato in hac tam utili materia hæc, quæ ad praxim ſpectant, deſumpſimus.

DISSERTATIO X.
DE SANCTORUM RELIQUIIS.

CAPUT PRIMUM.

1. Teſtimonia ſcripturarum nobis probant, qualis honor exhibendus Sanctorum reliquiis. 2. Adducitur Geneſis Cap. ultimum, ubi exprimitur juſiurandum, quo fratres Joſeph adſtricti ſunt circa ejus oſſa ex Egypto aſportanda. 3 Oſſa Joſephi quomodo dicantur prophetaſſe Duo aſſignantur Prophetiarum genera, unum vocibus, alterum ſignis, quæ quidem genera ex multis ſcripturæ locis colliguntur. 4. Prophetare eſt aliquando rem miraculo pateſacere. Hoc verbum in Sacra Scriptura quatuor modis ſumitur. 5. Ex novo Teſtamento, ac Sanctis Patribus probatur honos exibendus Sanctorum Reliquiis. 6. Cur illæ majori ſint hodie in honore, quam fuerint in antiquo Teſtamento.

I. QUanto ſint in honore habendæ Sanctorum reliquiæ, primo ex prodigiis, quibus Deus in omni fere ætate earum venerationem conteſtari voluit, probare poſſumus contra Vigilantium, & ſuos noſtrorum temporum aſſeclas. Prima iſtius catholicæ veritatis exempla à ſacris litteris repetenda ſunt. Nonne pallio Eliæ, ut legimus lib 4. Reg. cap. 2. verſ. 8. & 14. diviſa ſunt fluenta Jordanis, & ſuam quodammodo mutarunt elementa naturam, ut ſolidam, ſtabilemque viam gradientibus Prophetis pararent?

Non-

Nonne cadaver in ſepulchrum Eliſei projectum deperditam vitam recuperavit? Nota hæc ſunt, atque lib 4. Reg. cap. 13 expreſſa, ibi enim legimus *quidam autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſei, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.*

II. Interrogemus nunc Adverſarios noſtros, an juſta illis oſſibus debeatur veneratio, quibus debetur vita. Deteriores cadavere Hæretici, qui ad ſacrorum cinerum aſpectum, atque contactum nunquam reſurgunt, qui oſſa, ſacroſque cineres, ac venerandas ſanctorum exuvias contemnut, ne illis proſint beneficia: crudeliores tyrannis Hæretici, illi cæco furore deſævientes in Martyres vitam abſtulere, hi cum vitam auferre non poſſint, mordent oſſa rabidi canes, furioſi venti diſperdunt cineres, & quibus adimere vitam non valent, virtutem, atque honorem conantur auferre. Sed vivit Dominus, qui eſt mortuorum vindex, ac vivorum, & qui aridis oſſibus ſpiritum vitæ infundit. Vivunt, nec tantorum ſæculorum morte deletæ ſunt ſacræ memoriæ, quibus docemur, quam pium ſit opus Sanctorum requias honorare. Geneſis cap. ultimo rogat Joſeph fratres ſuos, ut poſtquam ex hac vita migraſſet, ejus oſſa ex Ægypto transferrent. Hanc pietatem cœleſtibus beneficiis Deum remuneraturum promittit, legimus enim: *Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto:* illi jure jurando adſtricti hanc Joſeph voluntatem poſteris ſuis communicarunt, hi fideliter adimpleverunt, nam ex Ægypto egredientes, atque excuſſo jugo Pharaonicæ ſervitutis ſummo honore, ac diligentia ſacra illa pignora, oſſa videlicet dilecti Patriarchæ, ſecum aſportarunt: nam Exodi cap. 13. expreſſum eſt, *Tulit quoque Moyſes oſſa Joſephi ſecum, eo quod adjuraſſet filios Iſrael dicens, viſitabit vos Deus, efferte oſſa mea hinc vobiſcum* Vides quanta cura in deferendis Joſephi reliquiis? Neque hic volo ſilentio prætetire, quod

ex

ex authore hiſtoriæ eccleſiaſticæ caput 37. Exodi exponente narrat Peretius cap. ult in Geneſim, videlicet, *Contigit ſemel, ut Nilus plus ſolito excreſcens inundaret terram, ubi erat loculus ille Joſeph, eumque locum aquis totum obrueret, obſtricti autem fuerant jure jurando Hebræi, cum Ægypto diſcederent, oſſa ejus unâ ſecum deportare. Tunc igitur Moyſes ſcriptum in lamina aurea nomen Dei Tetragrammaton in aquas injecit, quibus ſupernatans lamina ferebatur, quoad ſtetit ſuper locum, ubi erat loculus Joſeph, indeque ſuſtulerunt Hebræi ejus oſſa, quæ prophetaſſe dicuntur difficultatem itineris, quam perpeſſuri erant.* Quidquid ſit de hac relatione, ex qua deducitur cœleſti prodigio inventa fuiſſe oſſa Joſephi, certè tam hæc, quam corpus Eliſei magno honore Sacræ Litteræ proſequuntur. Nam de oſſibus Joſephi Eccleſiaſtici 49. legimus: *& oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt*, cap. verò 48. de Eliſeo ſcribitur, quod *& mortuum prophetavit corpus ejus*.

III. At quoniam hæc teſtimonia clariſſimè nobis inſinuant non contemnendas eſſe juſtorum reliquias, quibus aliquando Deus mirabilia operatur, hic quærendum nobis eſt, quomodo & oſſa Joſephi, & mortuum Eliſei corpus dicantur prophetaſſe. Graviſſimi interpretes, inter quos Peretius, & Menochius exiſtimant, attributam eſſe oſſibus Joſephi Prophetiam, eo quod in aſportatione eorum fuerit adimpletum, quod multo ante fratribus ipſe Joſeph prædixerat Geneſis cap. ult., nempe *Deus viſitabit vos*, nam tunc oſſa filii Iſraeł tranſtulere, cum jam ab Egypto egrederentur. Huic clariſſimæ interpretationi certe acquieſcerem, ſi de oſſibus tantummodo Joſephi in Eccleſiaſtico ſcriberetur, quod prophetaſſent. Verum hæc eadem laus, ut ſupra notavimus, Eliſei corpori attribuitur, quapropter aliam hic ſubiicio interpretationem à Prophetarum conſuetudine non alienam. Conſiderare igitur debemus, quod ſancti viri divino ſpiritu afflati duobus modis prophe-

phetabant, & vocibus, & ſignis, adeoque duo erant Prophetiarum genera, unum ſcilicet vocibus, alterum ſignis expreſſum; primum oſtendunt ipſa ſcripta Prophetarum vaticinia, alterum actiones Prophetarum, quas Sacræ Litteræ nobis commemorant. Huc pertinet illud Ahiæ Sylonitæ vaticinium expreſſum 3. Reg. cap. 11. verſ. 30. cum pallii novi in duodecim partes ſciſſi decem ſegmina colligere Jeroboamum juſſit, hac imagine ſignificans Salomonici regni ſciſſuram, & decem Tribuum rebellionem, quæ quidem Tribus ipſum Jeroboamum erant ſecuturæ. Sic 3. Regum cap. 22. verſ 11. Sedecias, cum expugnandam Syriam à Iudæis voluiſſet indicare, fecit ſibi cornua ferrea, & ait. *Hæc dicit Dominus, his ventilabis Syriam, donec deleas eam*. Sic Ezechiel, ut legimus ejuſdem cap. 4. Deo jubente tercentis, & nonaginta diebus ſuper idem latus jacuit edens panem ſtercore miſtum, ut ſignificaret futuram urbis Ieruſalem obſidionem, & crudeliſſimam famem, quam habitatores erant perpeſſuri, cap. verò 5. verſ. 1. imminentes calamitates denunciat per barbæ, & capillorum raſuram. Sic 4. Reg. cap. 13. Eliſeus moriturus Ioaſo Iſraelitarum Regi iterato ſagittarum jactu indicavit victorias de Syria reportandas. Sic Iſaias, ut legimus ejuſdem cap. 20. nudus per civitatem incedebat, ut indicaret expoliandã eſſe regna Ægypti, atque Æthiopiæ. Ieremias autem, ut deducitur ex cap. 27. ejuſdem, pendentes e collo catenas deferens Babylonicam captivitatem prænunciavit. Sic, ut habemus in cap. 12. Ezechielis verſ. 3. cum Deus per Ezechielem Prophetam denunciare voluiſſet Sedeciæ Regi Iudæ, ac populo captivitatem urbis Ieruſalem, & Babylonicam ſervitutem, ſic ei præcepit, *tu ergo fili hominis fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coram eis: tranſmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conſpectu eorum, ſi fortè aſpiciant, quia domus exaſperans eſt. Et efferes foras vaſa tua, quaſi vaſa tranſmi-*

gran-

grantis per diem in conſpectu eorum: tu autem egredieris veſpere coram eis, ſicut egreditur migrans. Antè oculos eorum perfode tibi parietem, & egredieris per eum. In conſpectu eorum portaberis, in caligine effereris, faciem tuam velabis, & non videbis terram, quia portentum dedi te domus Iſrael: hoc facto, & ingreſſum inimicorum in urbem, & egreſſum furtivum Sedeciæ ab ipſa, & obcæcationem ejus, cum in manus inimicorum incidiſſet, voluit oſtendere.

Sed non ſolum Prophetæ, ſed veteres etiam ſignis utebantur ad res occultas, & quæ ad inſtruendas gentes pertinerent. Sic Plutarcus in opuſculo de garrulitate refert, quod Heraclitus flagitantibus ab eo civibus, ut ſententiam aliquam de concordia diceret, conſcenſo ſuggeſtu, poculoque aquæ frigidæ ſumpto, atque aſperſo farinæ aliquantulo, eum id pulegio agitaſſet, epotaſſetque, diſceſſit, ſignificans eis contentum vulgaribus eſſe, neque ſumptuoſa quærere, eo civitates in pace, & concordia retineri. Narrat etiam, quod Scilurus Scytharum Rex convocatis octoginta filiis, quos ex diverſis uxoribus genuerat, in medium eorum adduxit ſagittarum faſciculum ſtrictè obligatum imperans, ut eum conarentur frangere, quod eum facere non potuiſſent, juſſit faſciculum ſolvi, & tunc ſeparatis ab invicem ſagittis facile fuit eas rumpere, ſignificans hoc facto conſenſionem, & unitatem validam eſſe, & ineſpugnabilem, infirmam diſſociationem, & inſtabilem. Hæc omnia adduximus, ut clarè demonſtraremus eſſe in more poſitum, ut occulta ſignis exprimerentur. Igitur oſſa Joſephi, atque Eliſei corpus, ideo dicuntur prophetaſſe, non quia locuta fuerint, ſed quia aliquid prodigio, & miraculo patefecerint, præcipuè ſi de corpore Eliſei loquamur, cum de Joſepho ſatis explicatum ſit, cur ejus oſſa prophetaverint. Ecclefiaſtici loco citato, ubi nos de corpore Eliſei legimus, *mortuum prophetavit*, textus arabicus ponit, *& vivificavit mortuum mortuus*, ſignificans videlicet, quod ideò dicitur

pro-

prophetaſſe, quia edidit prodigia, & miracula, quæ vocem ſuam habent, ut aliquid nobis indicent. Rem in pauca conferamus. Verbum prophetare quatuor modis ſumitur; primo pro docere, & hortari ad pietatem; ſic prima ad Corinthios cap. 14. Apoſtolus vocat Doctores Prophetas, quia videlicet hortabantur populum ad pium Dei cultum, & docebant divina myſteria. Secundo ſumitur pro pſallere, ſic Aſaph, & Heman 1. Paralipomenon cap. 25. verſ. 1. dicuntur prophetare, quia pſallebant cytharis, pſalteriis, & cymbalis. Sic 1. Reg cap 19. verſ. 23. Exiit proverbium, *num & Saul inter Prophetas?* eo quod ipſe divinas laudes caneret. Tertio ſumitur pro patratione miraculorum, quo in ſenſu volunt plerique interpretes eſſe intelligendum textum Eccleſiaſtici, in quo ſermo eſt de corpore Eliſei. Quarto pro confirmatione Prophetiæ, & in hoc ſenſu prophetare idem eſt, ac prophetiam confirmare, & ſic oſſa Joſephi, quæ aſportaverunt filii Iſrael, confirmarunt profetiam ab ipſo jam factam. Videmus ergo non fuiſſe vanum elogium, quo ſupradictorum Sanctorum reliquiæ nominantur.

IV. Sed clariſſimè ad rem noſtram Eſtius in Biblia maxima ad hoc caput Eccleſiaſtici, loquens enim de Eliſeo ſic interrogat: *Quæritur, quomodo prophetavit? Greeè eſt: in dormitione prophetavit corpus ejus, per quod ſignificatur ſane dormire potius, quam mortuum eſſe corpus Eliſei, ideſt ita illud quieſcere, ut aliquando ſit ſuſcitandum, nam qui dormiunt, evigilaturi dormiunt. Hanc ergo reſuſcitationem mortuorum, quam corpus Eliſei expectabat, idem ipſum corpus prophetabat, ſed quomodo prophetabat; non ſermone, ſed opere, & miraculo, quando videlicet contactu ſuo ſuſcitavit aliud corpus mortuum.* 4. *Reg* 13. *Per hoc enim ſignificatum eſt, & ipſum Eliſei corpus multo magis reſuſcitandum eſſe, & non eſſe impoſſibilem generalem mortuorum corporum reſurrectionem.* Noſtræ expoſitioni præclarè arridet hic author. Prophetavit Eliſeus,

& quia miraculum fecit, & quia miraculo aliquid locutus eſt, declaravit ergo miraculo poſſibilem eſſe corporum reſurrectionem, declaravit non perire in Sanctis virtutem, illa oſſa, ac cadavera ſua eſſe, ad illos pertinere, adeoque non eſſe à nobis ſpernenda illa ſpolia, quæ iterum ſunt aſſumenda ab eis, & quibus Deus virtutem concedit, ut vivis etiam ſuccurrant, mortuos vivificent, quia ſunt cadavera, atque oſſa juſtorum in Cœlo viventium.

V. Quod ſi in novo Teſtamento ſacrarum Reliquiarum cultus, & venerationis quæramus argumenta, clariſſimum nobis ſuppeditabit mulier illa Hemorrhoiſſa, quæ fimbriam veſtimentorum Chriſti religioſè coluit, reverenter tetigit, atque ex ejus contactu fideliter credidit ſe recepturam ſanitatem: *dicebat enim intra ſe* Matthæi 9. verſ. 21. *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero, at Jeſus converſus, & videns eam dixit, confide filia, fides tua te ſalvam fecit.* Videmus ergo non fuiſſe illam mulierem reprehenſam, ſed laudatam, eo quod venerationem veſtibus Chriſti adhiberet, & crederet ex earum contactu poſſe ſanari. Cur ergo nos reprehendunt Hæretici, quod ſpinas, clavos, ſudarium tanta in veneratione habeamus, religioſè colamus? Actuum 19. dicitur; *Virtutes non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Quis nunc tam demens, qui aſſerere audeat ſudaria Pauli, & ſemicinctia non fuiſſe in honore apud illos populos, nec ullam eis adhibitam venerationem, cum Deus tantis prodigiis illa decoraſſet? Et nos tamquam Idololatræ reprehendemur, & veluti ſuperſtitioſi accuſabimur, cum corpus ipſius Pauli, quod reſurrecturum credimus, religioſa pompa, ac pietate cuſtoditum veneramur? Actuum 5. verſ. 15. antiqui illi fideles in plateas, per quas erat Petrus tranſiturus ejiciebant infirmos, & ponebant in lectulis, ac grabatis,

batis, *ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret, quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis:* quod quidem conſiderans D. Joannes Chryſoſtomus hom. 8. ad populum Antiochen ſic exclamat. *O quanta Sanctorum virtus! non ſola ipſorum verba, & corpora, ſed & ipſa indumenta, creaturæ omni perpetuò ſunt venerabilia. Pauli veſtimenta languores expulerunt, umbra Petri mortem fugavit, Sanctorum Martyrum favilla malignas expellit Dæmones.* At quoniam nos rapit Chryſoſtomus, conſentaneum eſt, ut honorem ſacris Reliquiis debitum ex unanimi in hac re antiquorum Patrum conſenſu probemus. Leontius Epiſcopus Nicopoleos Cypri, prout refertur actione 4. Concilii Nicæni ſecundi, ſic argumentatur: *ſi impium eſt adorare oſſa, quomodo cum omni honorificentia detulerunt oſſa Joſeph ex Ægypto? quomodo mortuus homo, oſſa Eliſei tangens ſurrexit?*

D. Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam ſcribit, *Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti, Manna, Virga Aaron, & Altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur ſepulchrum Domini?* Paulo poſt loquens de falſitate dogmatis Vigilantii ſic ait. *Si non ſunt honorandæ Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus: Si oſſa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Eliſeus mortuus, mortuum ſuſcitavit, & vitam dedit corpori, quod juxtà Vigilantium jacebat immundum? Ergo omnia caſtra Iſraelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Ioſeph, & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine, & ad terram ſanctam immundos cineres pertulerant? Ioſeph quoque in typo præceſſit Domini Salvatoris noſtri, ſceleratus fuit, qui tanta ambitione Iacob in Hebron oſſa portavit, ut immundum patrem avo, & atavo ſociaret immundis, & mortuum mortuis copularet.* D. Joannes Chryſoſtomus hom. 8. ad pop. Antiochen. purpuram Achabi

Regis melote Eliæ poſtponendam eſſe docet. *Etenim purpuram habebat ille, ſed hic melotem habebat, indumentum purpura illa venerabilius. Purpura enim illa famem peperit difficilem; melote autem hæc calamitatem diſcuſſit. Hæc Iordanem diviſit, hæc Eliſeum duplicem Eliam fecit, &c Calceamenta trium puerorum ignem conculcaverunt, Eliſei vinum aquas mutavit, & ut ferrum in ſuperficie nataret, effecit: Moyſis virga mare rubrum diviſit, petram ſcidit: Pauli veſtimenta languores expulerunt, umbra Petri mortem fugavit, Sanctorum Martyrum favilla malignos expellit Dæmones.*

Inter cæteros autem Cyrillus Jeroſolimitanus catecheſi 18. ex facto Eliſei ſuprà memorato oſtendit ſanctorum corporibus, oſſibus, atque reliquiis, obſequium, cultum, venerationemque deberi; corpori enim, utpotè ſanctitatis collegæ, virtutum omnium conſorti, atque miniſtro obedienti aliqua honoris portio debuit aſſignari. Dum autem illud ſancta, atque dilecta Deo vegetaret anima, in eam pulcherrimorum operum laus refundebatur. Eſt ergo admirabile divinæ ſapientiæ artificium, ut ſejuncta, atque in æternas ſedes avolante anima, corpus, quod relinquitur, & miraculis ſplendeat, fructuque aliquo gaudeat, quem totum non poſſit ſibi anima vendicare. Et quidem æquum non videbatur fraudari honore ſuo in terris corpora, quæ omnium bonorum ſanctarum animarum ſocietatem adepta ſunt. Pertinent hæc corpora ad ſanctas animas, inevitabili mortis lege diviſa, ac disjuncta ſunt; habent tamen, vel invita morte triumphantes in Cœlo animæ jus repetendi corpora ſua, interim non patiuntur ea juſtis honoribus privari. Audiamus jam Cyrillum, *Præterea*, inquit ipſe, *Eliam, & filium viduæ ab illo excitatum, & Eliſeum bis excitantem, & in vita, & poſt mortem. Vivens quidem effecit reſurrectionem per animam ſuam, ut autem non ſolum ſanctorum anima honoretur, credaturque, quod etiam in corporibus mortuo-*

rum

Google

rum ineſt virtus, ſeu potentia; jacens in ſepulchro Eliſei mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens vivificatus eſt. Atque ita mortuum corpus Prophetæ perficit opus animæ, & mortuum, jacenſque vitam præbuit defuncto, exhibenſque alteri vitam, ipſum nihilominus mortuum permanſit. Qua de cauſa? Ne, ſi reſurrexiſſet Eliſeus, factum id ſoli animæ adſcriberetur, & ut demoſtretur, quod abſente etiam anima ineſt virtus quædam ejuſmodi corporibus Sanctorum propter tot annorum inhoſpitatas in illis animas juſtas, quarum miniſteria fuere. Neque verò dubitemus quaſi verum ignari fieri iſtud. Si enim ſudaria, & ſemicinctia extra corpus exiſtentia contacta ab ægrotis liberabant illos ab infirmitate, quanto magis corpus ipſum Prophetæ eum, qui mortuus erat, ſuſcitavit.

VI. Poteſt hic fortaſſe aliquis ſcrupulus ſuboriri ex adductis veteris Teſtamenti exemplis ad oſtendendum cultum exhibendum Sanctorum Reliquiis, cur ſcilcet hæc exempla non admodum frequentia ſint in antiqua lege, cur tunc non tantus honos oſſibus juſtorum tribueretur, ſicut nunc à nobis tribuitur; quem ſcrupulum, ut omninò removeamus, neceſſarium eſt oſtendere nos nunc melioribus titulis, ac cauſis impelli ad ſacrarum reliquiarum venerationem, majorem illis eſſe nunc attribuendum cultum.

Quemadmodum enim per primi hominis peccatum, & eramus filii iræ, & amiſſo jure hæreditatis, ac regni perpetuum deplorabamus exilium, ita excluſa à cœleſtibus domiciliis anima eſecrationi erant obnoxia corpora, & qui illa tangebant, cenſebantur immundi. Antequam ſecundus Adam in ligno primi Adami damna repararet, & ſoluto ſui ſanguinis pretio nos de poteſtate tenebrarum redimeret, nulli ad beatam illam patriam patebat acceſſus, adeoque antiqui Patres ab hac vita migrantes in tenebris, & umbra mortis adventum promiſſi liberatoris expectabant. Juſtum autem fuit, ut minori, ac nunc gloria eorum corpora fruerentur; erant enim

ſanctorum corpora, ſed eorum, qui nondum liberi, eorum, qui nondum in patria, nec adoptati ut filii. At cum divinum Verbum naturam noſtram ſuam effecit, ut homines Deos faceret factus homo, tunc ſicut animæ ad gloriam non interituram fuere evectæ, & corpora ad reſurrectionem deſtinata, major illis honos, ac veneratio debuit exhiberi. Præclarè Damaſcenus lib 2. de imaginibus inquit, *Atque in veteri quidem Teſtamento Iſraelitæ neque templa ſub hominum nomine excitabant, neque memoriam hominis die feſto celebrabant. Adhuc enim execrationi erat obnoxia natura humana, & mors erat ſupplicium, proptereaque deplorabatur: mortui autem cadaver immundum reputabatur, & qui illud attigerat Nunc autem naturæ noſtræ ex quo divinitas commixta eſt tamquam vivificum, & ſalutare medicamentum, glorificata eſt natura noſtra, & ad incorruptionem traducta, quapropter & Sanctorum mors diebus feſtis celebratur, & templa ipſis excitantur, & imagines inſcribuntur.* Lib. verò 4. Orthodoxæ fidei cap 6 ait. *In lege omnis, qui tangebat mortuum, immundus efficiebatur; ſed non mortuis annumerandi ſunt Martyres. Ex quo enim ipſa vita, vitæque author, & largitor inter mortuos computatus eſt, eos, qui in ſpe reſurrectionis, & fide, quæ in ipſo eſt, dormierunt, non mortuos appellamus. Mortuum enim corpus quomodo miracula operari poſſit?*

Quæ cum ita ſint, obmuteſcant jam noſtræ fidei hoſtes, ac deſiſtant glorioſis Sanctorum cineribus bellum inferre. Præclaram vitam nos docuere Sanctorum animæ, ad glorioſam reſurrectionem eorum corpora nos invitant. *Etenim*, ut ait Chryſoſtomus tom 1. Homiliarum hom. 47. in S. Julianum, *Martyres nobiſcum Deus partitus eſt, cum animas ſibi ſumpſiſſet, corpora nobis quodammodo largitus eſt, ut perpetuæ virtutis monumentum ſancta horum oſſa teneamus.* Et infrà; *propterea enim Sanctorum corpora uſque ad tempus reſurrectionis nobis commendavit Deus, ut maximæ philoſophiæ materiam, & occaſionem haberemus.* Jam

Jam Martyres tyrannos ſuperarunt, jam Sancti Confeſſores noſtra carne induti mundum, cæteroſque inviſibiles hoſtes vicerunt. Mortui quidem ſunt, ſed in Cœlo vivunt Deſinant hæretici in ſepulchra deſævire, illic non jacent hominum oſſa, ſed repoſita ſunt Chriſti tela, & arma impenetrabilia, quibus non Angeli, non Throni, aut Poteſtates, ſed ipſe Chriſtus indutus proſtravit ſuperbire Principem cervibus noſtris minitantem. Concludamus ergo cum Chryſoſtomo hom. 44. *Multis ſolibus illuſtriores ſunt Martyres, propter eos hodiè, ſi dici poteſt, Cœlo ipſo ornatior terra lætotur, ſed in comparatione non attendas cineres ſanctorum corporum, nec favillam reliquiarum carnis, omniaque oſſa conſumpta temporibus, ſed aperi oculos fidei, & vide eos divina virtute, & gratia Spiritus Sancti amictos, & divini luminis claritate radiantes, non tales de ſuperno ſolis circulo in terram radii jaciuntur, quales à corporibus eorum proſiliunt coruſca luce fulgores, & ipſos diaboli oculos invidentis obcæcant, &c. ita profectò Dæmones, ubi coronatorum Martyrum corpora viderint poſita longe, illico à conſpectu eorum pavidi fugiunt. Non enim ad naturam eorum hic interim mortalem intendunt, ſed in arcanam dignitatem, & gloriam Chriſti, qui in agone certantium induta corpora Martyrum ſuorum ſicut arma portavit? Hujuſmodi enim armis non Angelus, non Archangelus, non ulla alia creaturæ virtus induta eſt, ſed ipſe Dominus virtutum, & Angelorum.*

CAPUT SECUNDUM.

Satisfit nonnullis objectionibus.

1. *Solvuntur difficultates, & aliquæ rationes adducuntur, cur Deus voluerit ſepulchrum Moyſis latere. Exponitur Deuteron. cap. ultimum.; & difficilis locus Epiſtolæ catho-*

tholicæ Judæ Apoſtoli cap. 9. de altercatione Michaelis Archangeli cum Diabolo. 2 Quo ſenſu debeant intelligi verba Chriſti Domini Matthæi cap. 23. verſ. 29.

1. SOlent Hæretici aliquos ſacræ ſcripturæ textus adducere, & ipſos detorquendo conantur probare non eſſe licitus Reliquiarum cultum. Et primo. Si licitus eſt, permiſſus, atque laudabilis cultus Reliquiarum, cur Deus hoc honore privavit Moyſen ſuum fideliſſimum ſervum? cur voluit eum ſecretè ſepeliri, atque ab omnibus ſepulturæ ejus locum ignorari? Legimus enim Deuteronomii cap. ultimo. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino: & ſepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem.*

Reſpondetur, Dominum cognoviſſe Iſraeliticum populum ad Idololatriam propenſum, ac prævidiſſe non paucos extituros, qui auditis Moſaycæ virgæ portentis, ac ſignis in Ægypto patratis, tamquam Deum ipſum Moyſen reputarent, eique divinos honores tribuerent. Ut ergo non tam prompta, atque expedita illis offerretur idololatricæ ſuperſtitionis occaſio, voluit Deus, ne locus ſepulchri ulli ex hominibus manifeſtaretur.

Hæc reſponſio nos inducit ad difficilem locum epiſtolæ catholicæ Judæ, verſ 9. ibi enim ita S. Apoſtolus ſcribit. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſis corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, imperet tibi Dominus.* Major pars Expoſitorum Sacræ Scripturæ, altercationis illius, ac diſputationis occaſionem in eo repoſitam fuiſſe aſſerunt, quod videlicet Diabolus omnem rudentem movebat, ut Moyſes honorifico, atque omnibus notiſſimo loco ſepeliretur, ut populum jam jam finitimarum gentium commercio ad Idololatriam proclivem facilius poſſet decipere. Michael au-

tem Archangelus, cujus cuſtodiæ, ac præſidio populus ille à Deo erat commiſſus, fortiter ſatagebat omnes malignos Diaboli conatus evertere. Victoriam, Deo imperante, obtinuit Michael, ſepultuſque eſt occultè Moyſes, & ignorantia ſepulchri omnem idololatrandi occaſionem abſtulit. In hac opinione fuere Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 32. ſect. 1. Vaſquez. lib. 3. de adoratione Chriſti cap. 4. Bellarm. tom. 1. controverſ. lib. 2. de Sanctorum Reliquiis cap. 4. Nobis verò Sanctorum Reliquiæ non ſunt idololatricæ ſuperſtitionis fomenta, nam ita eas veneramur, ut Deum in illis glorificemus, & laudemus in Sanctis ſuis. Inſuper ſi conſideremus omnes antiquæ legis cæremonias novum Teſtamentum adumbraſſe, & Chriſti veri Meſſiæ adventum, hoc fundamento innixi poſſumus aſſerere, noluiſſe Deum Optimum Maximum cognoſci locum moſaicæ ſepulturæ, cum tamen voluiſſet, ut prædixit Iſajas, glorioſum eſſe ſepulchrum Chriſti, ne ſcilicet Judæi Moyſi, per quem lata erat lex, tam firmiter adhærerent, ut à Chriſto verò Meſſia, & legis perfectore alienarentur, & putarent immutabiles, indelebiles, atque æternas cæremonias legis.

II. Obiiciunt iterum adverſarii verba illa Chriſti Domini expreſſa Matthæi cap. 32. verſ. 29. nempe *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta juſtorum;* ſi ergo, inquiunt, Chriſtus Dominus repræhendit Phariſæos, quia ædificarent ſepulchra, & ornarent monumenta, nullus eſt honor exhibendus Reliquiis, atque oſſibus juſtorum.

Sed reſpondemus ibi non damnari cultum Phariſæorum, quia prohibitus eſſet, & non permiſſus, ſed damnari, quia ſimulatè erat exhibitus; nam Scribæ, & Phariſæi perfidi erant, & ſub ſpecie Religionis ſuam impietatem ſimulabant. Repræhendebant opera majorum ſuorum ore tantum, cum tamen corde eorum ſcelera æmularentur, dicebant enim,

ſi fuiſ-

ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum, & tamen ipſum ſummum Prophetam Chriſtum ad necem perſequebantur; quare eis in ſupradicta reprehenſione ſubiungitur: *Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filii eſtis eorum, qui Probetas occiderunt, & vos implete menſuram patrum veſtrorum*. Reprehenduntur ergo, quia ficte, ac ſimulatè opera pietatis exercebant, ex quo tantum infertur non damnari actum, ſed animum, non pietatem, ſed hypocriſim.

DIS-

DISSERTATIO XI.

DE RESURRECTIONE CORPORUM.

CAPUT UNICUM.

1. *Afferuntur Scripturæ teſtimonia, quibus corporum reſurrectio propugnatur.* 2 *Divi Pauli argumentum* 1. *ad Corinthios cap.* 15. *validiſſimum eſt, atque ex eodem efficaciſſimæ rationes deſumuntur.* 3. *Argumenta Cyrilli, Tertulliani, & Maximi Taurinenſis Epiſcopi, quibus juxta Pauli doctrinam ex Reſurrectione Chriſti noſtra reſurrectio probatur.* 4 *Quibus mediis hanc catholicam veritatem defenderit Athenagoras Philoſophus chriſtianus.* 5. *Expenduntur præcipua loca Tertulliani de reſurrectione carnis.*

I. EGimus in præcedenti diſſertatione de Reliquiis, ac veneratione Sanctorum, cum autem unum ex præcipuis argumentis, quo probare poſſimus nos debere venerari oſſa, ac cineres Sanctorum, in eo nitatur, quod videlicet ſacra corpora, oſſa, ac cineres ad Sanctos pertineant, & ab ipſis in die extremo ſint reaſſumenda, ideò congruum eſt, ut hic contra Baſilidem, qui futuram corporum reſurrectionem negabat, de ipſa reſurrectione agamus, in qua quidem materia, & Sacræ Scripturæ authoritates ſequemur, & rationes illorum veterum Patrum imitabimur, quas omnium Theologorum ſcholæ receperunt; quare neceſſe nobis erit antiqua repetere, cum eadem fere apud omnes argumenta inveniamus;

atque

atque ut à teſtimoniis Sacræ Scripturæ incipiamus. Clariſſimum eſt illud Job cap 19. *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hac ſpes mea in ſinu meo.*

Hæc eadem veritas oſtenditur ex Ioannis cap. 11. ubi commemoratur magnum illud reſuſcitati Lazari miraculum, & ſcribitur, quod dicenti Ieſu Marthæ, *reſurget frater tuus*, & ipſa reſpondit, *ſcio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die*. Inſuper Matthæi cap. 22. Sadducæos futuram corporum reſurrectionem negantes ſic reprehendit Chriſtus Dominus: *Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei, in reſurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo. De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis, quod dictum eſt à Deo dicente vobis, Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.*

II. Legatur Apoſtolus Paulus in ſua prima Epiſtola ad Corinthios cap. 15. ubi validiſſimis rationibus futuram corporum reſurrectionem propugnat. *Si autem*, inquit, *Chriſtus prædicatur, quod reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra: invenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto perierunt. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Videmus ergo, Sanctum Apoſtolum ex reſurrectione Chriſti futuram reſurrectionem noſtram argu-

Google

argumentari, & ita velle utramque eſſe connexam, ut quicumque corporum reſurrectionem negat, & Chriſti reſurrectionem videatur impugnare. Atque ut Apoſtolici vim argumenti percipiamus, ſupponendum eſt, quod Chriſtus Caput noſtrum, de cuius plenitudine omnes accepimus, omnem in ſe ipſo Eccleſiam geſtabat, omnem reformabat, omnem per varios gradus ad ſummum gloriæ faſtigium provehebat, ſic & reſurrectione ſua noſtram promeruit, ſuam de morte victoriam noſtram effecit, nos à terrenis in cœleſtia, atque in paternæ gloriæ conſortium exaltavit. Carnem noſtram induit Verbum, æternus ſcilicet Dei Filius non ut ipſe diligeretur à Patre, qui ſumma erat cum Patre bonitas, ſed ut natura noſtra in ipſo diligeretur. Reſurrexit, nec, cum æterna Vita eſſet, reſurrectione indigebat, ſed ut omnes in ipſo mortui reſurgerent. Sicque non otioſè eum dedit Pater Caput ſuper omnem Eccleſiam, ſed voluit, ut ex hoc Capite omnia membra vivificarentur, & quam in primo capite, nempe Adamo, vitam amiſerant, recuperarent in ſecundo.

III. Præclarè altiſſimum hoc myſterium nobis commendant omnes ferè SS. Patres. *Quemadmodum enim*, inquit D. Cyrillus in Evangelio Joannis lib. 11. *revixit deſtructa mortis potentia, non ſibi ipſi reſurrectionem implens in quantum eſt Verbum, ac Deus, ſed nobis per ſe ipſum, & in ſe ipſo illud tradens, tota enim hominis natura in Chriſto de mortis vinculis triumphabat, ita nequaquam ſibi à Patre dilectionem accepiſſe cenſebitur; erat enim ſemper, & ab æterno dilectus: ſed ut nobis dilectionem à Patre conciliaret, hanc ab eo accipit, etiam cum homo factus eſt. Quemadmodum ergo conformes reſurrectionis, & gloriæ ejus erimus, ac facti ſumus, ut in primitus generis, & in primo Chriſto, ita & dilectionis veluti conformitatem habuimus primas in omnibus tribuentes unigenito, & Naturæ divinæ in nobis incomparabilem bonitatem jure mirantes, quæ ſua ſunt creaturæ*

lar-

largientis, & quæ ſibi uni conveniunt communicantis. D. Ambroſius lib. de fide reſurrectionis ait, *Si enim non reſurgemus, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, ergo Chriſtus non reſurrexit, ſi enim nobis non reſurrexit, utique non reſurrexit, qui, ſibi cur reſurgeret, rationem non habebat. Reſurrexit in eo Mundus, reſurrexit in eo Cælum, reſurrexit in eo Terra.* Tertullianus autem lib. de reſurrectione carnis de Chriſto loquens ait: *Hic ſequeſter Dei, atque hominum appellatus ex utriuſque partis depoſito commiſſo ſibi, carnis quoque depoſitum ſervat in ſemetipſo arrbabonem ſummæ totius; quemadmodum enim nobis arrhabonem ſpiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in Cælum pignus ſummæ totius illuc quandoque redigendæ. Securæ eſtote caro, & ſanguis, uſurpaſtis & Cælum, & Regnum Dei in Chriſto.* Sanctus Maximus Taurinenſis Epiſcopus hom. 6. in feſtum Paſchæ, *In Salvatore*, inquit, *omnes reſurreximus, omnes reviximus, omnes ad cæleſtia tranſmigravimus, eſt in illo Chriſti homine uniuſcujuſque noſtrum carnis, & ſanguinis portio. Ubi ergo portio mea regnat, regnare me credo, ubi dominatur ſanguis meus, me ſentio dominari, ubi glorificatur caro mea, me glorioſum eſſe cognoſco. Quamvis enim peccator de hac communione gratiæ non diffidat, quia etſi peccata nos prohibent, ſubſtantia non requirit. Etſi delicta propria nos excludunt, naturæ communio non repellit. Nam propter bonitatem Divinitatis peculiarem nobis Salvator debet affectum, quia ſicut Deus noſter in ipſo eſt ita & ſanguis noſter in illo eſt.* Et Paulo poſt. *Non tam immitis eſt Dominus, ut non diligat ſuam carnem, membra ſua, viſcera ſua, ait S. Apoſtolus, nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam, nihil ergo de venia deſperemus, nihil de odio timeamus, habemus prærogativam ſanguinis noſtri, in Chriſto enim caro noſtra nos diligit.*

IV. Hoc catholicum dogma, quod in Symbolo Apoſtolorum,

lorum, & Conſtantinopolitano omnibus fidelibus credendum proponitur, variis etiam, ac validiſſimis veterum Patrum argumentis probari poteſt. Ea primo loco recenſemus, quæ ab Athenagora Philoſopho chriſtiano afferuntur, qui floruit Marci Antonini temporibus, atque chriſtianam fidem à variis hoſtium ſuorum calumniis vindicavit. Aureus certè eſt ille liber, quem de reſurrectione mortuorum ſcripſit, in quo tanta continentur argumenta, ut poſteriores ſcriptores illa eadem videantur imitari, & iiſdem armis uti, contra reſurrectionis corporum oppugnatores.

Primum igitur argumentum eſt: Si reſurrectio non eſt futura, aut ideo eſt, quia Deo deſit facultas ſuſcitandi mortuos, aut voluntas, ſed neutrum horum dici poteſt; ergo futura eſt reſurrectio. Probatur major quoad primam partem; nam qui ad aliquid faciendum impotens eſt, vel ideò impotens, quia neſciat, quid agendum ſit, vel quia cum ſciat, non tantæ virtutis eſt, ut illud facere poſſit, ſed in Deo nec eſt defectus ſcientiæ reſpectu corporum ſuſcitandorum, nam ea cognoſcit, quæ nondum ſunt, & ea cognoſcit, quæ jam reſoluta ſunt, nec in eo eſt defectus potentiæ, aut virtutis, nam quemadmodum ſine labore corpora omnia creavit, ita eadem inſtaurare, ac reſuſcitare poteſt; ergo &c. impotentia enim alicuius, inquit ipſe, inde deprehenditur, ſi aut ignoret quid faciendum ſit, aut ſi norit, imbecillior ſit viribus quam ut probè efficiat. Qui enim ignorat, quid faciendum, is neque conari, neque perficere quidquam poteſt, qui autem cognoſcit, quid faciendum ſit, & quomodo, & unde id confici poſſit, vires autem aut omninò non habet, aut non ſufficientes habet ad hanc rem exequendam, quam probe intelligit, is, ſi ſapiat, ſuaſque facultates inſpiciat, aut non tentabit, aut ubi circumſpectè tentaverit, ſine operis deſiſtetur. At qui neque poſſibile eſt, ut Deus ignoret, vel ex parte,

vel

vel ex particula naturam corporum reſurrectioni deſtinatorum, neque enim latere poteſt, quod ſingula ex tabidis membris abierint, & quæ in ſe elementorum partes putrefacta receperint, & in cognatam naturam admiſerint & quantum enim ad rerum noſtrarum ordinem, aliorumque negotiorum dijudicationem majus eſt ea, quæ nondum ſunt, præcognoſcere. Quantum autem ad Dei majeſtatem, ejuſque ſapientiam ambo iſta naturalia ſunt, & nondum nata præcognoſcere, & reſoluta dignoſcere: Atqui vires Dei ſufficere ad corporum reſtitutionem indicat vel ipſorum procreatio, ſi enim hominum corpora, cum non eſſent, condidit, eorumque principia, unde originem trahunt, procreavit, etiam quomodocumque diſſoluta cum eadem facilitate inſtauravit, id enim illi æquè poſſibile eſt.

Quod verò Deo non deſit voluntas ſuſcitandi corpora, hoc validiſſimo argumento ab eodem Authore probatur. Si Deo talis voluntas deeſſet, vel ideò nollet, quia injuſtum hoc eſſet, vel quia indignum Deo ſed neutrum dici poteſt, ergo non deeſt voluntas ſuſcitandi corpora. Probatur minor quoad primam partem. Si injuſta eſſet reſurrectio, vel quia injuria fieret intellectualibus creaturis, aut brutis animantibus: ſed brutis nulla fit injuria, quia non poſſunt percipere juſtitiam, & quamvis poſſent illam percipere, queri tamen non debent, quod homo ipſis nobilior nobiliori ſorte fruatur. Nec injuria fit corpori, nam ſi ipſi nulla fit injuria, cum animæ rationali conjungitur, multo majus erit ipſius lucrum, cum animæ iterum unitum immortalitate donatur. Nec denique injuria fit animæ rationali, nam ſi nullo modo ei fit injuria eo quod uniatur corpori corruptibili, multo magis non erit ei contumelioſum incorruptibili corpori conjungi.

Non eſt inſuper indignum Deo, quod corpora reſurgant, nam ſi non eſt Deo indignum corpus corruptibile condere, non erit Deo indignum ſuſcitare corpus, atque ipſi incor-

Google

corruptionem tribuere. Audiamus ipſum Athenagoram, *Quod enim*, inquit, *ille non vult, ideo non vult, vel quod injuſtum ſit, vel quod indignum ſit. Porro iſta injuſtitia, vel deprehenditur circa illum, qui reſurgit, vel circa alium extra ipſum. Ceterum quod nemini omnium, quæ foris, & extra ipſos reſurgentes ſunt, & in rerum natura inveniuntur, injuria fiat, manifeſta res eſt. Non enim intellectuales creaturæ ex hominum reſurrectione injuriam acceperunt, nihil enim inde illarum eſſentia impeditur, ut quoque ne irrationabilibus quidem, aut inanimatis irrogare videtur, non enim illa poſt reſurrectionem ſupererunt. Jam vero circa illud, quod non eſt, nulla injuria eſſe poteſt.* Proſequitur idem argumentum etiam ex incapacitate juſtitiæ, quæ deprehenditur in irrationabilibus, ac demum concludit. *Porrò neve illud dici poteſt corpora reſoluta in integrum reſtitui, rem eſſe indignam Deo. Si enim quod deterius eſt, mortale ſcilicet, & patibile corpus condere non indignum Deo viſum eſt, multo minus indignum erit, quod præſtantius eſt, & immortalitate, & impatibilitate donatum in rerum naturam producere.*

Alterum Athenagoræ argumentum à recto Dei judicio deſumitur, nam homo totus judicari debet, ergo futura eſt reſurrectio corporum; quod totus homo ſit à Deo judicandus, ex eo conſtat, quod videlicet anima ſola puniri non debet ob peccata, quæ ipſa ſola non perpetravit, nec ſolum corpus, quia & legum, & judicii vim non percepit. Inſuper paſſiones toti homini ſunt tribuendæ, cum anima in corpore exiſtat, nec anima ſine miniſterio corporis, nec corpus ſine anima aliquid operetur; igitur nec ſola anima puniri, & remunerari debet, ſed in conſortium præmii, & ſupplicii debet etiam corpus vocari; & cum in hac vita non videamus hoc judicium adimpleri, ſed potius perverti rectiſſimæ juſtitiæ ordinem, impiorum felicitate, ac lætitia, neceſſe erit, ut in fine ſæculorum hoc

judicium contingat, in quo torqueantur mali, boni coronentur, & corpora, in quibus homines aut bonum, aut malum ſunt operati, admittantur in præmii, aut ſupplicii ſocietatem; *Quod ſi* (en verba Athenagoræ) *contra id, quod ex utroque compoſitum eſt, pro factis ipſius juſti judicii ſententia profertur, fieri non poteſt, ut anima ſola talionem referat eorum, quæ cum corpore geſſit; nam ipſa per ſe non tangitur peccatis, quæ per voluptates corporales perpetrantur, neque item ſolum corpus talionem referre oportet, ut quod legum, & judicii diſcrimen non ſentiat, ſed homo, qui iſtis conſtat, pro unoquoque facto judicium accipere debet. Id autem in hac vita contingere nulla ratione deprehendas, cum multos videamus impios uſque ad mortem malorum expertes exiſtere, eos verò, qui omni virtute ſpectati ſunt in ferendis doloribus, vexationibus, calumniis, contumeliis, & omni genere afflictionis vitam abſumere. Neque etiam poſt mortem deprehendere id queas, non enim jam ſupereſt id, quod ex utroque conſtat; liquet igitur, quod oportet ſecundum Apoſtolum corruptibile illud diſſipatum induere incorruptionem, ut vivificatis reſurrectione mortuis unuſquiſque referat juſtè ea, quæ per corpus geſſit ſive bona, ſive mala.*

V. Hoc eodem argumento utitur Tertullianus, ſicut & multis, & quidem validiſſimis aliis, ad hanc catholicam veritatem propugnandam, aliqua hic tantum delibabimus, ne nimis protrahatur diſſertatio noſtra. Primum igitur argumentum ex verbis Tertulliani deſumptum ſic formari poteſt: Caro eſt digna reſurrectione, ergo caro reſurget; conſequentia optime deducitur, nam ideo adverſarii reſurrectionem negant, aut quia impoſſibilem eſſe contendunt, aut quia indignam. Quod verò digna ſit reſurrectio, ex eo probare poſſumus, quod illa ſit condita manu æterni artificis, & imago quædam Chriſti venturi. *Limus*, inquit Tertullianus cap. 6. *ſatis beatus eſt, etſi ſolummodo contactus. Adeo magna res agebatur, qua iſta materia extruebatur. Itaque*

que toties honoratur, quoties manu Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum accupatum, ac deditum, manu, ſenſu, opere, conſilio, providentia, ſapientia, & ipſa in primis affectione, quæ lineamenta dicebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus, ita limus ille, jam tunc imaginem intuens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus erat, ſed & pignus.

Cap. vero 7. & 8. eamdem carnis dignitatem elegantiſſimè commendat ex eo, quod illa ſit vas, & domicilium tam nobilis animæ ad imaginem Dei conditæ; quod anima ipſa per carnem Sacramentorum gratiam ſuſcipiat, quod in carne actus heroicarum virtutum exerceat, atque immarceſcibilem martyrii coronam conſequatur. *Quam Deus*, inquit, *manibus ſuis ad imaginem Dei ſtruxit, quam de ſuo afflatu ad ſimilitudinem ſuæ vivacitatis animavit, quam incolatui, fructui, dominatui ſuæ operationis præpoſuit, quam Sacramentis ſuis, diſciplinisque veſtivit, cujus munditias amat, cujus caſtigationes probat, cujus paſſiones ſibi appretiat; hæc ergo non reſurget toties Dei? Abſit. Abſit, ut Deus manuum ſuarum operam, ingenii ſui curam, afflatus ſui vaginam, molitionis ſuæ reginam, liberalitatis ſuæ heredem, religionis ſuæ ſacerdotem, teſtimonii ſui militem, Chriſti ſui ſororem in æternum deſtituat interitum.*

Demum cap. 12. non impoſſibilem reſurrectionem oſtendit ex eo, quod in natura ipſa multa quidem, & ſenſibilia habeamus reſurrectionis noſtræ argumenta. Sol occidit, & iterum oritur; granum frumenti in terram jactum, ac ſepultum in uberiorem exurgit ſegetem; ex ſepultis, putrefactiſque ſeminibus omnia refloreſcunt, & perpetua renaſcentium, atque morientium rerum viciſſitudine mundus iſte conſervatur. *Nihil*, inquit ipſe, *deperit, niſi in ſalutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. Operibus eam præſcripſit Deus, ante-*

 quam

quam litteris; viribus prædicavit, antequam vocibus; præmiſit tibi naturam magiſtram ſubmiſſurus, & prophetiam, quo facilius credas prophetiæ diſcipulus naturæ, nec dubites Deum carnis etiam reſuſcitatorem, quem omnium noris reſtitutorem. Et utique ſi omnia homini reſurgunt, cui procurata ſunt, porro non homini, niſi & carni, quale eſt, ut ipſa depereat in totum, propter quam, & cui nihil deperit?

DIS-

DISSERTATIO XII.

DE RELIGIONE.

CAPUT PRIMUM.

1. *Religionis quam variæ in Sacris Litteris acceptiones. 2 Solet aliquando pro vera, & falſa Religione hoc nomen Religio uſurpari. Exponuntur verba D. Pauli ad Coloſ. 2. verſ. 18 Et verba Epiſtolæ Jacobi cap. 1 verſ. 26. ex quibus infertur Religionem etiam ſumi pro recta divinæ majeſtatis cognitione, cum mandatorum obſervantia conjuncta. 3 Religio à relegando, vel relinquendo, vel religando. Superſtitionis etimologia veterum teſtimoniis explicata.* Εὐσέβειαν *ideſt pietatem, ſeu Religionem antiqui appellarunt* γνῶσιν τῦ θεῦ, *cognitionem Dei. Iſtius cognitionis nomine non ſimplex, ac inoſſicioſa cognitio eſt accipienda, ſed talis, quæ obſequio divino conjuncta ſit. Definitio Religionis ex Clemente Alexandrino.* θεοσέβεια & θεοσεβὴς: *quid ſignificent. 4. Explicatur initium Epiſtolæ D. Pauli ad Tit.*

1. HOc præceptum: *Non habebis Deos alienos coram me*, duas includere partes, quarum una prohibendi, altera præcipiendi vim habeat, ex Cathechiſmo Romano jam explicavimus; ſupereſt nunc ut ad ea veniamus, quæ primo præcepto jubentur, quæ cum ad officia Religionis pertineant, de Religione nobis primum agendum eſt.

Religionis nomen ſolet aliquandò in ſacris litteris uſurpari pro partiali aliquo hujus virtutis officio, hoc eſt obſervantia alicujus præcepti, ſive illud ſit ceremoniale, ſive illud ſit morale, ſic Exodi cap. 12. verſ. 26. legimus: *Et cum dixerint nobis filii veſtri quæ eſt iſta religio? dicetis eis, victima tranſitus Domini eſt*; & verſ. 43. *dixitque Dominus ad Moyſen, & Aaron, hæc eſt Religio Phaſe, omnis alienigena non comedet ex eo*, Machabæorum 6. verſ. 11. Obſervantia ſabbati pariter appellatur Religio. Aliquandò generaliter idem ſignificat, ac cultus, ſive ritus; ſic Levitici cap. 16. verſ. 31. dum agitur de expiationibus, & cæremonia Capri Emiſſarii legimus; *Sabbatum enim requetionis eſt, & affligetis animas veſtras Religione perpetua*. Numeror. 19. verſ. 2. ubi agitur de immolatione vaccæ rufæ ſtatim ſubjungitur, *hæc eſt religio victimæ*.

II. Aliquandò indifferenter pro vera, & falſa Religione, ſive pro ſuperſtitione, veteres enim ſolebant appellare Religioſos etiam eos, qui novis ſtudebant ritibus non probatis, neque præſcriptis, neque convenientibus, quo in ſenſu intelligenda ſunt illa D. Pauli verba ad Coloſs. cap. 2 verſ 18 *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & Religione Angelorum*, ubi Angelorum Religio ſumitur pro cultu ſuperſtitioſo, quo Genios, atque infernales ſpiritus aliqui invocabant. Aliquandò pro recta divinæ majeſtatis cognitione conjuncta cum obſervantia accurata legis Sic Jacobi cap 1. verſ. 26. & 27. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt Religio; religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*.

III. Hoc autem nomen Religionis, vel à relegendo, vel à relinquendo, vel religando deductum eſſe veteres affirmant, voluntque illum religioſum vocari, qui attentè perquirat

ea,

Google

ea, quæ divinæ majeſtati conveniunt, ipſique per divinum cultum religatus à vanis, ſuperſtitioſiſque rebus ſemotus ſit. Cicero lib. 2. de natura Deorum inquit: *Qui autem omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & tamquam relegerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo, ut elegantes ex eligendo; tamquam à diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes.* Maſutius Sabinus, quem citat Aulus Gellius lib. 4. cap. 9. Religioſum dici exiſtimat, quod propter ſanctitatem aliquam remotum, ac ſepoſitum à nobis eſt.

Cum verò duo ſint vitia religioni oppoſita, nempe impietas, & ſuperſtitio, & impius ille propriè dicatur, qui Deo cultum denegat congruentem, nec divinam credit exiſtere majeſtatem, in quo genere Athei verſantur. ſuperſtitioſus autem ſit, qui illis tribuit cultum, quibus non debetur, & in uno vitio defectus, in altero exceſſus reperiatur, non erit hic ſupervacaneum aliqua etiam adnotare, quæ ad ſuperſtitionis etimologiam attinent.

• Lactantius lib 4. cap 28. poſtquam docuit, quod religio veri cultus ſit, ſuperſtitio falſi, & nomen religionis à religando, & à vinculo pietatis eſſe deductum, quod hominem ſibi Deus religaverit, & pietate conſtrinxerit, quia ſervire nos ei, ut Domino, & obſequi, ut Patri, neceſſe eſt, poſtea hanc ſuperſtitionis etimologiam adnotat. *Superſtitioſi autem vocantur, non qui filios ſuos ſuperſtites optant (omnes enim optamus) ſed aut ii, qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt, aut qui, parentibus ſuis mortuis, ſuperſtites colebant imagines eorum domi tamquam Deos Penates. Nam qui novos ſibi ritus aſſumebant, ut Deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in Cælum receptos putabant, hos ſuperſtitioſos vocabant;* hinc lucem accipiunt illa carmina Virgilii 8. Æneidos.

hanc tanti numinis Aram
Vana ſuperſtitio, veterumque ignara Deorum
Impoſuit.

Ubi, ut notat Servius, conſtructionem Aræ vana appellavit ſuperſtitionem, quia cautum erat apud Athenienſes, & Romanos, ne quis novas Religiones introduceret, & ideo Socrates damnatus eſt Athenis, & Chaldæi, & Judæi urbe expulſi.

Si verò religionis naturam, atque eſſentiam conſideremus, multa nobis occurrent veterum teſtimonia, quibus illam clariſſimè explicare poſſumus. Mercurius Triſmegiſtus in Pimandro Euſebiam Εὐσέβειαν hoc eſt pietatem, ſeu Religionem appellat γνῶσιν τοῦ θεοῦ cognitionem Dei, quam definitionem probat Lactantius lib 2. qui eſt de origine errorum cap. 15. Religionem quoque eſſe rectam de divinis mentem, docuit Arnobius ſeptimo contra gentes. Et Cicero pro domo ſua. *Nec eſt*, inquit, *ulla erga Deos pietas, niſi boneſta de numine eorum, ac mente opinio.* Hic tamen animadvertere oportet, quod cum veteres definiunt religionem, quod ſit Dei cognitio, iſtius cognitionis nomine non quædam inofficioſa, nuda, & purè ſpeculativa cognitio eſt intelligenda, ſed talis, quæ obſequium, atque honorem comitetur exhibendum divinæ majeſtati. Hierocles ad aurea Pythagoræ carmina *Religioſus*, inquit, *eſt, qui divinam ſcientiam, & ſui perfectionem adeptus eſt, utpotè qui præſtantiſſimum honorem tribuit bonorum cauſis, & principiis per creaturæ ſtudium ad eos, qui ad largiendum natura comparati ſunt, ſeſe convertens, & eo ipſo, quod bona poteſt capere bonorans illos, à quibus iſta perpetuò donantur.* Clemens Alexand. brevem, atque accomodatiſſimam religionis definitionem tradit, vultque eam eſſe virtutem, quæ Deo tamquam ſupremo omnium Domino debitum, & congruentem cultum adhibet, nam lib. 7. ſtromatum, fol. mihi 701. ſic ait: *Quatenus autem* θεοπρέπεια ita enim vocatur cultus Dei majeſtati conveniens, *eſt habitus, qui id conſervat, quod Deum decet*. θεοπρεπὴς *ideſt, qui convenienter Dei majeſtati Deum colit, ſolus erit Dei amicus*: toto

autem

autem hoc lib 7. contendit probare illum eſſe verè pium, ac religioſum, qui eſt cognitione præditus, Religionemque in ipſa præcipuè cognitione verſari, ut ſcilicet diſtinguat ea, quæ excellentia ſunt, & juxta dignitatem venere-tur: ac quidem de homine illo pio ſic loquitur. *Quidquid ergo eſt excellens, & ſuperius exiſtimat eſſe honorabile pro dignitate, & in rebus quidem ſenſibilibus eſſe honorandos magiſtratus, & omnem ſeniorem: in iis autem, quæ docentur, antiquiſſimam philoſophiam, & vetuſtiſſimam Prophetiam; in iis autem, quæ intelligentia percipiuntur id, quod eſt vetuſtius generatione, tempore, & principio carens principium.* Ac demum concludit. *Dei ergo cultus eſt continua animæ cura, ei qui eſt præditus cognitione, & ejus perpetua in Deo occupatio per charitatem, quæ nunquam intermittitur.*

VI. Hinc intelligemus, cur Doctor Gentium Paulus initio Epiſtolæ ad Titum ſe appellet *Apoſtolum Jeſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ*, quibus verbis nobis inſinuat, religionem, de qua hic agit, tria præcipuè requirere, nempe cognitionem veritatis, ſervitutem, nempè humilem, ac piam mentis, & voluntatis affectionem, & demum quædam officia, quibus obſequium demonſtremus, quæ quidem non arbitraria eſſe debent, ſed à Deo ſupremo omnium Domino præcepta, Majoribus revelata, & quæ fidelium cœtus obſervet. Ex verbis etiam ejuſdem Apoſtoli ſatis colligitur per religionem perfici non minus intellectum, quam voluntatem, cum parati, ac prompti eſſe debeamus, ut credamus Deo loquenti, ut obtemperemus Deo præcipienti, captivantes intellectum in obſequium fidei, exercentes voluntatem in dilectione Dei, & proximi, & ipſam divinam dilectionem pro fine proximo habentes, pro fine verò ultimo vitam æternam.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

1. Vita hominis Religio eſt; et omnis cura in ea debet reponi. 2. Creatio hominis oſtendit illum debere eſſe intentum divino famulatui. 3. Idem ex potentiis animæ convincitur. 4. Quid de pulchritudine, ac pulchro antiqui Philoſophi docuerint. Cor noſtrum exiſtimavit Plato non abſque myſterio eſſe præditum duabus alis. 5 Plotini, ac Maximi Tyrii ſententia circa pulchritudinis amorem. 6. Antiquiſſima præcepta philoſophorum de pulchro amando, authoritate SS. Patrum confirmantur.

I. NIhil eſt, quod magis ante humanæ mentis oculos quotidiè verſetur, quam naturæ noſtræ dignitas, & excellentia, quam obſequium illud, quod infinitis propemodum titulis divinæ Majeſtati debemus, ſed tamen nihil eſt, quod magis homines ignorent rerum humanarum ſollicitudinem Religioni anteponentes. Quare ſuis etiam temporibus magnus ille Doctor Chryſoſtomus orat. de inſtituenda ſecundum Deum vita, optabat ſe ab omnibus clamantem audiri cum Regio Propheta pſal 5. *Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Diligunt utique homines vanitatem, cum ſtudent rebus terrenis, quæ animum importuno ſui deſiderio affligunt, poſſidentem torquent, & dum falſa imagine boni ad poſſeſſionem invitant, eodem, quo acquiruntur, momento tranſeunt, evaneſcunt, atque amatores ſuos occidunt. Quærunt homines mendacium, cum felicitatem quærunt, ubi nulla eſt quærenda felicitas; cum ſe in divitiis, honoribus, voluptatibus beatos eſſe exiſtimant. Primum hominis officium eſt Deum diligere, ipſa hominis vita religio, hoc demoſtrare aggredimur,

mur, nec inutilis erit exercitatio noſtra, & quia de præcepto dilectionis Dei ex inſtituto tractare debemus, & quia in ea tempora incidimus in quibus nonnullis odioſum eſt illud æternæ veritatis dogma. *Quærite primum regnum Dei, & Juſtitiam ejus*, & multi cum vulgo exiſtimant hanc ſanctam in divino cultu, ac cœleſti amore occupationem ad ſolitarios tantum pertinere.

II. Diſcutiamus homini tenebras ſuas clariſſimæ rationis fulgore, eumque introducamus in amœniſſimum illum locum, in quo primus Parens eſt conditus. Videbit illic divinam majeſtatem manu, opere, conſilio in formando homine occupatam; *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram;* quod quidem conſiderans Baſilius in Hexameron in homil. 10. inquit; *Noſſe vis te ipſum? Vel hinc auſpicium ſumito, de nullo enim operum, quæ Deus ea hactenus condiderat, vox iſta Faciamus in litteras tranſmiſſa eſt, ſed ſimplici verbo, & mandato Dei omnia creata ſunt. Erudire igitur hinc homo, ac diſce quanti tu unus æſtimandus venias, neque enim generationem tuam velut pretii vulgaris communi creaturarum mandato cenſuit attexendam, in Deo progreditur conſultatio, quemadmodum hoc animal provehi debeat ad vitam. Faciamus, ait, en conſultat ſapiens, & quid ſecum ſtatuerit Artifex, proponit decernendum.* Hactenus Baſilius. Quis verò tam demens, qui putet divinam potentiam, ſapientiam, & amorem ſe occupaſſe in formatione hominis, ut ille cæterorum more animantium in terris vitam degeret, utque ſe ad eam partem præcipuè demitteret, quæ ratione caret. Non eſt hoc hominis officium, ſi hominem à belluis diſtinguere volumus. Summus ille Artifex, qui omnia homini donaverat, hominem ſuæ poſſeſſionis eſſe voluit, omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, ut terrena omnia conculcans cœleſtium rerum deſiderio inflammaretur, & aſſiduo amoris patrocinio contenderet ad Deum, qui ſummum Bonum eſt, poſſidendum.

III.

III: Ipſæ quoque rationalis animæ potentiæ non obſcurè declarant, hominem ad Deum eſſe creatum. Ad quid enim memoria, intellectus, & voluntas liberaliſſimi conditoris pretioſiſſima munera nobis conceſſa ſunt, quam ut indefeſſa perquiſitione veritatis, & vehementiſſimo amore boni ad ipſum ſummum verum, & ſummum bonum transferremur? Nos multum dilexit, qui nos cœleſtium ſpirituum æmulatores effecit, voluitque, ut noſtra converſatio in Cœlis eſſet. Voluit, ut dum beati clare vident, nos fidei lumine intueremur, dum illi poſſident, nos amando, & ſperando perveniremus ad perennem omnium bonorum fontem. Voluit, ut etiam in hoc lugentium domicilio felices, ac beati eſſe poſſemus. Nihil eſt autem, quod homines in terris magis beatos efficiat, quam divinus cultus, religionis amor, præceptorum obſervantia. *Beati*, inquit Regius Pſaltes. pſal. 118. *qui ſerutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum*. Hæc eſſe debet præcipua hominum cura, ſi felices in terris eſſe cupiunt, non ideo creata anima eſt, ac corpori unita, ut corpori ſerviat, ſed imperet, neque ei tam altè, & tenaciter impreſſa fuit divina imago, ut luto conſpergeretur, ſed ingenitæ nobilitatis recordatione extra corpus raperetur, ad altiſſima conſcenderet, & à caducarum rerum commercio ſe ad ſublimium contemplationem revocaret. Quocumque nos vertamus, omnia nos ad divinum amorem invitant, & illa, quæ retrahere videntur, illa amorem ſuadent.

IV. Hæc non dubitabit, qui bene animadverterit, quæ de pulchritudine, ac pulchro antiqua Philoſophorum ſchola docuerit: ac primò dogma Platonicorum eſt, cor noſtrum duabus alis eſſe præditum, quæ intellectum, ac voluntatem exprimunt, quibus animus ad verum feratur, volet ad bonum, cum vult, & liberè extra corpus ſpatietur. Docuit pariter Plato ab ipſa corporum pulchritudine, quæ nos tantoperè delectat, debere citiſſimè progredi ad

ani-

animarum pulchritudinem, & ex ipſa veluti per gradus ad pulchritudinem ſcientiarum, legum, ac virtutum aſcendere, ac demum ad ipſum ſummum pulchrum, propter quod omnia pulchra, & ſine quo nihil pulchrum reperiri poteſt: hæc autem progreſſio non ſterilis cujuſdam contemplationis motus quidam eſt, ſed volatus animi amantis, ait enim in convivio. *Hoc eſt profectò ad amatoria rectè pergere, vel ab alio duci, quando videlicet quis ab his pulchris gratia pulchri illius aſcendere incipit, quaſi quibusdam gradibus utens, atque ab uno primum in duo tranſiens, & à duobus in omnia quæ pulchra ſunt corpora, ab his in omnia pulchra, à pulchris officiis ad doctrinas pulchras converſus, à doctrinis denique malis in illam doctrinam perveniens, quæ non alterius eſt, quam illius ipſius pulchri doctrina, atque ita demum, quid ipſum pulchrum ſit, contemplatur.* Quod ſi omnia à ſummo pulchro ſuam pulchritudinem hauriunt, ſi pulchritudo nos delectat, cur in caduca pulchritudine immorabimur, quæ umbra quædam eſt numquam conſiſtens, cur nos ad ipſum ſummum pulchrum non convertemus, cur ipſum non amabimus?

V. Hæc naturæ lumine ducti philoſophi didicere, hæc inter cæteros docuit Plotinus, qui Æneade 5. lib. 9. cap. 1. ſcripſit, non debere ſapientem diutius adhærere creatæ pulchritudini, eo quod illa ſuas viciſſitudines, ac mutationes patiatur, ſed ab ipſa citiſſimo gradu transferri ad increatæ pulchritudinis ſedem, quæ ſola pulchritudo conſtans, ſola vera pulchritudo. Audiamus Philoſophum, *Quæ nam, inquit, eſt hæc regio, & quo pacto ad eam quis aſcendere poteſt? Profectò huc ille poteſt aſcendere, qui natura potiſſimum ad amandam trahitur pulchritudinem &c. neque tamen pulchritudine corporis eſt contentus, ſed ab hac confugit ad animæ pulchritudinem, virtutes videlicet, ſcientias, officia, leges, atque inde rurſus ad cauſam aſcendit eorum, quæ in anima ſunt, pulchrorum, & ſi quid adhuc ſuperius extat, quouſque tandem ad primum uſque pervenerit,*

quod

quod à ſe ipſo ſit pulchrum, quo ſane perveniens vexari jam deſinit, prius verò nequaquam. Notanda ſunt hæc ultima verba, quæ altiſſimam Philoſophiam ſapiunt. Dum creatam pulchritudinem amamus, vexamur, angimur, inconſtantes ſumus, nec ibi quieſcimus, ſed quibuſdam veluti deſideriorum fluctibus jactati, cogimur ultra progredi. Non eſt hæc igitur noſtri amoris finis, cordis requies, animæ ſolatium, ſed alia eſt quærenda, atque amanda pulchritudo, in qua ſolum verè beamur, ac requieſcimus, ad quam ſi pervenerimus, felices ſumus.

Quod ſi inter homines nemo eſt, qui velit deformis apparere, & unuſquiſque amore pulchritudinis trahitur, & eo magis amat pulchritudinem, quo magis ſua eſt; ita cum geſtemus divinam imaginem, imaginem videlicet ſummi Pulchri, ipſi, ut pulchri efficiamur, & ne reddamur deformes, adhærere ſemper debemus, hoc autem fit conſtantiſſimi amoris miniſterio. Hinc Maximus Tyrius diſ. 1 ait *Scimus quidem pulchrum eſſe Deum, & pulchrorum omnium pulcherrimum, non tamen ſicut corpus pulchrum, ſed id, unde corpori ſua pulchritudo venit. Denique quidquid in fluvio, aut in mari, quidquid in Cælo, cæleſtibuſque Diis pulchrum vocamus, id omne pulchrum, inquam, ex perpetuo, limpidiſſimoque fonte inde dimanat, tantumque ſingula, aut pulchritudinis, aut ſtabilitatis, aut diuturnitatis inter ſe habent, quantum ex eo fonte trahunt, tantumque à pulchritudine recedunt, & ad interitum ſuum tendunt, quantum à Deo abeunt, ſi hæc ſufficiunt, Deum vidiſti, ſi nondum; qua ratione commodè exprimi poterit? Cave vel magnitudinem, vel colorem, vel figuram, aut ſimile quid, quod in materiam cadat, cogites. Demum id, quod amator faceret, qui, ſi pulchrum aliquod corpus eſſet, cujus aſpectum multæ, varieque veſtes eriperent, primum eas detraheret, ut plenè intueri poſſet, idem tu nunc fac, quippe ſi amictum hunc, & quidquid oculos moratur, cogitatione detrahas, in eo, quod reſtabit, idipſum jam videbis, quod quæris.*

VI.

VI. Hæc antiquiſſimæ Philoſophiæ præcepta utpotè rationali naturæ conſentanea, omnibuſque utilia, ut animi à caducarum rerum amore diſtracti æternæ pulchritudinis amore inflammentur, communi Eccleſiæ Patrum ſuffragio approbata ſunt, qui omnes amandum eſſe Deum prædicant, ſi pulchri eſſe concupiſcimus, nec abuti pulchritudinis amore nobis innato, quia Deus ipſa pulchritudo eſt, & ſumma pulchritudo: inter cæteros Auguſtinum referam, qui tract. 9. in Epiſt. Joan. inquit: *Qualis amor eſt, qui reddit pulchram amantem, quomodo erimus pulchri? Amando eum, qui ſemper eſt pulcher. Quantum in te creſcit amor, tantum creſcit pulchritudo, quia ipſa Charitas eſt animæ pulchritudo*; idem etiam in ſuar. confeſſ. lib. 10. cap. 27. exclamat, *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, ſerò te amavi, & ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa, quæ feciſti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent.* Non prætercam Baſilium, qui in pſal. 28. exponens illa verba *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem* inquit: *Pulchra eſt omnis anima, quæ in ſymetria propriarum virtutum coſpicitur. Pulchritudo autem vera, ac proinde amabiliſſima, quam ſola mens omni contagione expurgata poſſit contemplari, circa divinam, ac beatam conſiſtit naturam. Sane qui in ejus micantiſſimum fulgorem, & inexhauſtam gratiam mentem preſſius intenderit, non nihil hinc beneficii in ſe tranſmnit, & derivat.* In regul. autem fuſ. diſp. interrogatione 2. de hac eadem materia eleganter diſſerens tandem concludit: *Sic igitur, duce natura, ſua ſponte hominum animi à rerum pulchrarum expetitione excitantur. Illud autem propriè, verèque pulchrum eſt, atque expetendum, & amabile, quidquid eſt bonum, at bonus eſt Deus, quod autem eſt bonum, id ab omnibus eſt expetendum. Erga Deum expetunt omnia.*

At

At quemadmodum inexcuſabilis homo eſt, ſi omnem curam in divino cultu, atque amore non adhibeat, eo quod geſtet divinam imaginem, & Deus, qui eſt ſumma pulchritudo per rerum pulchrarum veſtigia illi occurrat, ita in ſenſibiſibus rebus, & irrationabilibus animantibus comparandus eſt, ſi religione non vivat, ſi Deum non diligat; vita enim rationalis, & cognitio, & amor eſt, & Deus ipſe charitas eſt, Deus amor, Deus jucunda dilectio. Amor ille ſuaviſſimus mentis oculis ſeſe obtrudit, ſuadetque amantes non longè eſſe ab eo, quia ſine ipſo nec verè diligere, nec rationabiliter vivere poſſunt. Teſtis eſt Auguſtinus, qui ſerm. 34. in pſal. 149. inquit: *Deus de compendio ſe offert, clamat nobis, amate me, & habebitis me, quia nec poteſtis amare me, niſi habueritis me.*

Hæc omnia clarius apparebunt, ſi aliqua circa amorem antiquorum Philoſophorum dogmata examinemus. Docuit Plato in convivio caſtum, atque conſtantem debere eſſe amorem, nec circa caduca verſari, ſed tendere ad permanentia, ad perennia, ad æterna, quouſque ſatietur, ſeque in pelagus ſummæ pulchritudinis demergat. *Pravus* inquit, *eſt amor ille vulgaris, qui corpus magis, quam animum amat, neque enim ſtabilis eſt, cum rem amet minimè ſtabilem, ſimul atque enim corpus defloreſcit, abit, atque avolat, nihil eorum, quæ promiſerat, ſervans. Bonorum vero morum amator per omnem vitam in amicitia perſeverat, utpote qui rem ſtabilem ſectetur.* Poſtea hoc bene diligendi conſilium tradit. *In profundum pulchritudinis pelagus ſe mergat, quicumque hucuſque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus ad finem jam amatorii affectus perveniens ſubito quamdam natura mirabilem inſpiciet pulchritudinem. Hoc illud, cujus gratia labores omnes præcedentes ſubivimus, principio quidem ſemper eſt, nec fit, nec interit, nec creſcit.* Quid memorem Plotinum Æneade 6. lib. 9. cap. 9. ſcribentem centrum, ac finem amoris noſtri

de-

debere eſſe Deum, vitam noſtram, amorem eo quod animus ex Deo ſit, nec pulchritudinem, aut quietem aſſequatur, quouſque ipſi ſummo amori virginali connubio uniatur. *Quoniam*, inquit, *aliud animus eſt, quam Deus, & tamen ex illo neceſſariò amat illum. Jam verò cum illic vivit, cæleſtem habet amorem, hic autem communis ſit, atque vulgaris, &c. animus ergo in naturali habitu conſtitutus amat Deum Deo commiſceri deſiderans, quaſi virgo pulchri ad pulchrum, amore.*

Inter cæteros autem Maximus Tyrius diſſert. 8. diligenter obſervat duo inter ſe valdè pugnantia amoris nomine ſignificari, Deum videlicet, & morbum, à primo omnia bona, ab altero omnia mala derivari. *Ut intelligas rem duplicem, quarum altera cum virtute, altera cum improbitate conjuncta eſt, uno nomine amorem ab hominibus dici, eadem enim voce, & Deum mortales ſignificant, & morbum.* Ac tandem ſic concludit. *Si pulchrum duplex eſt, quorum alterum videtur eſſe, nec eſt, alterum videtur, & eſt, neceſſe eſt eos, qui pulchrum illud ambiunt, quod videtur, nec eſt, ſpurios, & adulterinos amatores eſſe: contra, quid illud, quod videtur, & eſt, veros amatores eſſe, & verum pulchrum amare.* Nec deſunt nobis ſanctorum PP authoritates, quibus antiquã Philoſophorum de amore ſententiam decoremus. Clamant illi Deum nos ad amorem quotidiè invitare, & per ſuam pulchritudinem allicere, Deum dilectionem eſſe, & nos tam intimum, præſentem, notumque illum habere, quam amorem quo in Deum, imò quo in proximum inflammamur. *Deus*, inquit Auguſt. de Trinit. lib. 8. cap 7. & 8. *dilectio eſt, & fideles in dilectione acquieſcent illi, revocati à ſtrepitu, qui foris eſt, ad gaudia ſilentii. Ecce Deus dilectio eſt, ut quid & currimus in ſublimia Cælorum, & ima terrarum quærentes eum, qui eſt apud nos, ſi nos velimus eſſe apud eum? Nemo dicat non novi, quid diligam. Diligat fratrem, & diliget eamdem dilectionem. Magis enim novit dilectio-*

 nem,

nem, qua diligit, quam fratrem, quem diligit. Ecce jam po-teſt Deum habere notiorem, quam fratrem. Plane notiorem, quia præſentiorem, notiorem, quia certiorem: amplectere dilectionem Deum, & dilectione amplectere Deum. Ipſa eſt dilectio, quæ omnes bonos Angelos, & omnes Dei ſervos conſociat vinculo ſanctitatis, noſque, & illos conjungit invicem nobis, & ſubjungit ſibi; quanto igitur ſaniores ſumus à tumore ſuperbiæ, tanto ſumus deilctione pleniores. Et quo niſi Deo plenus eſt, qui plenus eſt dilectione? At enim charitatem video, & quantum poſſum ea in mente conſpicio, & credo ſcriptura dicenti: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. O dignam Auguſtino ſententiam! quid de divino amore clarius, atque elegantius dici poterat! Dignam Auguſtino ſententiam, & quæ Fulgentium laudatorem, & commendatorem habeat, ipſe enim epiſt. 5. ſic ſcribit. *Nonnè tibi videtur aperte ex propheticis, apoſtolicisque doctrinis tracta B. Auguſtini de diligenda dilectione ſententia? Quo circa dilectio Dei, & proximi, qua plenitudo legis, finiſque præcepti eſt, & in Deo charitatem diligit, quæ Deus eſt, & in proximo charitatem diligit, quæ ex Deo eſt. Tunc enim rectè Deus, proximuſque diligitur, cum in Deo, & in proximo ipſa charitas diligatur, ita fit, ut & in Deo ipſum Deum, & in proximo Deum ſine dubio diligamus. Neque enim fruſtra poſt dilectionem Dei non alia, niſi proximi eſt mandata dilectio, ſcilicet ut agnoſcamus illam creaturam nos debere diligere, ubi charitatem ipſam poſſimus invenire; omne namque animal irrationabile ſicut non habet rationem, ſic non habet charitatem.* Fulgentio conſentit Ambroſius in pſalm. 118. ubi, inquit, *amari exigit Deus, qui omnes amat, quia charitas eſt*, & D. Bernardus de conſiderat. lib. 5. cap. ult. inquit: *Quid tam amabile, quam amor ipſe, quo amas, & quo amaris, amabiliorem tamen juncta æternitas facit.*

CA-

CAPUT TERTIUM.

Confirmantur ea, quæ ſuperius explicata ſunt.

1 *R Ecenſentur propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI.* 2. *Oſtenditur ex Sacris Litteris teneri nos ad frequentiam actuum amoris.* 3. *Hæc frequentia amoris eſt humano ſtatui conveniens.* 4. *Eadem veritas validiſſimo argumento propugnatur.* 5. *Exponitur caput* 6. *Epiſt.* 1. *ad Corinth. verſ.* 19. *&* 20. *Item cap.* 4. 1 *Epiſtolæ D. Petri verſ.* 8.

I. IN præcedenti cap. fusè probavimus tutum hominem debere occupari in actibus Religionis, nempè in cultu, atque amore Dei, nunc verò, ut quæ jam dicta ſunt, magis confirmentur, probare debemus actus amoris debere eſſe frequentes; non enim defuere temporibus noſtris, qui ſequentes propoſitiones evulgare auſi ſunt. Prima hæc eſt.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Secunda verò; probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

Tertia denique; tum ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus. Has omnes damnavit S. P. Innocentius XI. & in propoſitionibus damnatis referuntur n. 5. 6. & 7.

II. Quam falſæ autem ſint ſupradictæ propoſitiones clariſſimo ſacrarum litterarum teſtimonio deducitur; nam Deuteron. cap. 6. legimus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua;* quæ verba ſi attentè conſiderentur, non obſcurè præ-

cipiunt frequentes actus amoris Dei, præcipiunt enim, ut cor, animam, fortitudinem in ipſo amore exerceamus, hoc autem non fit ab eo, qui contentus eſt, aut ſemel in vita, aut per quinquennium, aut ſemel in anno actum dilectionis elicere; non enim omnes vires adhibet, qui cum frequentius poſſit diligere, non diligit, nec benè poteſt diligere, qui ſe in amore non exercet, nec frequenter Deum quærit, cum dicat regius Pſaltes pſal. 104. verſ. 4. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper.* Si verſum 6. 7. 8. & 9. ſupradicti capitis Deuteron. percurramus, ſtatim apparebit voluiſſe Deum omnem noſtri cordis torporem, omnem negligentiam prævenire, omnemque excuſationem removere hoc ſanctiſſimo ſuo præcepto tot, tantiſque modis inculcato; legimus enim: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, & oſtiis domus tuæ.*

III. Inſuper nemo ignorat, quod illi actus, qui conditionis, ac ſtatus noſtri proprii ſunt, debent frequentes eſſe, cum autem Dei timor, & obſervantia præceptorum, quæ ex amore oriri debet dicente Chriſto, *ſi diligitis me, mandata mea ſervate* Joan. 14. verſ. 15. ſint humanæ conditionis propriæ, quis negabit eos actus debere eſſe frequentes? Et quidem Eccleſiaſtes cap 12. hoc axioma expreſſum reperitur: *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo*, quæ verba exponens Bernardus ſerm 20. in Cantica ait *Deum time, & mandata, &c. ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc eſt nihil omnis homo.* Et D. Auguſtinus lib. 20. de civit. Dei cap. 3. *Quid brevius*, inquit, *verius, ſalubrius dici potuit? Deum, inquit, time, & mandata ejus cuſtodi, quia hoc eſt omnis homo; quicumque enim hoc eſt cuſtos mandatorum Dei, quoniam qui hoc non eſt, nihil*

nihil

bil eſt, non enim veritas ad imaginem reformatur, remanent in ſimilitudine vanitatis; hinc ajebat Apoſtolus Paulus 1. ad Corinth. cap. 13. veſ. 2. ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.

At ſi loquentibus tam apertè ſcripturis licet nobis ratiocinari, hoc breviſſimo argumento utamur, & oppugnemus ſuo errore adverſarios noſtros.

IV Etiamſi ſemel tantum in vita deberent elici à nobis actus amoris Dei, adhuc ad frequentes actus teneremur; igitur illi debent eſſe frequentes. Nam vel illi actus ſunt difficiles, vel faciles; ſi difficiles, quia tamen præcipiuntur à Deo, nec ſine culpa poſſunt omitti, tenemur, ut benè tandem fiant, ad illos præparari, cum nemo certus ſit poſſe ſe bene agere illud opus, in quo ſe nunquam exercuit, & ad quod ſe non diſpoluit; ſi iſti actus ſunt faciles, quis non accuſabitur de negligentia, quis non judicabitur reus, dum illos differt? differt enim, ac negligit id, quod facilè præſtare poteſt ſummo Bono præcipienti, & infiniti amoris digno. Inſuper cum Deum ſine Deo amare non poſſimus, accedere ad Deum frequenter debemus, ut ſui amoris igne nos inflammet, ſuoque ſplendore illuminet, unde ait Propheta *Accedite ad eum, & illuminamini.*

V. Sed ut noſtrum de frequentia divini amoris facillimè proſequamur argumentum, ad D. Pauli doctrinam animum intendamus; ipſe enim, ut Corinthios à concupiſcentiis, & voluptatibus ad cultum Dei, & rectum vivendi inſtitutum revocaret, ſic eos hortatur cap. 6. Epiſt. 1. verſ. 19. & 20. *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Quæ quidem verba diligenter conſideranda ſunt, nam ex ipſis validiſſimum confici poteſt ratiocinium, Ait Apoſtolus corpora noſtra templum eſſe Spiritus Sancti, quomodo autem Spiritus

Sanctus, qui divinus amor eſt, nos inhabitabit, ſi frequenter non amemus? *Deus*, inquit Joannes epiſt. 1. cap. 4. verſ. 16. *charitas eſt*, *& qui manet in charitate*, *in Deo manet*, *& Deus in eo;* & cap. 3. verſ. 14. *qui non diligit*, *manet in morte*, ergo frequenter diligere debemus, ut in vita maneamus. Templum ſumus, ſed amando habitamur, & habitamus. *Si quis diligit me*, inquit Chriſtus Joan. 14. verſ. 32. *ſermonem meum ſervabit*, *& Pater meus diliget eum*, *& ad eum veniemus*, *& manſionem apud eum faciemus*. Templum ſumus, at quemadmodum juſſit Deus Levitici 12. ut in templo materiali non deeſſet ignis, ſic in hoc myſtico templo ardere debet ignis cœleſtium meditationum, quibus cor inflammatur, & fertur in Deum, qui ut legimus Deuteron. 4. verſ. 24. *Ignis conſumens eſt*, *Deus æmulator;* hoc igne inflammabatur Propheta pſal. 38. verſ. 4. *Concaluit cor meum intra me*, *& in meditatione mea exardeſcet ignis*. Templum ſumus, in quo frequens eſſe debet ſacrificium, ſed cordis contriti, offerri incenſum, ſed attentæ, & piæ orationis, quod poſtulabat idem Propheta dicens Pſal. 140. verſ. 2. *Dirigatur Domine oratio mea*, *ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Templum ſumus, *ubi*, ut inquit Origenes hom. 9. in Exodum *habet defixum altare in ſe animus*, *in quo continentiæ cultro ſuperbiam quaſi taurum immolet*, *iracundiam quaſi arietem jugulet*, *luxuriam*, *omnemque libidinem tamquam hircos*, *& hœdos litet*. Sed veniamus ad alia Apoſtoli verba.

Et non eſtis veſtri, *empti enim eſtis pretio magno*, *glorificate*, *& portate Deum in corpore veſtro*. Dixerat ante Apoſtolus cap. 3. verſ. 23. *Omnia enim veſtra ſunt*, *vos autem Chriſti*; quæ omnia ſimul conjungenda ſunt, & attente conſideranda. Per peccatum primi parentis, cui omnes conſenſimus, & per quem in omnes homines mors pervaſit, eramus filii iræ; ac amiſſo jure libertatis filiorum Dei, ac æternæ hæreditatis, ſub poteſtate Dæmonis, tenaciſſimis vinculis

culis conſtricti detinebamur. At cœleſtis Pater recordatus, quoniam pulvis ſumus, cognoſcens figmentum noſtrum, miſit filium ſuum in terras, ut nos in priſtinam libertatem vindicaret. Deſcendit è cœleſti faſtigio Filius Patri coæqualis, noſtram aſſumpſit carnem, & exaltatus à terra Principem hujus mundi foras ejecit, redemit nos à miſerrima ſervitute ſui ſanguinis pretio liberaliter effuſo, *delens*, ut inquit idem Paulus ad Coloſſ. cap. 2. verſ. 14. *quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci*. Nos ergo, qui ob primum Adamum noſtri non eramus, ſed Dæmonis, jam per ſecundum Adamum, ideſt Chriſtum, redempti, & liberati, noſtri non ſumus, ſed Chriſti. Noſtra illi debetur anima, nam, ut inquit Euſebius Emiſſenus hom. 6 ad Monach. *tam pretioſo munere ipſa Redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur*. Chriſto anima noſtra debetur, quia ſua eſt, & jure creationis, & jure redemptionis; quia verò ſine anima vivere non poſſumus, neceſſe eſt, ut Deum portemus in corpore noſtro, & anima noſtra ſit Author, atque Redemptor animæ; quod quidem fieri non poteſt, niſi frequenter amemus, moriamur voluptatibus, mundi delicias ſpernamus; quam præclaram virtutis, atque amoris exercitationem ſuſcipiens Apoſtolus ſcribebat ad Galat. cap. 2. verſ. 20. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus, quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*. Si unus tantummodo eſſet noſtri amoris titulus, hoc eſt ſi Deus tantummodo Creator eſſet, adhuc frequens deberet eſſe amor, niſi amaremus ingrati videri: ecce multiplicantur fundamenta amoris. Creati ſumus, & ſummo pretio redempti, & ſi res frequentius, atque intenſius amamus, quo magis noſtræ ſunt, ut ſcripſit Seneca, *quod nemo patriam diligit, quia pulchra eſt, ſed quia ſua*, & ſic amamus patrem, quia noſter eſt, fratrem, matrem, domum, parentes, quia noſtri ſunt: quis

magis noſter quam Deus? ipſe eſt Pater Deuteron. 31. verſ. 6. ipſe eſt mater, nam ejus ſuaviſſimis uberibus ſapientiæ nempe, & charitate nutrimur, unde ſponſa Canticor 1. ait, *meliora ſunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis*; ipſe frater, imò primogenitus in multis fratribus, cum noſtram carnem induit, ut ſuos nos cohæredes efficeret, ipſe amicus, quo umquam nemo majorem dilectionem habuit, ut animam ſuam poneret pro amicis ſuis; idem etiam Redemptor, quod conſiderans D. Anſelmus ait *ne amorem divideres inter Creatorem, & Redemptorem, idem tibi voluit eſſe Creator, & Redemptor*. At pariter, cum Deus ſit ſummum Bonum, idem nobis eſt omnia, an non totus illi noſter amor tribuetur? an non frequenter amabitur?

Non obſcurum eſt etiam ad ſuprapoſitam veritatem confirmandam D. Petri teſtimonium, ipſe enim cap 4 Epiſtolæ 1. verſ. 8 ſic fideles hortatur *Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum*; quo in loco manifeſtum eſt loqui Apoſtolorum Principem de charitate ſupernaturali; licet enim agat de mutua charitate, illam tamen ſuadet, cujus finis, ac præcipuum motivum Deus ſit, cum hæc ſola multitudinem peccatorum poſſit operire.

Neque dicas in his verbis conſilium contineri, non verò præceptum; nam idem facer textus ſtatim te de manifeſto errore redarguet. Nam conſilia verſantur circa voluntaria, non verò circa neceſſaria, quæ ſine culpa omitti non poſſunt. Quis autem dicet nos non eſſe obligatos, ut quæramus modum, quo peccatorum multitudo diſſipetur, & operiatur? cum ergo divinæ charitatis præſidio peſtiferum irruentium culpatum venenum devitemus, tenebimur procul dubio in ipſa charitate exerceri; & hinc legimus *charitatem continuam habentes*. Inſuper præceptum charitatis eſſe finem aliorum præceptorum ſacræ nos paginæ docent;

nam

nam 1. ad Timoth. cap. 1. expreſſum eſt, *finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*: unde S. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 44. art. 1. ait: *finis autem ſpiritualis vitæ eſt, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem, & ad hoc ordinantur, ſicut ad finem omnia, quæ pertinent ad ſupernaturalem vitam, unde Apoſtolus dicit 1. ad Timoth. 1. finis præcepti eſt charitas de corde puro, &c.* S. quoque Anſelmus explicans ſupradicta verba D. Pauli concludit *omnis itaque præcepti finis eſt charitas, ideſt ad charitatem refertur omne præceptum*. Huc pertinent etiam illa Davidica verba pſal. 118. *Omnis conſummationis vidi finem latum mandatum tuum nimis*, ubi nomine conſummationis intelligitur perfectio, & nomine lati mandati præceptum charitatis. Quæ, verba exponens D. Auguſtinus ait: *Latum mandatum non intelligo, niſi charitatem*, & paulo poſt; *latum eſt mandatum charitatis nimis, mandatum illud geminum, quo jubetur Deus, & proximus diligi. Quid autem latius, quam ut ibi pendeat tota lex, & omnes Prophetæ?*

Hoc ergo ſtabili, veriſſimoque jacto fundamento ſic ratiocinamur. Obſervantia præceptorum eſt medium, quo tendimus ad finem, nempe ad præceptum charitatis, ergo actus divinæ charitatis debent in nobis eſſe frequentes: veritatem illius conſequentiæ clariſſimo argumento probabimus ab experientia deducto. Difficillimum eſt aggredi media ardua, quando finis, ad quem illa ordinantur, tepidè amatur, & rarò intenditur. Supponamus v. g. aliquem velle reportare trophæa ex hoſtibus, ingredi plaudentibus populis urbem, in Capitolio coronari. Media ad hunc finem difficilia ſunt, nam oportet, ut in laboribus, ac vigiliis ſe exerceat, ut conſtanter pugnet, ut vincat; aggreditur autem hæc media, quia renovat ſæpius intentionem finis, & finis intentus ſuaves reddit labores, dulcem pugnam, ſic pariter difficillimum eſt longo tempore ſervare omnia reliqua præcepta, niſi homo frequenter eliciat actus charitatis,

nam

nam grave bellum in nobis experimur, caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & frequenter à concupiſcentiis noſtris tentamur; cum autem in homine ſit obligatio auferendi talem moralem difficultatem, nempe reddendi ſe promptiorem ad exequutionem mandatorum Dei, erit pariter in homine obligatio eliciendi frequentes amoris actus. Quomodo ergo promptus erit ad præceptorum obſervantiam, qui contentus eſt ſemel in anno elicere actum amoris, qui eſt finis omnium præceptorum? An ille dicetur fervens, & diligens amator finis, cui ſatis eſt ſemel in anno ad illum tendere? Pernicioſus hic torpor, ac culpabilis negligentia in cauſa ſunt, cur ab hominibus tam facilè divina præcepta violentur, & ipſi miſerrimè ruant in graviſſima ſcelera, atque in æternam ruinam infeliciſſimè prolabantur, cur tantam experiantur difficultatem in ſervandis divinis præceptis; ad hæc reſpiciebat regius pſaltes, cum dixit pſal. 16. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras;* undè D. Auguſtinus, qui per verba labiorum intelligit præceptum charitatis ſerm. 9. de verb. Domini ſic ait: *Ecce unde illud jugum ſuave eſt, & ſarcina levis, & ſi anguſta eſt paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus; dicit Pſalmiſta propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras, ſed quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem miteſcunt amantibus.* Videantur, quæ diximus ſupra agentes de lege ſcripta, & legatur Auguſtinus in verba pſal. 30. *nempe ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos;* Joannes Chryſoſt in pſal. 3 præcipuè in in illa verba: *In mandatis ejus volet nimis.*

CAPUT QUARTUM.

Occurritur nonnullis difficultatibus.

1. **D**Uplex modus diligendi Deum toto corde ex D Thoma. Elegans expoſitio Richardi in verba pſal. 3. nempe,

pe,

que, in mandatis ejus volet nimis. 2. *Cum divinus cultus præcipitur ſæcularibus, ipſis tamen permittitur ſæcularia tractare, Eccleſiaſticis prohibetur. Non imponitur grave jugum hominibus, cum ipſis præcipitur, ut prius Deum, ac divina quærant.* 3. *Præceptum charitatis debet frequenter obſervari, ut alia præcepta obſerventur, non tanquam finis, ſed tanquam media.*

I. PRimo dices aliquis. Principaliora argumenta, quæ adduximus, videntur probare non ſolum frequentiam amoris, ſed etiam perennitatem, adeoque cum nimis probent, nihil probant.

Reſpondemus, quod ſi fortaſſe ex illis argumentis deducitur perennitatem amoris deberi Deo, non inde infertur illa nihil probare, cum multò magis probent deberi frequentiam amoris. Quod ut intelligatur, notandum eſt, quod præceptum amoris, cum ſit affirmatiuum, obligat nos ſemper, ſed non ad ſemper, quia tamen ad ſemper non obligamur, non bene infertur, Deo non deberi perennem amorem, ſed infertur Deum erga nos miſeros mortales ita benignum, ac miſericordem eſſe, qui cum ſit dignus, qui perenniter ametur, videns naturam noſtram ad voluptates propenſam, & mundi illecebris diſtractam præcepit nobis tantum ſui amoris frequentiam, & id præcepit, quod ipſo adiuvante præſtare poſſemus, unde D. Thomas 2. 2. quæſt. 44. art. 4. in reſponſione ad ſecundum ait: *Dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere; uno quidem modo in actu, idest ut totum cor hominis ſemper actualiter in Deum feratur, & iſta eſt perfectio Patriæ: alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita ſcilicet, quod nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat, & hæc eſt perfectio Viæ, cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum charitatis, cum non tendat in oppoſitum obiectum, ſed ſolum impedit charitatis uſum.* Prima igitur dilectio nobis non præcipi-

cipi-

cipitur, non quod Deo non debeatur, ſed quia cum ſimus viatores, ad hanc perennitatem amoris pervenire non poſſumus, tunc enim ad perfectum amorem pervenitur, cum anima totaliter cum Deo coniungitur, quod fit in cœleſti patria.

Quamvis ergo multa nos de divino amore dixiſſe videamur, nil tamen, aut parum diximus, ſi conſideremus, quid bonitati infinitæ debeatur. *Noſtra converſatio*, ut inquit Apoſtolus ſæpè à nobis repetitus, *in Cœlis eſt*. Amanti cœleſtes cives Deum charitate perenni Deo ſemper uniti: ſi nobis non datur perenniter amare, frequenter amemus, quia præceptum Domini eſt, & ſi fiat, ſufficit. Contendamus ad tranqillam, ac feliciſſimam illam tam immenſi boni poſſeſſionem, diſcamus velle nimis in divinis mandatis dicente Proheta pſal. 3. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis*. Quod conſiderans Richardus tract. de gradibus violentæ charitatis cap. 2. ait; *Quid eſt velle nimis, quam plus velle, quam poſſe? &c. amat igitur ſic amans anima, etſi non minus poſſe ſuo, nec capit de hac impoſſibilitate ſolatium, ſed potius deſiderii ſuſcipit incrementum. Pſal.* 118. *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas in omni tempore. Quid eſt concupiſcere, deſiderare, niſi non ſatiari deſiderio, & velle amplius deſiderare? Extendit deſiderium in infinitum, qui in infinitum non poteſt amare, amat igitur in menſura, quia virtus animæ, ideſt voluntas, finita eſt, ſed abſque menſura deſiderat amare, deſiderium quaſi in infinitum extendit. Animæ fames deſiderium eſt, ſed non poteſt ſatiari, quia Deus, quem amat, amor eſt, & amans Deum amat amorem. Deus autem infinitus eſt, ergo fames hæc minus quam amore infinito extingui non poteſt. Amor autem ex parte animæ infinitus eſſe non poteſt, poteſt autem deſiderium, quaſi in infinitum tendere. Quid eſt amare amorem, niſi circulum facere, ut nullus ſit finis amoris? Eſt quippe inſatiabilis amor omnia vorans, & ex copia pariens inopiam,*

dum ex prægustatis delicjis amplius deſiderjis inardeſcit. O bone Deus, quem amare edere eſt, quomodo amantes te ſic reficis, ut magis eſuriant, niſi quia tu cibus es, & eſuries? Qui te non guſtabit, te prorſus neſcit eſurire, ad hoc enim cibus, ut eſurire facias.

II. Secundo poteſt opponi. Si hominis vita, ac præcipua ejus cura in Religione ſita eſſe debet, jam nullum erit diſcrimen inter ſæculares, ac viros eccleſiaſticos, cum utriſque incumbat onus ſe exercendi in cultu divino.

Sed facillimè reſpondetur, quod quamvis tota hominis cura in Religione reponenda ſit, non tamen benè infertur nullum fore diſcrimen inter eccleſiaſticos, & laicos. Iſtis enim tamquam præcipua cura imponitur divinus cultus, permittitur tamen, ut ſæcularia negocia tractent; illis interdicitur, cum ſint ſegregati à ſæculo, & divinis miniſteriis deputati. Matthæi 6. Chriſtus Dominus omnibus indifferenter proponit *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Quod exponens Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 16. ait: *Regnum, & juſtitia Dei bonum noſtrum eſt, & hoc appetendum, & ibi finis conſtituendus propter quem omnia faciamus, quæcumque facimus.* Non interdicitur omnibus res ſæculares tractare, ſed tantum eas quærere, & appetere, tamquam primum hominis finem, qui ſolus eſt divina juſtitia, ac Dei regnum. Non imponitur ergo grave jugum hominibus, cum illis præcipitur, ut prius Deum, ac divina quærant, poſſunt enim etiam terrena, quæ agunt, ad Deum ordinare. Unde Apoſtolus 1 ad Corinth. cap. 10. verſ. 31. ait: *ſive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Princeps eſto, ſed prius diſce rationis fræno rebelles concupiſcentias compeſcere. Miles eſto, ſed pugna prius contra inviſibiles hoſtes, & ſcito, quod quicumque adſcriptus eſt militiæ Chriſti, non coronabitur, niſi legitimè certaverit. Mercator eſto, ſed quid tempore pretioſius? vi-

ta,

ta, ſi ſcias uti, longa eſt, pauper eris in auro congeſto, ſi pretioſa ſalutis tuæ momenta projeceris. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur*: dives eris etiam in modico, ſi peccata tua eleemoſynis redemeris, ſi bona non tranſitura quæſieris. Tobias cap. 4. verſ. 23. filium ſuum ſic hortabatur: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Filios habes, domum, ac ſervos, proſpera omnia tibi erunt, ſi prius memineris, qualem patrem habeas, & quanto amore dignum, cujus ſis ſervus, & quanto pretio redemptus, quale benè viventibus domicilium præparetur. Concludamus denique; omnia Deus homini conceſſit, non ut verſarentur in corde, ſed ut ſubjicerentur ſub pedibus ejus. Cor & anima domicilium Dei eſſe debent, & ille prius quærendus, ut ſimus poſſeſſio ejus; non ſimus rerum, ſed illis utamur tamquam noſtris, ut eo perpetuo fruamur bono, cujus ſumus, & cujus imaginem gerimus.

III. Opponitur 3. In præcedentibus probatum eſt frequentem debere eſſe divinum amorem, ne difficilis reddatur obſervantia præceptorum; ergo jam charitatis præceptum non erit finis omnium præceptorum, cum propter præcepta ſervanda ejus frequentia ſuadeatur.

Huic difficultati cum hac breviſſima diſtinctione reſpondemus. Præceptum charitatis debet frequenter obſervari, ut obſerventur alia præcepta tamquam finis, nego, tanquam media concedo. Vel clarius, ut obſerventur alia præcepta per ſe tantum, nego, propter illud præceptum charitatis concedo. Quæ quidem diſtinctio clariſſimè explicabitur, ſi in ſupradicto exemplo ſiſtamus. Miles, ut labores ſuſtineat, ut pugnet, ut res arduas aggrediatur, neceſſe eſt, ut frequenter ſibi proponat & gloriam, & coronam, & dignitates. Quis ergo dicet gloriam, & coronam eſſe media,

ut

ut ille pericula aggrediatur? dicet potius, quod cum media difficilia ſint, debet finis, nempe gloria, frequentius intendi: quæruntur ergo media, ſed propter finem, & magis ille amatur, quàm amentur media: intenditur finis, ut habeantur media, ſed ut obtenta media ducant ad finem.

Dices denique: Si tenemur ad frequentes actus amoris, grave nobis imponeretur onus, nam ſemper eſſemus in dubio tranſgreſſionis iſtius præcepti, cum non ſit determinatum tempus, quo illud obligat.

Huic difficultati breviter ſatisfaciamus ea referendo, quæ graviſſimi, ac probati Authores tradiderunt circa tempus, in quo teneamur actus divini amoris elicere.

CAPUT QUINTUM.

Explicatur, quando tenemur ad actus divini amoris.

1. *Tenemur ad actus amoris, cum incipimus ratione uti. 2. Cum accipimus aliquod ingens beneficium. 3. Quoties accedimus ad Euchariſtiæ Sacramentum. 4. Cum urget gravis tentatio. 5. Cum peculiari titulo obligamur ad actus Religionis. 6. Quoties videmus Deum offendi.*

1. Licet enim non poſſint à nobis omnes circumſtantiæ aſſignari, in quibus ad actus amoris obligemur, cum innumeræ poſſint occurrere, aliquas tamen, & quidem principaliores hic enumerabimus, & hinc apertè conſtabit non eſſe ſub præcepto nobis impoſitam rem obſcuram, & quam tam facile ignorare poſſimus.

Primò teneri hominem ad actum amoris, cum incipit ratione uti, ſententia eſt D. Thomæ 1. 2. quæſt. 89. art. 6. ad 3. quam refert Natalis Alexander in ſua dogmatica,

ac

ac morali Theologia Reg. 4. de Decalogo. Nam rationem homo à Deo non accepit, niſi ut diſcerneret, quam primum poſſet, quidnam ſibi ſit diligendum. Præclarè S. Fulgentius lib. 1. ad Moninum cap. 17. *Creaturæ quippè rationali alia beatitudo non potuit, nec poteſt eſſe, nec poterit, niſi ut agnoſcamus à quo non ſolum facta, ſed etiam à quo rationalis facta eſt, majorem dilectionem exhibeat homo Creatori, quam ſibi: neque enim ei ineſſe poteſt ullatenus ratio, niſi ei poſſet Creatoris ineſſe dilectio, quia nec eſt alia, quæ vera ſit ſapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, niſi dilectio Creatoris. Quia ergo ad Deum amandum ut bonum, & cognoſcendum, ut verum creati ſumus, ſtatim ac incipimus ratione uti, primitiæ noſtri amoris debentur Deo.*

II. Obligamur etiam ad amorem, quoties ingens aliquod beneficium accipimus, nam *beneficia*, inquit Seneca, *etiam feræ ſentiunt, & nullum eſt ferocius animal, quod non cura mitiget, atque in ſui obſequium vertat.* Hinc Deus Optimus Maximus, ut ad obſervantiam præceptorum, atque ad amorem ſuum homines induceret, collata in eos eximia beneficia per ora Prophetarum commemorat, & initio Decalogi proponit, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, ut cognoſcentes, cui debemus vitam, & conſervationem, ad ejus amorem incitemur. Inſuper pſal. 104. ait Propheta, *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus, ſemper, mementote mirabilium ejus quæ fecit.*

Debere homines Deo amorem ob accepta beneficia ipſamet Veritas Chriſtus docuit Lucæ cap. 7. verſ. 41. 42. & 43. Nam cum Phariſæus impio zelo Salvatoris clementiam erga Mariam Magdalenam tacitè reprehenderet, hæc illi parabola propoſita eſt. *Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta; non habentibus illis, undè redderent, donavit utriſque. Quis ergo eum plus diligit? reſpondens Simon, dixit, æſtimo, quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei, rectè judicaſti.*

Ex

Ex ſententia igitur Salvatoris ille plus debet diligere, cui plus donatur; ergo cum beneficium amore rependatur, qui beneficium a Deo accipit, Deum amare debet, & tunc præcipuè, quum accipit.

III. Quod ſi, quum beneficium accipimus, Deum amare tenemur, nonne obligabimur ad amandum, quoties accedimus ad ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum? Incruento illo Sacrificio recolitur memoria Paſſionis innocentiſſimi Redemptoris; mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Et quod profectò majus beneficium miſeris mortalibus potuit conferri? quod conſiderans Auguſtinus ait. *Audeo dicere Deus cum ſit Omnipotens, plus dare non potuit, cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit, cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit*. Summum, ac ſingulare beneficium eſt, in quo dantur nobis omnia, quia datur nobis Deus, huic autem reſpondere non poſſumus, niſi amemus. Dixit Chriſtus Jo. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Manemus autem in illo*, explicat Auguſtinus tract. 27. in Joan. ante medium, *cum ſumus membra ejus, manet autem ipſe in nobis, cum ſumus templum ejus. Ut autem ſimus membra ejus, unitas nos compaginat, ut compaginet unitas, quæ facit niſi charitas?*

IV. Obligamur etiam ad actum amoris, quoties gravis urget tentatio, & timemus à Deo ſeparari, tunc enim reſiſtemus, ſi fuerimus, ut inquit Apoſtolus ad Epheſios cap. 3. in Charitate radicati, & fundati, nam quemadmodum annoſa quercus fixis profundè radicibus adverſantium turbinum furore non evellitur, quemadmodum imis terræ viſceribus adhærentes ſcopuli, altèque fundati

Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras minimè timent; ita & nos, ſi divinæ Charitati adhæſerimus, infirmabimus vires adverſariorum noſtrorum, omnemque eorum impetum declinabimus.

Conſideremus gentium Doctorem, dignum ſpectaculum mundo, Angelis, & hominibus, & quomodo charitate divina munitus omnes ſuos adverſarios provocabat, ad Rom. cap. 8. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius: certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Conſideremus etiam, qualem actum amoris exercuerit patientiſſimus Job cum ab uxore de deſperatione tentaretur his verbis cap. 2. vers. 9. Dixit autem illi uxor ſua, *adhuc tu permanes in ſimplicitate tua benedic Deo, & morere: qui ait ad illam: Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es, ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſcipiamus?* Quæ quidem verba oſtendunt conformitatem illam ad divinum velle, qua ille ſeſe contra omnia adverſa armaverat dicens: *ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

V. Quam neceſſarii ſint nobis amoris actus, cum peculiari aliquo titulo ad actus Religionis obligamur, vel illos ſuſcipimus, ſi tunc aut devincimur affectu mortiferi peccati, aut conſcientia illius torquemur, multis poſſet validiſſimis rationibus probari. Inter actus religionis, ut infrà explicabitur, enumeratur Devotio, Oratio, Sacrificium, Adoratio, & Votum, at quis non intelligit, quod ut recte iſti actus exerceantur, tenemur ſaltem aliqua divini amoris inchoatione ex affectu peccati emergere, illumque deponere, quod fieri non poteſt, niſi juſtitiæ authorem diligere incipiamus; aliter poſſent nobis aptari verba Chriſti Domini Marci 7. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Quicumque phariſaicam perfidiam deteſtatur, debet in ſpiritu, & veritate Deum adorare. Hinc Joannis 4. Chriſtus dixit: *Venit hora, & nunc eſt, quando*

vera

veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate. In ſpiritu adorant, qui mentis affectu Deum colunt; in veritate, qui cultu exteriori, & piis operibus mentis affectum teſtantur. Ita explicat Concilium Tiburicenſe celebratum anno 1584. titulo primo. Præcepit Dominus Iſaiæ Prophetæ ſuo, ut legimus ejuſdem cap 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & Domui Jacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt...... Rogant me Judicia juſtitiæ... Quarè jejunavimus, & non aſpexiſti, humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Ex quibus omnibus, & ex iis, quæ in toto hoc capite reperiuntur, manifeſtè colligitur non eſſe grata, neque accepta Deo illa opera, quibus cor non reſpondet, & in quibus non volumus divinæ obſequi voluntati, ſed noſtræ, conſtanter adhærentes malo, averſi à Deo. Omnem ergo hominem, qui orat, aut in actibus Religionis ſeſe exercet, ſumma ope niti oportet, ut cor à pravis affectibus removeat, & ad Deum convertatur. *Enimverò*, inquit Joannes Chryſoſt. hom. 23. in Geneſim, *ſi cum ad homines accedimus tanto ſtudio noſtri curam agimus, ut propè ſtantes ſæpenumero non videamus, ſed colligimus mentem, & ad eum ſolum ſpectamus, ad quem accedimus, quantò magis apud Deum idem facere, continuò, & jugiter precibus inſiſtere congruit? Propter hoc et Paulus ſcribens dicebat: Orantes in omni tempore orate, & in ſpiritu, non lingua tantum, & cum perpetuo inquit vigilantia, ſed & in ſpiritu*, & D. Auguſtinus de rectitudine Catholicæ converſat. ait: *ſicut nullum in vulnere valet medicamentum, ſi ſit intus ferrum, ita nihil proficit illius oratio, in cujus pectore mortiferum verſatur odium.* Illis quidem, qui peccati veneno infecti ſe exercent in actibus Religionis, nec conantur ad Deum converti per actum amoris, poſſunt aptari verba illa pſalm. 77. *Dilexerunt eum*

in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo. Mentitur lingua, qui Deum appellat Dominum, cum talem Dominum non timeat, & cum libenter ſub miſerrima peccati ſervitute detineatur. Mentitur lingua, qui regnum poſtulat cœleſte, nec vult illicitas terrenarum rerum cupiditates deſerere. Mentitur lingua, qui Deum Patrem nominat, & fugit, etiam cum vocatur ad Miſericordiæ amplexum. Juſtè cupiebat Propheta David pſal. 140., ut ejus oratio ad divinum conſpectum, velut incenſum aſcenderet. Incenſum ut aſcendat, igne opus eſt, ignis eſt charitas, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Suaviſſimus odor virtutes ſunt, quæ tanti ignis calore excitantur, adde charitatem, proſunt omnia, detrahe charitatem, nihil proſunt cætera, inquit D. Auguſtinus ſerm. 5. de verb. Domini.

VI. Teneri inſuper nos ad divini amoris actus, quoties videmus Deum graviter offendi, aut audimus contemni, & blaſphemari ſanctiſſimum ejus nomen, ipſæ amoris leges ſuadent; nam cum amor amantes inter ſeſe conſociet unumque ad alterum transferat, hoc efficere ſolet, ut in bonis rei amatæ complaceamus, noſtras reputemus ejus injurias, quomodo ergo amabit Deum, qui aut non gaudet, cum audit eum laudari, aut non triſtatur, cum ejus majeſtas offenditur? Optimum ſui amoris nobis præbuit documentum regius Propheta, qui pſal. 118. ait: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi*, & poſtea, *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*, & pſal. 68. verſ. 10. *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me*. Habemus exemplum in Moyſe, qui ut narratur Exodi cap. 23. Iratus eſt contra populum, eò quod conflatum aureum vitulum adoraſſet, confregit legis tabulas, hoc facto zelum ſuum oſtendens, & ulciſci volens irrogatam Deo injuriam. Numerot. 25 Laudatur zelus Phinees, qui initiatos libidini ad turpem Beelphegor aram propria manu confodit. E-

lias

lias pariter zelo divini honoris ductus errantem populum increpavit, Sacerdotes Baal juſſit occidi 3. Reg. cap. 18. ſic Actor. 7. Stephanus Judæos reprehendebat, eoſdemque Judæos Joannes Baptiſta Lucæ 3; Matthæi 3. & Herodem Matthæi 14.

Quamplures aliæ ſunt circumſtantiæ, quæ nos obligant ad actum amoris, quæ ut melius intelligantur, proponitur.

DISSERTATIO XIII.

Qui lapſus eſt in mortale peccatum, tenetur cum poteſt, quærere medium ſuæ juſtificationis, vel per actum amoris, hoc eſt contritionem perfectam, vel per Sacramentum pœnitentiæ, nec debet in longum tempus diſtrahere talem inquiſitionem.

CAPUT UNICUM.

1. Quinam docuerint peccatorem non teneri ſtatim poſt peccatum quærere medium ſuæ juſtificationis. 2. Citantur propugnatores affirmativæ ſententiæ. 3. Fundamenta eorum, qui negativam ſententiam tuentur. 4. In re tam difficili proponitur media quædam, & facilis via, in qua omnes conveniant, & conciliantur utriuſque ſententiæ rationes. 5. Præceptum pænitentiæ naturale eſt, & fundatur in reverentia Deo debita, itaut ſi Deus abſque ulla pænitentia remiſiſſet offenſam, adhuc remaneret debitum pænitentiæ. Ex hoc axiomate validum deducitur argumentum. Injuriam fieri divinæ Majeſtati per dilationem converſionis, Sacrarum Scripturarum teſtimonio probatur. 6. Ira divina tribus modis proximare dicitur peccatori. 7. Juſtè puniri procraſtinantes converſionem, & ratione, & SS. Patrum teſtimonio probatur. 8. Nulla major Acedia, quam ea negligere, quæ ad ſalutem pertinent. Explicatur Proverb. cap 1. verſ. 24. ut demonſtretur quam gravis ſit culpa procraſtinantium. 9. Futuri providentia eſt maximè neceſſa-

ceſſaria, cum agitur de negocio ſalutis. Exponitur Iſaiæ cap. 28. & cum aliis ſcripturæ locis conciliatur. 10. Expectare tempus mortis, ut debita Deo amoris officia rependamus, error eſt impiorum. 11. Deus pœnitentiæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi non promiſit craſtinum. 12. Quamvis homo ſciret ſe certò perventurum ad tempus, quod expectat, non ideò tamen deberet negligens eſſe. 13. Periculoſa eſt converſio, quæ protrahitur ad ægritudinem. 14. Hæc eadem confirmantur authoritatibus novi Teſtamenti. 15. Ex Auguſtino colligitur illa, quæ adducuntur teſtimonia, non ſolum de die Judicii, ſed de die mortis eſſe intelligenda. 16. Clariſſimè inſinuatur in verbis Sacræ Scripturæ adductis contra procraſtinantes contineri divinum præceptum. Referuntur Doctorum, atque Interpretum ſententiæ 17. Facilis traditur regula, ut præceptum à conſilio diſtinguamus. 18 Non debere homines in ſtatu peccati perſeverare valido ratiocinio probatur. 19 Peccatum depravat hominis intellectum. 20. Explicatur Ezechiel. caput 33. 21 Permanere in peccato eſt eſſe in periculo mortis temporalis, & æternæ. 22. Peccatores à Deo percuti, nec amplius tolerari, cum devenerint ad certum numerum peccatorum, deducitur ex Auguſtino. 23. Satisfit primæ difficultati in contrarium adductæ, & reſpondetur, quod quamvis nullus confeſſarius interrogaret, & nullus pœnitens confiteretur de dilatione in requirendo medio ſuæ juſtificationis, non tamen benè deduceretur non eſſe præceptum, neque obligationem &c. D. Bernardi ſententia de vitio Acediæ. 24. Quamvis dilatio converſionis augeat peccatum, non tamen quælibet dilatio eſt novum peccatum. 25. Clariſſimè reſpondetur ad ea, quæ opponuntur ex cap. Omnis utriuſque ſexus de Pœnit. & Remiſſionibus.

I. SCio non defuiſſe graviſſimos authores, qui docuerint peccatorem non teneri ſtatim poſt peccatum ad procurandum medium ſuæ juſtificationis, inter quos P. Franciſcus Suarez de Pœnit. diſp. 15. ſeſs 5. qui citat Durandum, Adrianum, Sotum, Canum, Viguerium, Angelum, & Joannem de Medina. In eadem etiam opinione fuit Eminentiſſimus de Lugo de Pœnit. diſput. 7. ſeſs. 11. Caſtro Palao tom. 4. tract. 23. diſp. 1. puncto 20. §. 1. num 3. P. Vaſquez 3. part. quæſt 86. art. 2. dub. 5.

II. Non deſunt tamen affirmativæ ſententiæ propugnatores, inter quos Argentina in 4. diſt. 17. art. 4 ad 4. Paludanus ibidem quæſt. 1. art. 3. concluſ. 2. Alenſis 4. part. quæſt. 77. membro 4 art 1. D. Antoninus 3. part. tit. 14 cap 8 §. 2. Major in 4. diſt. 17. quæſt. 5. & 9. S Bonaventura in 4. diſt. 17. art. 4. in 2. parte quæſt. 3. Sylveſter verbo contritio num 4. & Marſilius in 4. quæſt. 12. art. 1. par. 5. & alii, quos referunt Lugo, & Suarez locis citatis, & P. Cardenas affirmativæ ſententiæ propugnator in ſua Chriſi Theologica diſſert. 6. cap. 3. art. 1.

III. Antequam opinionem meam proferam in hac tam ardua diſputatione, neceſſarium duco illorum hic fundamenta oſtendere, qui negativam ſententiam defendunt, & quia eadem ferè reperio apud omnes, mihi ſufficiet adducere Suarii, ac Cardinalis de Lugo rationes.

Primò quidem dicunt illi, peccatores non teneri ſtatim poſt peccatum quærere medium ſuæ juſtificationis: primò ex ſenſu communi omnium fidelium, qui nec in ſe talem obligationem gravem agnoſcont habendi contritionem ſtatim poſt peccatum, nec de illa dilatione ſe umquam accuſant, necullus confeſſarius de hoc pœnitentem interrogat, ſcilicet nemo in praxi exiſtimat eſſe novam culpam actualem ex dilatione aliqua pœnitentiæ. Qua quidam in re

quam-

quamvis illi loquantur de præcepto pænitentiæ non obligante ſtatim poſt peccatum, ſive ut melius dicam, ad ſtatim poſt peccatum, videntur etiam aſſerere non teneri peccatorem ſtatim poſt peccatum commiſſum quærere medium ſuæ juſtificationis.

Dicunt inſuper, quod grave onus per tale præceptum imponeretur peccatoribus; nam differentes talem inquiſitionem medii, ſemper eſſent in dubio multorum criminum; ſi enim novum peccatum eſt dilatio, quotieſcumque homo cogitaret ſe eſſe in peccato, & non quæreret medium juſtificationis, novum peccatum committeret, & quodammodo in infinitum gravaretur. Eccleſiam non impoſuiſſe nobis hoc onus, cum ſit præceptum tantummodò confeſſionis annuæ, ut conſtat ex capite *Omnis utriuſque ſexus* de pænitentiis & remiſſionibus. Peccatorem ad tale præceptum non obligari, neque ex generali ratione virtutis pœnitentiæ, quæ cum ſit præceptum affirmativum non obligat pro omni tempore, ſed quoddam tempus determinatum habet. Non obligare ex lege juſtitiæ, quia quamvis peccatum mortale ſit injuria irrogata Deo, & ideo quamdam induat malitiam injuſtitiæ, non propterea ex eo emergere poteſt hæc ſubitanea obligatio compenſationis; ideò enim ex violatione juſtitiæ contra hominem oritur obligatio reſtituendi ſtatim fundata in præcepto non detinendi rem alienam, quia videlicet homo, cui facta eſt injuria, patitur detrimentum in bonis ſuis, ſi quod illi aufertur, ſtatim non reſtituatur; ſed Deus per hominum injuriam nullum patitur hujuſcemodi detrimentum, igitur non obligat, ut ſtatim poſt peccatum ei ſatisfiat. Denique probant non teneri ex lege charitatis erga Deū, quia hæc lex non obligat ad perennitatem amoris, ſed ad frequentiam, & præcipit, ut dilectio non differatur multo tempore, & lex amicitiæ non imponit, ut procuremus, quod alter nos diligat, ſed quod nos amicum, & inimicum diligamus, ex quo dicunt, attenta lege charitatis eſſe tantum in peccatore

obli-

obligationem diligendi Deum, non autem procurandi ſtatim recuperationem gratiæ ejus, ſi per peccatum amiſſa fuit. Hæ ſunt principales rationes, quibus nituntur negativæ ſententiæ authores, quas ad compendium redegimus, non ut infirmaremus earum robur, ſed ne toti videremur in aliorum opinionibus enarrandis, breves in noſtra ſententia explicanda.

P. Cardenas in ſua *Chriſi* Theologica loco ſupracitato, profitetur ſe mediam quamdam viam inter oppoſitas ſententias tenere, aſſerit enim, & libenter concedit Eminentiſſimo de Lugo, ac Patri Suarez, hominem peccatorem, neque ex lege juſtitiæ, neque ex lege pænitentiæ, neque ex lege charitatis in Deum eſſe obligatum, ut ſtatim commiſſa culpa quærat medium ſuæ juſtificationis; aſſignat tamen aliam legem, ob quam peccator ad tale medium quærendum ſtatim obligetur, nempè legem cavendi à contingentia damnationis æternæ, quæ poteſt accidere ex ſubitanea, & improviſa morte, & multis quidem validiſſimis rationibus aſſertum propugnat.

IV. Nos verò, qui ſapientibus, & inſipientibus debitores ſumus, ut inquit Apoſtolus, quia omnes ſapientes viros etiam inter ſe litigantes amicos noſtros volumus, aliam mediam viam eligimus. Probabimus quidem cum P. Cardenas debere peccatorem cavere à contingentia damnationis æternæ; ſed cum loquimur de inquirendo medio juſtificationis poſt peccatum, abſtinemus à voce *ſtatim*, quia quamvis illa intelligatur practicè, & moraliter, hoc eſt, ut explicant cum Suarez graviſſimi Theologi, *quamprimum poſt finitum peccatum occurrit, & cogitatio ipſius peccati, aut aliquid, quod ſufficienter excitet ad illum practicè habendam, & aliunde ſit etiam opportunitas ad exercendam contritionem*; tamen ignari, & indocti vocabuli vim non benè percipientes poſſent offendi, atque arbitrari, nullum relinqui ſpatium inter commiſſionem culpæ, & perquiſitio-

tionem medii ad juſtificationem conducentis. Mentem igitur noſtram ſub his terminis exprimimus; tenetur peccator quærere medium ſuæ juſtificationis vel per actum amoris, vel per ſacramentum pænitentiæ, & tenetur talem inquiſitionem non multum differre. In hoc propitium habebimus Cardenas, & omnia ejus argumenta. Nam qui probat ex obligatione cavendi à contingentia damnationis æternæ teneri peccatorem ſtatim poſt peccatum quærere medium juſtificationis, multo magis probat non debere peccatorem per multum temporis ſpatium talem inquiſitionem differre. Habebimus etiam amicos omnes eos, qui contrariam ſententiam tuentur, quo ad quærendum ſtatim remedium. Nam Suarez diſp. 15. ſeſs. 6. num. 3. De Lugo diſp. 7. ſeſſ. 11. communiter dicunt, quod præceptum pænitentiæ, licet non obliget ſtatim poſt peccatum, obligat tamen non ſolum in articulo mortis, ſed etiam anteà.

V. Ut igitur noſtrum aſſertum clariſſimè probemus, ſupponimus concedere ſupradictos Authores, firmiterque aſſerere dari præceptum pænitentiæ, & illud præceptum eſſe naturale, atque, ut ait Lugo ſeſſ. 12. num. 251. 252. 253. fundari in reverentia debita Deo offenſo, ita ut, ſi Deus abſque ulla pænitentia remiſiſſet offenſam, adhuc remaneret debitum pænitentiæ habendæ. Sicut licet Rex condonaret ſubdito irreverentiam, & contumeliam gravem ſibi irrogatam, adhuc jure naturæ obligaretur ſubditus ad oſtendendum ſibi diſplicere, quod fecerat, & ad petendam veniam; & oſtendendum ſe paratum ad emendandum, & corrigendum priorem errorem, alioquin videretur de novo contemni Rex, ſi ſubditus ex parte ſua nulla ratione vellet ſatisfacere, ſed abuti Principis indulgentia. Sunt verba ipſius de Lugo, ex quibus ſic ratiocinamur.

Qui tenetur jure naturæ ſatisfacere pro peccato, & pænitere, quamvis illud remiſſum ſit, quamvis Deus diſpen-

ſaret

ſaret in tali ſatisfactione, ne videatur Dei contemptor, multo magis tenetur, cum nondum remiſſum ſit peccatum, illud deteſtari, nec differre ſuam converſionem; ſed tenemur ad primum; ergo ad ſecundum; conſequentia patet. Nam ſi ex titulo reverentiæ erga Deum debemus ſatisfacere pro peccato, cum idem titulus reperiatur in diligentia converſionis, & major contemptus divinæ majeſtatis in ejus dilatione, debet procul dubio peccator ſuam converſionem non differre, & procurare opportunum medium ſuæ juſtificationis.

Quod verò injuria fiat divinæ majeſtati per dilationem converſionis ipſa ſacra eloquia teſtantur, non enim appellarentur rei divinæ vindictæ, ac provocatores cœleſtis iræ procraſtinantes ſuam converſionem, niſi damnabilis eſſet dilatio, & injuria fieret divino numini. Et quid frequentius nobis occurrit in ſacris litteris? præcipua hic teſtimonia afferemus, cum pauca ſufficiant, & quidem in veteri Teſtamento Eccleſiaſtici cap. 5 verſ. 8. legimus: *Non tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, ſubitò enim veniet illius ira, & in tempore vindictæ deſtruet te.* Complutenſes vertunt, *Egredietur ira Domini, & cum negligens fueris, detereris.* Syra verſio, *Ne cuncteris pœnitere coram Domino, & ne impedimentum patiaris.* Vatablus, *Ne differas converti ad Dominum, nec diem ex die ducas, nam ira Domini repentè erumpet, rerumque ſecurus profligaberis, & tempore ultionis peribis.* Arabicus textus *Nam pœna repentè irruet, & tempore retributionis exitium.* Septuaginta, *Et cum negligens fueris, detereris, & diſperderis.* Malvenda *Repentina exibit ira Domini, cum neglexeris.*

VI. Palacius, quem in hoc capite citat Cornelius à Lapide, ait, divinam iram tribus modis dici proximare peccatori; vel quia illi merſi in deliciis, omne tempus breve exiſtimant, dummodo illis gaudeant; vel quia noſtra brevis eſt vita, & cum minus cogitamus, venit judex Deus iratus

tus debitorum rationem expoſcens; vel quia omne peccatum ex natura ſua citam pœnam requirit, quod ſi illa non ſtatim venit, hoc provenit ex Dei miſericordia.

VII. Quam juſtè autem ob dilationem converſionis puniantur peccatores, ipſæ rationes naturales ſuadent, nam ut argumentatur Cornelius à Lapide in hoc Eccl. Cap. *Quis viperam lethiferam manu ferat, & non ſtatim excutiat? Quis peſtem in corpore alat? Quis hoſtem capitalem intra mœnia ferat? Quis cadaver vermibus horridum domi toleret? Quis Dæmonem in mente geſtet? Peccatum lethale eſt vipera, eſt peſtis, eſt hoſtis, eſt cadaver, eſt dæmon. Illicò ergo, ut illud ſentis totis viribus pænitendo excutias.*

D. Joannes Chryſoſt. hom. 22. in Epiſt. 2. ad Corinth. aſſumens ſupradicta verba Eccleſiaſtici ait: *Memor eris converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; neſcis quid paritura ſit ſuperventura dies; periculum enim, & metus eſt in differendo, ſalus verò certa, & ſecura, ſi nulla ſit dilatio. Ne dicas, erit aliquando tempus, quando converti licebit; verba enim hæc Deum valdè exaſperant. Cur nam cum ipſe tibi infinita ſæcula promiſit, tu in præſenti vita laborare non vis, quæ parva, & momentanea eſt, ſed ſic marcidus, ac diſſolutus agis, quaſi hac breviorem aliam quamdam inquiras? Inebriatus es? ventri indulſiſti? rapuiſti? Siſte jam gradum: verte te in diverſum, confitere Deo gratiam, quod non in mediis peccatis te abſtulit. Ne aliud quære privilegium, ut malè opereris. Multi cum aliis damnum fraudolenter facerent, ſubito perierunt, & ad manifeſtum judicium abierunt. Time ne & tu hoc patiare inexcuſabilis. ſed multis, inquis, dedit Deus privilegium, ut in ultima ſenecta confiterentur. Quid igitur? Nunquid & tibi dabit? fortaſſe dabit inquis: cur dicis fortaſſe? Contingit aliquoties. Cogita quod de anima deliberas: proinde etiam de contrario cogita, & dic; quid ſi non det? quid autem ſi det, inquis. Det quidem ipſe: veruntamen hoc illo certius, & utilius.*

Quid

Quid præſtantius dici poterat non minus, ut oſtendatur diligentia neceſſaria in peccatore ad ſuam converſionem, quam periculum, culpa negligentiæ, & provocatio iræ divinæ?

D. Auguſtinus hom. 13 in tom. 10. quem citat Corn. a Lapid. in hoc cap. ait: *Promiſit enim tibi Deus, quoniam quo die converſus fueris, obliviſcatur mala tua præterita, ſed nunquam vitam craſtini diei promiſit tibi. An forte non tibi illam promiſit Deus, & promiſit illam tibi Mathematicus, ut damnet te, & illum? Miſericordia Dei eſt, quia neſcit homo quando moriatur. Latet ultimus dies, ut obſerventur omnes dies.* Item ſerm. 202. de tempore. *O homo quare differs de die in diem forte hodie habiturus ultimum diem?* D. Baſilius admonitione ad filium ſpiritualem ita ſcripſit. *Quando te peccatis obnoxium ſenſeris ad pœnitentiam cito converti, ne confundaris .... Et ne miſericordia Dei fretus peccata peccatis adjicias, ne velis dicere, donec viget ætas mea, carnis concupiſcentiam exercebo, & poſtremo in ſenectute malorum meorum pœnitentiam geram ...... Noli pariter fili cogitare, quia ſumma ſtultitia eſt hoc in mente apud Dominum concipere, cum, & impium ſit talem licentiam à Deo expectare quempiam, noli, inquam, ſic cogitare, cum neſcias qua die moriturus ſis, quis enim novit hominum diem exitus ſui? Non enim omnes in ſenectute privabuntur hac luce, ſed in diverſis ætatibus de hoc mundo migrabunt, & in quibus actibus vocabitur homo, in iiſdem neceſſe eſt reddere rationem.*

Videmus ergo prædici in Eccleſiaſtico divinam iram, perditionem, atque interitum iis, qui differunt converſionem. Videmus ex Baſilio, Chryſoſtomo, Auguſtino impium eſſe expectare tempus ad illam, cum incerti ſimus de die, hora, atque momento mortis.

VIII Nonne grave peccatum eſt acedia? Et quæ major acedia, quam ea negligere, quæ ad ſalutem pertinent, differri inquiſitionem medici à ſauciato lethali vulnere? Cum

cla-

clamant contra reum delicta, cum offenſa eſt divina majeſtas, expectare tempus ad Deum placandum? An talia ſunt ſcelera, & tanta eſt utilitas in offenſa Dei, quæ non mereatur ſtatim deteſtari? Dicat aliquis, cras convertar, & quare non hodie? An talis eſt Deus, quem hodie non poſſis quærere, & vocantem amare, quem iratum hodie placare non debeas?

Sed percurramus jam alios Sacræ Scripturæ textus, quibus clariſſimè demonſtrabitur, quantum provocetur ira divina per dilationem converſionis peccatorum. Proverb. cap. 1. verſ. 24. legimus. *Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Ex quibus verbis ſatis deducitur gravem eſſe procraſtinantium culpam, non enim divina ſapientia, quæ introducitur eos vocans, eos expectans ad pœnitentiam, eos hortans ad fugiendam culpæ miſeriam, ad excutiendum jugum peccati, ad altè retinenda conſilia vitæ æternæ, diceretur ridere in eorum interitu, niſi dilatio, & permanentia in illo miſerrimo ſtatu eſſet deteſtabile genus impietatis. Hinc etiam tollitur omne effugium illis, qui exiſtimant ſupradicta Sacræ Scripturæ loca, in quibus ſermo eſt de converſione peccatoris, continere conſilia, non præcepta, nam prætérquam quod tale præceptum adeſſe infrà probabimus, hic deducemus, quod quamvis eſſent conſilia, adhuc tamen ſine culpa omitti non poſſunt. Nam tunc conſilia poſſunt ſine culpa omitti, quando aliunde tutè conſequi poſſumus finem, ad quem illa dirigunt. v. g. Suadeo Titium jejunare ad edomandam carnem, ad ſuperandas tentationes, poteſt ille tale conſilium omittere, quia poteſt alia media adhibere ad hunc finem obtinendum, nempe vigilias, flagella, &c. peccator autem, qui ſuadetur ad converſionem, & cui proponitur veluti ſalutare remedium non differe negocium propriæ ſalutis, ſi illud differat, ſi multum mo-

re-

retur, nullam excuſationem adhibere poteſt, nec ullum tutum medium invenire præter diligentem inquiſitionem remedii. Inſuper eadem ſacræ ſcripturæ verba manifeſtè oſtendut deſpicientes divina conſilie eſſe reos magni delicti, & eſſe ſeverè puniendos; legimus enim ibi *Deſpexiſtis omne conſilium meum* &c. *ego quoqae in interitu veſtro ridebo*.

IX. Qui hæc æternæ veritatis documenta negligit, nihil aliud, quam culpabilem torporem in erroris ſui patrocinium poteſt vocare, cum ratio ſuadeat futuri providentiam, atque ſollicitudinem operis ſummè neceſſariam eſſe, cum agitur de negocio animæ, de periculo ſalutis, hinc Proverb. cap. 6. verſ. 6 legimus: *Vade ad formicam, ò piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. Uſquequo piger dormies? Quando conſurges à ſomno tuo, paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, ut dormias, & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies, quaſi vir armatus*. Illi, qui cum hodie tempus opportunum habent, ut ad Deum convertantur, futurum expectant, nec credunt ſibi inſtare divinam iram, & exiſtimant longe eſſe flagellum ultricis juſtitiæ, non aliter ac ſi Deus eos punire non poſſit, niſi quando ipſi puniri volunt, omnes illi, inquam, appellantur à Deo viri illuſores per os Iſaiæ Prohetæ cap 28. Horum ſermo erat, *Manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*: Vnde eis reſpondetur, *Propter hoc audite verbum Domini Viri illuſores .... Dixiſtis enim, percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus*. ſed verſ. 17. ſtatim ſubiungitur. *Et ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura, & ſubvertet grando ſpem mendacii, & protectionem aquæ inundabunt, & delebitur fœdus veſtrum cum*

mor-

morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Flagellum inundans cum tranſierit, eritis ei in conculcationem, quandocumque pertranſierit, tollet vos. Quæ quidem verba ſi ea, qua par eſt diligentia, obſerventur, intelligemus juſtè appellari illuſores eos, qui pernicioſa ſpe temporis futuri profundunt pretioſa momenta temporis præſentis, in quo debent ad Deum converti, dicente Propheta pſal. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Videntur inire fœdus cum morte, & cum inferno, qui vivunt quaſi non morituri, & qui commiſſo peccato non curant Deum offenſum placare, tamqam ſi peccatoribus æterna ſupplicia non parentur. Hoc eſt ponere mendacio ſpem ſuam, & mendacio protegi, promittere ſibi longam vitam cum agitur de quærendo remedio ad ſalutem, & interim dormire. Sed o ſomnum infelicem æternæ mortis præcurſorem, in quo ut ad Deum loquebatur David pſal. 87. v. 6. Morantur quidem pigri, ac torpentes, *ſicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.* Vulnerati quidem à ſerpente peſtifero, & ejus veneno infecti, unde Eccleſiaſt. 21. verſ. 2. legimus, *Quaſi à facie colubri fuge peccata.* Dormientes in ſepulchris, non reſurgentes ad pœnitentiam ſcelerum, cum tamen videant omnem ætatem, omnemque hominum conditionem mortis imperio ſubiectam, & inexorabili falce ſuccidi vitæ filum, cum adhuc ordimur. Ipſi de manu tua repulſi ſunt, quia ſe elongaverunt à vita; nam ut ad ipſam vitam loquebatur regius pſaltes pſal 72. verſ. 27 *Qui elongat ſe à te, peribunt*, pſal. verò 128. *ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam, Dominus juſtus concidet cervices peccatorum.*

X. Expectare tempus mortis, ut debita Deo amoris officia rependamus, ut in ejus amicitiam revertamur, error eſt impiorum; unde Eccleſiaſt. cap. 17. verſ. 26 ſcriptum eſt, *ne demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere.* Pulcherrima etiam ſunt illa verba Oſeæ cap 14. quibus

docemur quærere juſtificationis remedium; nam poſtquam verſu 2. dixerat, *Convertere Iſrael ad Dominum Deum tuum, quoniam corruiſti in iniquitate tua*; verſ. 3. ſubiungit *Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Non dico*, exponit Rupertus, *tollite vobiſcum multitudinem hircorum, aut vitulorum, ſed verba quæ conſequi poſſunt ſine diſpendio rerum, verba confeſſionis Deo pro ſalute veſtra ſufficiunt, pro iniquitatibus veſtris ſatisfaciunt*.

XI. Errat profectò cum impiis, qui perſeverans in miſerrimo culpæ ſtatu, multum differt converti, & hæc ſalubria verba ſecum tollere. Magnum enim periculum eſt in mora, nam, ut inquit iterum Auguſtinus in pſalmum 114. *Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promiſit, ſed huic dilationi tuæ craſtinum non promiſit*. Et D. Gregorius hom. 12. in Evangelia: *Qui pœnitenti veniam ſpopondit peccati, diem craſtinum non promiſit*.

XII. Sed ſupponamus hominem ſuam confeſſionem procraſtinantem poſſe pervenire ad illud tempus, quod expectat, ut ad Deum convertatur, ut quærat medium ſuæ juſtificationis, an ideo debet negligens eſſe, ac multum differre? Fallitur, qui poſtquam peccavit, putat ſe hodie non debere peccatum deteſtari, numquam enim licet in peccato permanere, quod ſi hodie non debet, quando deteſtabitur? in ſenectute? in ægritudine? in gravi periculo? in morte? negocium ergò tanti ponderis ad ea momenta reſervabit, in quibus fortaſſe minus poterit? Ipſa ſenectutis incommoda infirmabunt vires, memoriam reddent debiliorem, vexabunt animum, trahentque ad ſollicitam corporis curam, & vitia, quæ in mores tranſierunt, nec expelli poterunt, nec diſplicere.

XIII. Incerta eſt etiam converſio, & valde periculoſa, quæ ad ægritudinem, ad periculum, ad mortem protrahitur,

tur, nam dolores corporis ſpernere, mentem ad Deum elevare opus eorum eſt, qui aſſidua exercitatione virtutum ad immortalitatem contendunt, & quibus nihil magis formidandum, quam periculum divinæ offenſæ, nulla major moleſtia, quam vel leviſſimæ culpæ recordatio. Quid ergo agent in gravi periculo, in morte miſeri illi, jam aſſueti culpæ miſeriis? præoccupabitur mens horrore periculi, totumque erit de liberando corpore conſilium. Quid agent in morte, ubi inviſibiles hoſtes majori impetu inſurgent, ubi feſſos artus gelidus timor invadet, cum deficient vitales ſpiritus, & cum jam non ad agendum, ſed ad hinc exeundum deliberabitur? *Quid facis o homo*, inquit Baſil. orat. 4. de pænit; *cum multum valeas in agendo, juventutem tuam in peccatis traducis, ubi verò in labore fracta fuerint inſtrumenta, tunc ipſa ad Deum adducis, cum illorum nullus ſit uſus, ſed neceſſariò labant, ac torpent ob longi temporis tabem?* Seneca verò de brevitate vitæ ait: *Num pudet te reliquias vitæ tibi reſervare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit? quam ſerum eſt tunc vivere incipere, cum deſinendum eſt mori.* D. Auguſt. hom. 41. ſic loquitur: *Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus nunc exit, ego non ſum ſecurus.* Et occurrens tacitæ objectioni inquit *Debeo plenius exponere, ne me aliquis male intellexiſſe intelligat, numquid dico, damnabitur? non dico; ſed dico etiam liberabitur? non; ſed quid dicis mihi? neſcio, non preſumo, non promitto, neſcio. Vis te dubio liberare? vis quod incertum eſt evadere? Age pœnitentiam, dum ſanus es, quando peccare potuiſti: ſi autem vis agere pœnitentiam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa . . . . Duæ res ſunt, aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur, quid horum tibi futurum ſit, neſcio: ergo tene certum, dimitte incertum*

XIV At ne videantur deeſſe in novo Teſtamento authoritates, quibus ſuprapoſita veritas illuſtretur, clariſſimus

ille locus cap. 2. verſ. 5. Epiſtolæ ad Rom; ubi Paulus ſcribens de eo, qui divina abutitur miſericordia, & pœnitentiam, & converſionem differt, ſtatim ſubiungit. *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die ira*. Vbi notandum eſt impœnitentes, ac duros corde theſaurizare iram, nam quemadmodum qui in terris theſaurizat, argentum argento, auro aurum adiungit, ita qui converſionem differunt, theſaurizare dicuntur, eo quod impœnitentia, ac dilatione novam iram excitant, ac provocant. Unde D. Hieronymus, quem hic citat Cornelius à Lapide, *ſicut*, inquit, *qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri, ut fugiat, qui ſi fugere nolit, tanto fortius ſagitta emiſſa configitur, quanto majori tempore arcus intenſio fuit facta, ſic Deus tarditatem, ſupplicii gravitate compenſat*. Hanc ſimilitudinem multò antè expreſſerat regius Propheta pſal 7, ubi ait *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum, & in eo paravit vaſa mortis*.

Sed cur tot requirimus teſtimonia, cum ipſamet Veritas Chriſtus jubeat nos ſemper eſſe paratos, ac fugere contingentiam damnationis æternæ? Matthæi cap 24. verſ. 41. *Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit*, & verſ 44. *Ideo, & vos eſtote* parati, *quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt*. Cap. etiam 25. proponens virginum prudentum parabolam ait verſ. 13. *Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam*. Lucæ 12. verſ 39; & 40. *ſi ſciret Pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam, & vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*. Item Lucæ 21. verſ 34. *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa*. At quomodo poterit dici paratus ille, qui negligit quærere medium ſuæ juſtificationis, & qui differt converti ad Deum perſeverans in miſerrimo ſtatu peccati?

XV.

XV. Neque dicas in ſupradictis authoritatibus ſermonem eſſe de die judicii, non autem de die mortis, nam tibi ſtatim occurret Auguſtinus, qui epiſt. 80. ad Heſychium ait: *In quo quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc comprehendet mundi noviſſimus dies. Quoniam qualis in die illo quiſque moritur, talis in die illo judicabitur.*

XVI. Non dicas etiam in illis verbis contineri conſilium, non vero præceptum, nam ut ſupra jam probatum eſt, conſilia verſantur circa ea, quæ poſſunt abſque culpa omitti, & quæ neceſſaria non ſunt ad ſalutem; cum autem ad æternam ſalutem conducat diligens converſio, & neceſſarium ſit quærere medium noſtræ juſtificationis, jam in hoc non erit conſilium, ſed præceptum. Quod verò ſit neceſſarium, patet ex iiſdem verbis Chriſti Domini, nam parati eſſe debemus, ne ſuperveniat in nos repentina ira, ſed tota præparatio conſiſtit in hoc, quod habeamus promptum medium noſtræ juſtificationis; ergo qui tale medium negligit, non eſt paratus, & negligit rem neceſſariam, ut fugiat damnationem æternam, & venturam iram. Obſervat etiam P. Suarez, diſput. 1. de fide lect. 1. n. 2. omnia, quæ in Scriptura proponuntur ſub comminatione damnationis æternæ, propoſita eſſe ſub rigoroſo præcepro; ſed non vigilantibus comminatur æterna damnatio, legimus enim, *Ne ſuperveniat in vos repentina dies illa*, igitur vigilantia eſt nobis propoſita ſub rigoroſo præcepto.

Deinde multi ex SS. Patribus, atque Interpretibus Sacræ Scripturæ abſolutè pronunciant in illis verbis contineri vim obligandi, adeoque jubere Dominum, non monere. D. Hieronymus in Michbeæ cap. 6. ait. *Jubetur nobis, ut præparati ſimus ambulare cum Domino Deo noſtro, nulla hora dormire, nullo tempore ſecuri eſſe debemus, ſed ſemper expectare patrem familias venientem, & diem formidare judicii*. D. Ambroſius lib. 7. in Lucam ad ea, quæ continentur cap. 11. *Beati ſervi illi, quos, cum venerit Dominus,*

invenerit vigilantes, ſic ſcribit. *In ſuperioribus vigilare nos voluit per omnia expectantes momenta Domini Salvatoris adventum, ne dum aliquis remittit, & negligit, & de die in diem opera ſua differt, judicii die futuri, vel propria morte præventus meritum ſuæ commendationis amittat, & illa quidem in omnes præcepti forma generalis.*

Eadem repetit S. Doctor exponens verba Apoc. cap 3 *Eſto vigilans, &c.* ubi ait: *Præcipitur igitur hic, ut vigilet Theophylatus.* In caput 24. Matthæi ad illa verba: *Et vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, ait: *Vigilari jubet, & præparari, hoc eſt habere virtutis opera, quaſi in theſauro quodam repoſita, ut cum venerit Dominus repetens id, quod vult, poſſimus dare.* Et in cap. 13. Marci in expoſitione verborum Domini, nempe, *Quæ dico vobis, omnibus dico, Vigilate*, hæc habet. *Omnibus autem præcepit Dominus, & iis, qui in Mundo vivunt, & iis, qui ſucceſſerint.* Plures alii in eadem ſententia ſunt, quos citat P. Cardenas diſp. 6. cap 3. art 2. num. 61.

XVII. Sed ut facilè diſtinguere poſſimus inter præceptum, & conſilium; primam differentiam tradit D. Hieronymus, quem refert Gratianus in Can Quisquis præceptis. 3 §. Quod præcipitur 14. quæſt. 1. videlicet, quod conſilium ex libertate, ſeu liberalitate pendeat, præceptum verò ex neceſſitate. *Quod præcipitur*, inquit, *imperatur; quod imperatur, neceſſe eſt fieri, ſi non fiat, pœnam habet. Ubi conſilium datur, afferentis arbitrium eſt, ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervitutis.* Ex quo deducitur, quod quidquid conſulitur, juris neceſſitati non ſubiicitur, ut notat Gloſſa in Canone noſſe credo 9. in fine, Verbo neceſſe eſt diſt. 6. Ex Auguſtino relato in canone Quisquis præceptis 3. in principio, ubi ait: *Præcepto Domini non obedire, peccatum eſt, conſilio ſi uti nolueris, minus boni adipiſceris, non mali aliquid perpetrabis.*

Hac tantorum Doctorum regula facilè erit inveſtigare,

quod-

quodnam ſit præceptum, & conſilium; quæ ut ad praxim reducantur, debes ſumere rem propoſitam, & notare circumſtantias, in quibus proponitur, ſi quæ ſunt, & conſiderare etiam, an ad omne tempus extendatur; poſtea ſume oppoſitum illius rei, & vide, an liceat; ſi non licebit, erit præceptum, ſi licebit, erit conſilium. Do exemplum clariſſimum. Dixit Chriſtus Dominus: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*. Quæro jam, an hæc verba ſint præceptum, an conſilium? & conſidero, rem propoſitam eſſe orationem, & vigilantiam in circumſtantiis imminentis tentationis. Oppoſitum rei mihi propoſitæ eſt non orare, dormire, & quia non licet dormire, & ceſſare ab oratione, cum imminet tentatio, in illa circumſtantia vigilantia, & oratio erit præceptum, non conſilium. Sic pariter cum verba Chriſti Domini ſupra enarrata eas circumſtantias reſpiciant, in quibus agitur de negocio ſalutis, & de præparatione ad incertum judicis adventum, in quibus circumſtantiis nemini licet pigrum eſſe, ac negligentem, dubitare non debemus rigorolum præceptum in illis contineri.

XVIII. Sed ut omnis protſus tollatur procraſtinantibus occaſio aſſerendi ſe poſſe abſque culpa differre ſuam converſionem, aliqua hic repetenda ſunt, quæ attulimus ad probandam neceſſitatem frequentiæ actuum amoris. Et quidem non credo eos, qui in miſerrimo ſtatu peccati perſeverant, exiſtimare ſe eſſe ſolutos ab obligatione ſervandi divina præcepta, quo ſuppoſito ita ratiocinamus. Etiamſi omnia, quæ ex Sacris Litteris adduximus pro diligenti peccatorum converſione, nudum continerent conſilium, adhuc non liceret hominibus diù perſeverare in ſtatu peccati; igitur ſemper damnabilis eſt perſeverantia in tali ſtatu; nam, ut experientia deprehendimus, *caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, ſenſus videlicet ita cum ratione conflictatur, ut niſi divina charitate armemur, facilè corruamus,

& duriſſimam experiamur hoſtium noſtrorum ſervitutem. Hinc ut fideles, ut conſtantes ſimus in divinis preceptis ſervandis, divini amoris præſidio indigemus, quemadmodum ſemper armatum oportet incedere eum, qui ſcit ſe inter infeſtiſſimos hoſtes verſari. At quomodò quæſo obſervabit divina præcepta homo ille, quem peccatorum vincula adhuc obſtringunt, qui grave eorum jugum nondum excoſſit, & qui in peccati ſervitute perſeverat? quibus armis vincet hoſtes, qui jacet lethali vulnere ſauciatus? facilè cadet, qui, cum cecidit, reſurgere non feſtinat; quomodo obſervabit diligenter divina præcepta, qui ſciens ſe eſſe in ſtatu peccati, in poteſtate Dæmonis, non deteſtatur delictum, non convertitur ad eum, quem iratum credit, & juſtum judicem reformidat? Impellere peccatum ad peccatum, frequens peccantium hominum ruina teſtatur, nam ſicut ignis ſcintillæ niſi extinguantur, magna ſolent incendia excitare; ſicut pars aliqua corporis veneno infecta, niſi prompto ei remedio ſuccurramus, ſingulos artus mortifera tabe contaminat; ita qui poſt peccatum commiſſum citò non reſurgit, facilè ad alia peccata impelletur.

XIX. Depravare inſuper peccatum intellectum hominis aſſeverat Auguſtinus, quem citat Gratianus in canone. Nec mirum 26. quæſt. 5. §. Præterea quidam. Ibi enim S. Doctor occurrit aliquorum dubitationi, cur ſcilicet Saul, qui ante magos, & ariolos exterminaverat, quærit Pythoniſſam ad ſuſcitandum Samuelem, & ſtatim reſpondet, *nam tanta hebetudine demens effectus eſt Saul, ut ad Pythoniſſam effugeret. Depravatus enim cauſa peccati ad hæc ſe contulit, quæ damnaverat*; & infra; *neque enim reprobus factus poterat bonum intellectum habere*. Sed hoc etiam clariſſimè nos docent Sacræ Litteræ; nam Sap. cap. 4. De juſto morte prævento ſcriptum eſt: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*. Quæ cum ita ſint, quomodo pote-

runt

rent peccatores, qui differunt ad Deum converti, diù obſervare præcepta divina charitate deſtituti, quæ multitudinem peccatorum operit? Cum autem omnes teneantur illa impedimenta removere, quæ præceptorum obſervantiam retardant, voluntatem, atque intellectum infirmant, obligabitur profectò peccator ad promptam converſionem, præcipue quia in ſtatu peccati innumeris eſt periculis obnoxius, quæ diligenter præcavere debet, ſi amat animam ſuam. Et primo qui cadit, nec conatur reſurgere facilè poterit ad ſcelerum profundum devenire, & tunc effici contemptor divinarum inſpirationum, & exteriorum admonitionum. Legimus enim Proverb. 18. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*. Secundo, quia quemadmodum ex doctrina Concilii Tridentini, Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur, qui perſiſtit in ſtatu peccati, & in averſione à Deo ſummo Bono, poteſt à Deo deſeri, & pervenire ad illum miſerrimum ſtatum excæcationis, & indurationis, & tradi in reprobum ſenſum, & in deſideria cordis ſui. Audiatur D. Auguſtinus, qui lib. 5 contra Julianum cap 3. ſic ait, *Tradit ergo Deus in paſſiones ignominiæ, ut fiant quæ non conveniunt, ſed ipſe convenienter tradit. Et fiunt eadem peccata, & peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorum merita futurorum*. Videmus ergo ex Auguſtino obcæcationem, & indurationem contingere in pœnam peccati, & peccata, quæ ab excæcatis committuntur eſſe ſupplicia eorum, quæ jam commiſſa ſunt, & inducere ad æterna ſupplicia. An autem huic ſe periculo exponant procraſtinantes, eorum conſcientia judicet, nemo enim eſt in majori periculo deſertionis divinæ, quam qui poſt peccatum vocatus à Deo ad converſionem, ad pœnitentiam, Deum quærere negligit, ac voluntariè differt in ejus priſtinam amicitiam redire. Hinc Eccleſiaſtici cap. 5. verſ. 4. & ſequentibus ſcriptum eſt: *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus*

enim

enim eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas, miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Quaſi dicat, cur dimidias Deum, qui ſimpliciſſimus eſt tu amans vanitatem, & quærens mendacium? Ille miſericors quidem eſt, ſed numquam deſinit eſſe juſtus. Si miſericordiam ſperas, & peccas, cur juſtum non times, ut citò convertaris.

XX. Juſta quidem eſt cauſa timoris, cum negligentibus ad Deum converti divinus furor immineat. Legatur Iſaias cap. 65 verſ. 12. & ſequentibus, & adjiciatur his Sacræ Scripturæ locis, quæ ſupra retulimus. Legatur Ezechiel cap. 33 ubi hac clariſſima parabola monet Deus peccatores, ut citò convertantur. *Terra cum induxero ſuper eam gladium, & tulerit populus terræ virum unum de noviſſimis ſuis, & conſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorem, & ille viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit buccina, & annuntiaverit populo. Audiens autem, quiſquis ille eſt, ſonitum buccinæ, & non ſe obſervaverit, veneritque gladius, & tulerit eum, ſanguinis ipſius ſuper caput ejus erit. Sonitum buccinæ audivit, & non ſe obſervavit, ſanguis ejus in ipſo erit. ſi autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſalvabit. Quod ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram. Et tu fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: audiens ergo ex ore meo ſermonem annunciabis eis ex me: ſi me dicente ad impium, impie morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annunciante te ad impium, ut à viis ſuis convertatur, non fuerit converſus à via ſua, ipſe in ini-*

qui-

quitate ſua morietur: porrò tu animam tuam liberaſti.

Ille Deus, qui Ezechielem Prophetam ſpeculatorem furoris ſui conſtituerat, ut ſuaderet populo pænitentiam, ac converſionem, ille idem per ora omnium Prophetarum locutus eſt, ac demum per Filium ſuum Unigenitum, qui *non venit vocare juſtos, ſed peccatores*: iſti autem, ſi citò non convertuntur, ſi differunt ſcelera deteſtari, quibus divinam iram provocant, nullam prorſus excuſationem adhibere poſſunt; nam per internas inſpirationes vocantur, vocantur per ſcripturas, vocantur per ſacros libros, vocantur per Eccleſiæ miniſtros, & jam in ore omnium frequenter reſonat: impie morte morieris. Quis ergo eos liberabit à culpa, ſi recuſant citò converti, ſi non recurrunt ad Deum à quo receſſerunt! Merito conqueritur idem Deus per os Jeremiæ cap. 8. verſ. 4. *Nunquid qui cadit non reſurget, & qui averſus eſt, non revertetur.... Nullus eſt, qui agat pænitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci? Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. Miluus in cælo cognovit tempus ſuum: turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventus ſui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.*

XXI. Aperiat Deus oculos eorum, qui viventes in tenebris ſcelerum, tunc ſe exiſtimant debere ad Deum converti, cum incipiunt luce privari, cum certo ſciunt ſe ex hac peregrinatione aliò migraturos. Videant illi multo ante pericula ſua, nam in peccato permanere eſt eſſe in duplicis mortis periculo, temporalis ſcilicet, et æternæ. Vtraque per peccatum induсta eſt. Ab exemplis abſtinemus, cum illis plenæ ſint ſacræ paginæ. Diu vixiſſent multi, ſi non peccaſſent, nec tantos abſorbuiſſet infernus, ſi ſedulò ad Deum converſi fuiſſent. *Leo venationi inſidiatur ſemper, ſic peccata operantibus iniquitates;* Eccleſiaſtici cap. 27 *Vidi* ait Regius Propheta pſal. 36, *impium ſuper exaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivi, & ecce non erat, &*

qua-

quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus, Et ibidem ſuadet; *noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem, quoniam tamquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident*. Pſal vero 1. Poſtquam de juſto dicitur, *omnia quæcumque faciet proſperabuntur*, ſtatim ſubiicitur: *Non ſic impii, non ſic, ſed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*.

XXII. D. quoque Auguſtinus docet Peccatores à Deo percuti, nec amplius tolerari, cum ad certum peccatorum numerum devenerint; nam cap 4. de Vita Chriſtiana ſic ſcribit. *Sed hoc magis ſentire nos convenit, tamdiù unumquemque Dei patientia ſuſtentari, quamdiù nondum peccatorum ſuorum terminum, finemque repleverit: quo conſummato, eum illicò percuti, nec illi jam veniam ullam reſervari. Eſſe autem certum peccatorum modum, atque menſuram, Dei ipſius teſtimonio declaratur, & quod unuſquiſque, vel celerius, vel tardius, prout peccatorum ſuorum modum expleverit, judicetur, evidentiſſimè demonſtratur, quando de Sodomorum, & Gomorrhæorum interitu, atque incendio, qui ſua jam peccato repleverant, ad Abrabam Deus loquitur dicens. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum repletus eſt, & peccata eorum magna vehementer repleta ſunt. De Amorrheis verò quid dicit, qui ſua nondum peccata finierant, quos poſt multos annos, quam ſuprodictæ civitates crematæ ſunt, conſtat eſſe deletos! nondum repleta ſunt peccata Amorrhæorum uſque adhuc*. Ex qua quidem Auguſtini ſententia benè deducitur quanto in periculo verſentur illi, qui peccata peccatis adiiciunt ſpe miſericordiæ, & divina patientia abutuntur. Contra eos verò, qui in peccato perſeverantes non quærunt medium ſuæ juſtificationis, ſatis clamant Sacræ Litteræ, & Sancti Patres; unde meritò D. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſt. 62. art. 8. ait: nec per modicum tempus licere in peccato morari, & quemlibet debere illud ſtatim deſerere.

XXIII.

XXIII. Neque ſupradictis fundamentis illæ obſtant difficultates, quas propoſuimus in recenſendis aliorum opinionibus, nam ad primam dicimus, quod etiamſi abſolutè verum eſſet, quod nullus pœnitens confiteretur de dilatione in quærendo medium ſuæ juſtificationis poſt peccatum, nec ullus confeſſarius de hoc interrogatet, tamen non benè deduceretur non eſſe præceptum promptæ converſionis ad Deum poſt peccatum. Quemadmodum ſi quis ſumeret verba Prophetæ: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, non rectè deduceret non eſſe obligationem faciendi bonum; ita ex quo aliquis abuſus, aut error invaluerit, non benè infertur ceſſare legem, quæ illud prohibet. Præterquamquod, licet aliquando expreſsè confeſſarii non interrogent, pœnitentes particulariter de hoc errote non confiteantur, tacitè tamen, ſivè generaliter fieri ſolet ab utrilque. Prudens enim confeſſarius, cum cognoſcit pœnitentem per longum temporis ſpatium in gravibus culpis perſeveraſſe, illum monet, ut in poſterum frequentius accedat ad ſacramentum pœnitentiæ, ut conetur, cum ceciderit, à peccato ſtatim teſurgere, ne conſuetudo peccandi pravum habitum efficiat, & plagam gerat in anima inſanabilem. Pœnitentes etiam ſolent negligentiam ſuam deteſtari, eo quod ſerò reſponderint divinis inſpirationibus, atque externis admonitionibus, quibus vocabantur ad pœnitentiam, & converſionem. Quod verò aliqui ſe non accuſent, communi ignorantiæ imputari debet; & hic D. Bernardus in vita Myſtica, ſeu tractatu de Paſſione Domini cap. 19. num. 66. loquens de acediæ vitio, ait. *Nam Seculares admodum pauci, etſi hoc ſit vitium, non advertunt. Mundo enim alligati ſpiritualis vitii vix poſſunt apprehendere nomen, cum tamen hoc vitium inter ſeptem principalia nominetur*.

XXIV. Non obſtat etiam quod ſecundò opponebatur, videlicet, quod ſi adeſſet obligatio poſt peccatum ad non diffe-

differendam converſionem, quælibet dilatio eſſet novum peccatum, & ſic infinita poſſe peccata committi, non, inquam, obſtat, nos enim ſupponimus, eum, qui ad longum tempus diſtulit ſuam converſionem, ideò fuiſſe tranſgreſſorem præcepti jubentis promptam converſionem, quia cum poſſet promptè converti, longam moram interpoſuit, quæ quidem mora perſeverat, ſi ille non confitetur, aut elicit actum contritionis, adeoque ſi monitus adhuc duret in peccato, ſi vocatus adbuc perſiſtat, auget quidem gravitatem peccati, non committit autem novum. Damus clariſſimum exemplum. Titius debebat, & poterat rem alienam, quam apud ſe retinebat, intra decem dies reſtituere; hoc voluntariè omittit differens ad biennium, ſivè ad annum obligationem adimplere: peccat quidem, quia trangreſſus eſt terminum, in quo debebat reſtituere, nemo tamen dicet illum ſingulis decem diebus committere novum peccatum, ſed dicet augere gravitatem peccati, quo magis differt.

XXV. Non obſtat denique, quod adducebatur ex capite, *omnis utriuſque ſexus de pœnitentiis, & remiſſionibus.* Primò, quia illud præceptum annuæ confeſſionis indifferenter ligat tam eos, qui intrà annum in mortale peccatum lapſi ſunt, quam eos, qui venialia tantum peccata commiſere. Deinde quia illa verba *ſaltem ſemel in anno* ſatis declarant non voluiſſe Summum Pontificem, ac Concilium excludere hoc ſuo Decreto alias circumſtantias, quibus tenemur ad quærendum medium noſtræ juſtificationis, quod quidem evidentiſſimè patet ex capitulo ſubſequenti, nempe ex capite *Cum infirmitas eodem titulo*, ubi legimus: *Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido, quem ſanaverat; vade, & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Præſenti Decreto ſtatuimus, & diſtinctè præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos*

ante

ante omnia moneant, & inducant, ut medicos advocent animarum, ut poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur, cum cauſa ceſſante ceſſet effectus. Quis autem inficiabitur debere medicos obtemperare huic præcepto, etiam cum infirmi extra periculum vitæ verſantur? infirmos promptè illud exequi? Si autem aliquid roboris haberet argumentum ſupra adductum, reſpondere poſſent, expectandum eſſe tempus præſcriptum ad annuam confeſſionem, & tunc eſſe vocandū animæ medicum, præcipuè ubi non cognoſcitur grave vitæ periculum imminere. Hæc autem cum vana ſit reſponſio, clarè convincitur præcepto confeſſionis annuæ non excludi alias circumſtantias obligantes ad quærendum medium juſtificationis.

Verùm unum hic poſſet opponi contra ea, quæ ſuprà explicavimus, nos videlicet aſſeruiſſe teneri peccatorem non multum differre inquiſitionem medii ad ſuam juſtificationem conducentis, ſed nullum determinatum tempus aſſignaſſe, quod videtur pugnare cum exiſtentia præcepti.

Sed facilis eſt reſponſio ex Lugo de Pœnitentia diſp. 7. ſeſſ. 12. num 248. videlicet plura eſſe præcepta, quæ obligant, quamvis tempus determinatum obligationis non aſſignetur, v. g. in voto non poſſumus determinare tempus, quo dilatio executionis ſit jam peccatum mortale; ſufficit enim ſcire cum aliqua latitudine tempus certum obligationis.

DIS-

DISSERTATIO XIV.

Probatur Unitas Religionis contra Libertinos, atque Indifferentes.

CAPUT UNICUM.

1. QUinam fuerint Deiſtæ, & Libertini, Philoſophi, & Indifferentes. 2. Fides noſtra Dei loquentis teſtimonio nititur. 3 Authoritas loquentis eſt titulus, propter quem loquenti debetur fides, & iſte titulus in duabus perfectionibus fundatur, nempe ſapientia, & veracitate, quæ duæ perfectiones cum in Deo ſummæ ſint, ſumma erit illius authoritas. 4. Argumentum contra Indifferentes ex doctrina D. Pauli ad Epheſ. cap. 4. verſ. 5. 5 Explicatur idem Apoſtolus cap. 13. verſ. 8. 6. Finis divinæ legis eſt dilectio Dei, ut autem amor ſit verus, & conſtans, neceſſe eſt, ut fides ſit recta. 7. Sicut lex hominem ad Deum ordinat, ita vitia omnia excludit, ac prohibet, & non tantum illa, quæ inficere poſſunt voluntatem, ſed etiam intellectum. 8 Eſt prudenter evidenter credibile Deum plura revelaſſe præter exiſtentiam ſuam, adeòque alia dogmata eſſe credenda præter exiſtentiam Dei. Hoc demonſtratur ex continuato Dei, ac Filii ſui Unigeniti magiſterio. 9. Sectarum multiplicitas non tam varietatem opinionum, quam repugnantiam inducit, atque hinc concluditur, quod ſi in omni ſecta poſſent homines ſalvari, in nulla poſſent ſalvari. 10 Proponitur prima difficultas. 11 Inter virtutes aliquæ ſunt, quæ verſantur circa partem volitivam, & aliquæ circà partem intellectivam. Primæ cum falſitate directè non

pu-

pugnant, ſed ſolum ſecundæ. 12. Aliud eſt aliqua opera Infidelium recenſeri inter opera bona, & mereri mercedem, aliud mereri æternam ſalutem.

Contra Libertinos, Deiſtas, Philoſophos, atque Indifferentes, unitatem Religionis probare aggredimur, explicantes enim naturam Religionis, illam diximus Dei cognitionem complecti ſervitutem, atque obſequium, & quoſdam actus, qui ſunt à Deo præſcripti, à Majoribus traditi, ab Eccleſia Chriſti ſponſa præcepti, & hinc deducitur non poſſe hominem pro libito ſuo, quæ ſunt de eſſentia Religionis, variare, novoſque ritus inducere. Quod quidem dogma, ut clarè propugnetur neceſſe eſt, ut Sacrarum Scripturarum teſtimonus demoſtremus Religionem eſſe unam, in quo errarit ſecta Deiſtarum, Libertinorum, Philoſophorum, atque Indifferentium.

I. Deiſmus eſt ſecta hominum, qui unum Deum agnoſcunt, & colendum eſſe decernunt, ſed colendi modum unicuique liberum eſſe aſſeverant, & ex ſolo dictamine rationis naturalis definiri debere. Hinc & Deiſtæ, & Libertini, & Indifferentes, & Philoſophi appellantur: Deiſtæ, quia exiſtentiam Dei pro ſolo dogmate neceſſariò habeant, & cætera excludant: Libertini, quia in modo colendi Deum magnam libertatem concedunt, ita ut poſſent homines ſequi, quidquid libuerit: Indifferentes, eo quod doceant poſſe homines rectè vivere in quacumque ſecta, ſive Religione, & in ea ſalutem æternam conſequi: Philoſophi denique, quod in materia Religionis ſolo lumine naturali incedendum eſſe pronuncient. Ut verò conſtet, quam falſum ſit dogma circa indifferentiam Religionis.

II. Pro certo ſupponimus fidem noſtram Dei loquentis teſtimonio niti; cum enim fides ſit ſperandarum ſubſtantia

rerum, argumentum non apparentium, & divina Myſteria ſint à ſenſuum perceptione remotiſſima, neceſſe eſt, ut ea, quæ creduntur à nobis, alicujus fide digni teſtimonio, atque authoritate muniantur. Teſtimonium autem hominum non eſt tam firmum, ut de eo dubitari non poſſit; & hinc Joan: 1. cap. 5. verſ. 9. *ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*, quibus verbis oſtendit divina verba cuicumque humanæ authoritati prævalere, igitur ad divinam eſt authoritatem recurrendum.

III. ſupponimus etiam, quod authoritas loquentis eſt titulus, propter quem loquenti debetur fides; iſte autem titulus in duabus perfectionibus fundatur, nempe in ſapientia, & veracitate. In Sapientia, qua res cognoſcantur, prout ſunt. In veracitate, qua de rebus affirmetur ita illas eſſe, prout cognoſcuntur. Qui ità cognoſcit, & affirmat, nec poteſt falli, nec fallere. Qui talis eſt, fidem meretur. Cum autem in Deo ſit ſumma ſapientia, & ſumma veracitas, ſumma erit illius authoritas, dum loquitur, & merito illius teſtimonio utitur fides noſtra. His præſuppoſitis, quam falſa ſit Indifferentium ſecta patebit.

IV. Primum pro noſtra Catholica veritate ex doctrina D. Pauli deſumendum eſt argumentum; ipſe enim ad Epheſios ſcribens cap. 4. verſ. 5. ait *Vnus Dominus, una fides, unum baptiſma;* quibus verbis fidei unitatem ex unitate Domini demoſtrat; nam quemadmodum cum Deus ſit ſupremus naturæ Dominus, ſit ſummè potens, ratio dictat debere nos illi obtemperare, quidquid ille præcipiat; quemadmodum cum ſit ſummè verax, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, eadem ratio ſuadet debere nos illi credere, quidquid ille loquatur; ita fieri non poteſt, ut idem Dominus plura inter ſeſe oppoſita imperet, ut eadem veritas plura inter ſeſe oppoſita revelet. Idem enim Dominus ſummè potens, & ſummè juſtus non poteſt niſi juſta, & honeſta præcipere; cum

plu-

plura autem ſunt inter ſe oppoſita, non poſſunt ab uno ſummè juſto præcipi, quia ſimul juſta, & honeſta eſſe non poſſunt, cum ſint, ut ſupponitur, juſto, & honeſto oppoſita; Item ſumma veritas non poteſt niſi vera revelare, plura autem inter ſe oppoſita ſimul vera eſſe non poſſunt. Et quemadmodum ſi Princeps plura inter ſe repugnantia ſimul juberet, aut ſibi non videretur conſtans, aut injuſtus, ſi plura oppoſita reſtaretur, aut non videretur ſapiens, aut exiſtimaretur mendax. Ita ſi divina mandata, ſi ea, quæ revelata ſunt, oppoſitionem admitterent, jam de integritate juſtitiæ, jam de infallibilitate veritatis dubitari poſſet, & nulla certa regula preſcriberetur, aut obedienti, aut credenti. Debent ergo Libertini, aut pluralitatem Deorum introducere, aut Religionis unitatem concedere.

V. Idem Apoſtolus ad Hebræos ſcribens cap. 13. verſ. 8. ut eos à novitare opinionum ad veram, ac ſanam doctrinam revocaret, hoc uſus eſt argumento. *Ieſus Chriſtus heri, & hodiè, ipſe & in ſecula: doctrinis variis, ac peregrinis nolite abduci*; quæ quidem apoſtolica verba unitatem Religionis validiſſimè propugnant, nam doctrina Chriſti, cum ſit doctrina æterni Patris, qui eum dedit caput, & magiſtrum ſuper omnem Eccleſiam, non poteſt eſſe doctrina nova, varia, & inconſtans; ſi ergo Chriſtum loquentem audire tenemur, refellere pariter tenemur dogmata nova, quæ in illius doctrina non continentur. Cum autem dogma de Religionis indifferentia novum ſit, nec in doctrina Chriſti, aut in traditione ab illa orta contineatur, procul dubio reiiciendum eſt.

Quod autem nec in doctrina Chriſti, nec in traditione contineatur, facile probari poteſt, nam nec in doctrina Chriſti, nec in traditione ab eo orta poteſt contineri dogma aliam doctrinam admittens præter doctrinam Chriſti; dogma autem Indifferentium tale eſt; igitur non poteſt in doctrina Chriſti contineri. Imo tanta eſt iſtius

 dog-

dogmatis novitas, ut repugnet principiis cujuſcumque Religionis, ſive veræ, ſive falſæ: ſi enim cum principiis ſive veræ, ſive falſæ religionis poſſet conciliari, quamcumque Religionem ſufficere homini ad recte vivendum, ad æterna præmia obtinenda, non tam acriter pugnarent ſectæ pro ſuis ritibus, atque inſtitutis. Quemadmodum ſi exiſtimarent homines eumdem eſſe valorem auri, argenti, ferri, & cujuſcumque rei etiam viliſſimæ, non eſſent tam ſolliciti, aut tenaces in cuſtodiendo auro; ſed de facto etiam falſæ ſectæ pugnant pro ſuis inſtituris, ac legibus; ergo poſſe homines in quacumque ſecta recte vivere eſt contra communem exiſtimationem.

VI. D. Thomas 3. contra Gentes cap. 118 hunc eumdem errorem commemorat, ac variis rationibus refellit dicens: *Per hoc excluditur error quorumdam dicentium, quod nihil refert ad ſalutem hominis, cum quacumque fide ſerviat Deo*. Et cap. 116. ſupponit, quod finis divinæ legis ſit dilectio Dei, & quemadmodum dilectionis corporalis fundamentum eſt viſio corporalis, ita & ſpiritualis amoris viſio ſpiritualis, ergo quicumque vult Deum amare, neceſſe eſt, ut illum videat; in hac autem peregrinatione videri non poteſt, niſi per fidem, igitur neceſſe eſt, ut fides ſit recta ad hoc, ut amor ſit verus, & conſtans. Iſtius rationis fundamenta, ut altius repetantur, ſupponendum eſt, quod quemadmodum Deus arbitrio hominis omnia conceſſit, ita lumine naturali concludi poteſt, non eſſe hominem caſu factum; nemo enim tam demens, qui videns res creatas hominum uſui deſervire, aſſerere audeat hominem ipſum ad nullum finem fuiſſe ordinatum. Finis ergo divinæ legis eſt hominem ad Deum ordinare, non ſolum ſecundum voluntatem, ut amet, ſed ſecundum intellectum, ut credat: ex hac autem ſuaviſſima, ac ſapientiſſima diſpoſitione manifeſte convincitur, non poſſe hominem abſque culpa malum amare, & errorem ſectari.

VII. At ſicut lex hominem ad Deum ordinat, ac diſponit, ita vitia omnia excludit, ac prohibet, & non tantum ea, quæ voluntatem inficere poſſunt, ſed etiam intellectum, non enim minus pugnat in moralibus vitium cum virtute, quam in intellectualibus; prohibet igitur lex divina opiniones falſas, atque errores circa Deum, & ea, quæ pertinent ad ipſum, adeoque neceſſe eſt, ut fides ſit una: Quod autem Deus lege ſua veritatem etiam jubeat, ex Sacris Litteris deducitur, nam pſal. 118. dicitur. *Juſtitia tua juſtitia in æternum, & lex tua veritas. . . . . . propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas.* Et Chriſtus Joan. 18. inquit. *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.*

VIII. Sed ut clarius probemus, quam repugnet rectæ rationi, & ſenſui omnium ſcripturarum impium Libertinorum dogma, aliqua hic formabimus ratiocinia manifeſtiſſimis principiis fundata. Deum per ſe ipſum, per Prophetas ſuos, per Filium ſuum Unigenitum homines inſtruxiſſe eſt evidenter prudenter credibile, etiam ſi Libertini omnes negent ſcripturas; nam eſt evidenter prudenter credibile Deum eſſe ſupremum naturæ Dominum, adeoque plura potuiſſe præcipere hominibus, ut eos in obſequio, & obedientia erga ſe ipſum exerceret, quod ſi eſt evidenter prudenter credibile, erit pariter eadem evidentia credibile Deum plura revelaſſe præter exiſtentiam ſuam; adeoque non ſolam fidem divinæ exiſtentiæ eſſe ſufficientem hominibus ad ſalutem, ſed fidem quoque cæterorum, quæ Deus revelavit, & hanc vivam, & charitate formatam. Quia autem ſupponimus Libertinos noſtri temporis etiam ſcripturas admittere, ex continuato Dei, ac Chriſti magiſterio falſitatem dogmatis illorum demonſtrabimus. Et quidem homini à ſe creato dediſſe Deum Optimum Maximum præcepta, quibus exerceretur, ac inditam ſibi Innocentiam cuſtodiret, legimus ſac. Geneſis cap. 2 eum-

dem à Paradiſo ejectum, miſeris cum ſua poſteritate afflictum, morti damnatum ob legis tranſgreſſionem: cap. 3. expreſſum eſt reprehenſum ob invidiam Cainum, & ejectum ob fratricidium: cap. 4. hominum ſcelera divinam iram provocaſſe cap 6 univerſum genus humanum diluvio ſubmerſum. cap. 7 humanam ambitionem confuſione linguarum punitam cap 11 infames civitates cœleſti incendio deletas. cap 19. tentatam fidem, atque obedientiam Abrahæ præcepto immolandi filium ſuum primogenitum. cap. 22. apparuiſſe Moyſi Deum, ac præſcripſiſſe ei modum, & reverentiam ſibi debitam, miſiſſe eum legatum ad Pharaonem Exodi cap 4. ſigna, & prodigia facta in conſpectu Pharaonis, ut ille liberum populum Dei dimitteret ad ſacrificandum: cap 7. 8. 9. 10. 11. præceptum ritum agni paſchalis, & azimorum. cap. 12. datum præceptum ſanctificandi omnem primogenitum cap 13. traditam in monte legem, ſive moralia præcepta Decalogi: cap 20 judicialia de ſervis emptitiis, ancillis, de furtis, homicidiis, parricidiis, de maledictis parentum, rixis, pæna talionis, de furto, & damno illato, de lege depoſiti, & commodati, atque ſtupri, de idololatrarum ſupplicio, ſimulque nocentium, advenæ, viduæ, ac pupillo, de lege mutui, uſuræ, atque pignoris, de præcepto decimarum, ac primitiarum. cap. 22. præſcriptas leges à judicibus ſervandas. cap 23 conſtructionem tabernaculi, oblationes, altare cap. 25. 26 27, indumenta pontificalia, modum conſecrandi ſacerdotes cap. 28. & 29. inſtitutionem Tymiamatis, conſtructionem labii æneí, cæterorumque ad uſum tabernaculi pertinentium: cap. 30. fractas legis tabulas ob populi idololatriam vigintitria millia hominum in pænam ſceleris interfecta· cap. 32. Decalogum denuò ſcriptum, ſabbati obſervantiam propoſitam 34. & 35. Si verò ad Leviticum recurras, illic invenies ſacrificiorum leges, conſecrationes ſacerdotum, ſtatuta ſacrificiorum tempora. Si Deuteronomium, claram

De-

Decalogi repetitionem, cæremoniarum explicationem. Præterea præclara Prophetarum vaticinia, quibus Deus voluit homines diſponi ad adventum Filii ſui veri Meſſiæ, ac Redemptoris noſtri, ſalutaria conſilia, præcepta, exempla, comminationes, quæ non tantum in eorundem Prophetarum libris, ſed in toto veteri Teſtamento reperiuntur, ut homines depulſa errorum caligine ad æternæ veritatis ſplendorem converterentur.

Accedo ad continuatum Chriſti magiſterium, de quo mentio eſt apud omnes Evangeliſtas. Diſcipulos vocavit Joan. 1., ementes, ac vendentes in templo flagello coercuit, foras ejecit Joan. 2., Nicodemo neceſſitatem baptiſmatis prædicavit, myſteria fidei aperuit, baptizavit in Judæa per diſcipulos ſuos propoſita regenerationis neceſſitate cap 3., in urbe Sichar juxta puteum Samaritanam convertit, & plures ex ea ſecta cap. 4, prædicavit in Galilæa adventum regni Dei denuncians pænitentiæ neceſſitatem ſignis, & prodigiis conteſtans Matthæi 4. Marci, & Lucæ 4., curavit paralyticum, ut oſtenderet impiis Phariſæis conceſſam ſibi poteſtatem dimittendi peccata Matth. 9. Marci 2. Lucæ 5., electis duodecim Apoſtolis coram ingenti multitudine de beatitudinibus, habuit ſermonem, qui eſt ſumma quædam Evangelicæ perfectionis Matthæi 5. Marci 3. Lucæ 6., prohibuit de nullo temerè judicare Matth. 7. Lucæ 6., docuit quomodo orandum, jejunandum, quomodo eroganda eleemoſyna, & abiicienda omnis cura rerum terrenarum Matth. 6., multas parabolas propoſuit, ut de ſupernaturalibus rebus populum inſtrueret Matth. 16. Marci 4. Lucæ 8., miſit ad prædicandum diſcipulos Matth. 9. & 10. Marci 6. Lucæ 9., ſe transfiguravit in Monte Tabor, ut gloriæ ſuæ claritatem oſtenderet Matth. 17. Marci 8. Lucæ 9. docuit evitandum ſcandalum puſillorum Matth. 18. Marci 9. Lucæ 9., condonandum fratri peccanti Matth. 18. Sed cur ea repetimus, quæ unicuique fidelium quotidiè ab Eccleſia evul-

gantur? Diſcant Libertini ex continuato Dei, ac Chriſti magiſterio non poſſe homines ſalvari in quacumque religione, nam ſi hoc fieri poſſet, non inſtruxiſſet nos Deus per ſe, & per Prophetas ſuos, ac demum per Filium ſuum Unigenitum, nec tam ſollicitus videretur in directione hominum, quemadmodum alicui fruſtrà oſtenderetur via, per quam tutè incederet, ſi tutè per omnes vias poſſet ambulare. Hæc argumenta in Sacris Scripturis fundata adduximus contra eos Libertinos, qui ſcripturas admittunt, eo quod aliqui eorum varias etiam ſectas profiteantur.

IX. Quod ſi ex fundamentis Indifferentium argumenta deſideramus, quibus illi oppugnentur, & dogmatis ſui repugnantiam cognoſcant, ſupponamus, ut de facto ſupponendum eſt, ſectarum multiplicitatem non tam varietatem opinionum ducere, quam manifeſtam inter ſeſe oppoſitionem, ſi enim inter ſe non repugnarent, ſed tantum in aliquibus accidentalibus differrent, jam non plures eſſent, ſed una tantum, cum varietas accidentalis hujus, vel alterius ritus varietaten religionis non arguat. Hoc ſuppoſito fiat hoc breviſſimum ratiocinium. In quacumque ſecta poſſunt homines ſalvari, ergo vel in nulla poſſunt ſalvari, vel in una tantum. Conſeq. patet. Nam ideò in quacumque ſecta poſſunt ſalvari, quia in quacumque ſecta dantur media, quibus, ſi bene utantur, æternam ſalutem conſequentur, ſed eo ipſo in una tantum ſecta poterunt ſalvari, vel in nulla ergo ſi in omnibus ſectis poſſunt ſalvari, vel in nulla, vel in una tantum ſalvari debent. Min. propoſitio clariſſimè probatur Sectæ, ut ſupponitur, ſunt inter ſe oppoſitæ, ac eſſentialiter diſcrepantes, ergo vel media unius tantum ſectæ ducunt ad ſalutem, vel nullius: nam medium oppoſitum medio ducenti ad ſalutem, non poteſt ducere ad ſalutem, ſed ſectæ, in quibus datur medium, ſunt inter ſe oppoſitæ, & oppoſitæ rationi illius medii, ergo vel una tantum ducet ad ſalutem, vel nulla. Demus

cla-

clariſſimum exemplum: ſi infirmo quærenti remedium ad ſalutem corporis, proponerem indifferenter tamquam efficacia medicamenta, aut potionem frigidam in ſummo, aut calidam in ſummo, ille me inſanum medicum exiſtimaret, nam ſi medicamentum frigidum ducit ad ſalutem, non poteſt ducere ad ſalutem, quod eſt illi oppoſitum, igitur aut neutrum, aut unum ex duobus; ita a pari, ſi ſectæ, & media ſunt inter ſe oppoſita, aut in una tantum ſecta, aut in nulla poſſunt homines ſalvari, quod erat probandum.

X. Sed dicent fortaſſe, etiamſi una tantum ſecta vera ſit, adhuc tamen in quacumque ſecta poterunt homines ſalvari, ſi credant ſuam ſectam ducere ad ſalutem, nam qui operatur ignoranter contra juſtitiam putans ſe exercere juſtitiam, v. g damnans morti innocentem, quem reum exiſtimat, tunc non peccat, amans pariter aliquem præ cæteris, quia eum meliorem credit, & ille revera malus eſt, actum charitatis exercet, igitur quemadmodum juſtitiæ, & charitati poteſt ſubeſſe error abſque præjudicio harum virtutum, ita pariter fidei poterit ſubeſſe falſum.

XI. Sed facilis eſt reſponſio ex D. Thoma ſecunda ſecundæ, quæſt. 1. art. 3. aliquas eſſe virtutes, quæ verſantur circa partem appetitivam, ſeu volitivam, & aliquas, quæ exercentur circa partem intellectivam: primæ quidem cum falſitate directè non repugnant, adeoque etiamſi aliqua eis falſitas admiſceatur, ſemper laudabiles ſunt, & quicumque in eliciendis actibus earum diligens eſt, ſemper operatur juxta dictamen virtutis, & illa debitum ordinem, ac proportionem ſervat ad ſuum obiectum. Objectum igitur volitivæ potentiæ eſt bonum, quod malitiæ directè opponitur, non verò falſitati, & hinc quamvis judex proferat ſententiam contra illum, quem putat eſſe reum, & fallatur, iſte tamen actus juſtitiæ eſt rectus, quia finis illius eſt bonum, quod movet judicem proferentem ſententiam. Item ille, qui amat hominem malum præ cæteris, exiſtimans

illum

illum meliorem, habet pro fine bonum; qua in re deprehendimus charitatem, & juſtitiam propter errorem non declinare à ſuo objecto, & fine. At virtutes intellectuales habent ſemper pro objecto verum, & circa illud verſantur, & occupantur, & ideo ſi eis ſubeſſet falſum, jam ab objecto, & fine ſuo recederent. Eſt ergo magna diſparitas inter charitatem, juſtitiam, & fidem, hæc eſt intellectualis virtus, illæ morales, hæc intellectum, illæ voluntatem perficiunt, ex quibus patet ad argumentum.

XII. Sed obiicies: in omni ſecta poſſunt homines eligere opera bona; ergo in omni ſecta poſſunt homines ſalvari. Veritas antecedentis ex eo conſtat, quod Summi Pontifices Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. inter cæteras propoſitiones Michaelis Baii hanc damnavere, nempe, *omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*. Igitur ſi hæc propoſitio damnata eſt, erit vera propoſitio illi oppoſita, nempe, aliqua opera bona poſſe infideles eligere, ſed ſi hoc poſſunt, poterunt etiam conſequi æternam ſalutem, ergo, &c.

Reſpondetur aliud eſſe aliqua opera infidelium recenſeri inter opera bona, & mereri mercedem, utpotè eleemoſynam, abſtinentiam, & alia hujuſmodi, & aliud eſſe his eiſdem operibus mereri infideles æternam ſalutem; nam ut optimè notat Ripalda tom 3. de Ente ſupernaturali lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ ſeſs. 3. num. 26. ad 2. ſicut omni fideli operanti bonum non decernitur gloria æterna, niſi ſub conditione, quod ſit juſtus, & in juſtitia perſeveret, ita nec infideli, niſi ſub conditione quod ab infidelitate declinet, & fidelis, ac juſtus ſit. Poſſunt ergo infideles aliqua bona operari juxtà regulas legis naturæ, ac dictaminis humanæ rationis, illa autem opera non ducent ad ſalutem, niſi cætera quoque interveniant requiſita, inter quæ illud neceſſariò exigitur, ut vivant ſub Chriſto Capite inviſibili, & ejus viſibili Vicario in communione ſenſibilium Sacra-

men-

mentorum; non enim poteſt in beatam illam, ac cœleſtem Jeruſalem introduci, qui non intrat per oſtium, qui veritati non obtemperat, qui à recta via declinat; Chriſtus autem oſtium eſt, idem Veritas, ac Via. Obtinebunt igitur infideles ob opera bona aliqua præmia temporalia, ut conſtat ex variis exemplis, quæ in Sacra Scriptura continentur, non obtinebunt tamen præmia æterna, niſi ipſis operibus bonis cætera quoque neceſſaria requiſita adjungantur.

DISSERTATIO XV.

AD TITULUM XIV. LIBRI DECRETALIUM.

De Voto, & Voti Redemptione.

CAPUT PRIMUM.

1. *Votum aliquando pro deſiderio, & pro imploratione cœleſtis auxilii deſumi ſolet ab authoribus.* 2. *Aliquando pro voce, & ſuffragio capituli. Aliquando pro promiſſionibus, quibus Deo obligamur.* 3 *Votum propriè quid ſit.* 4. *Variæ diviſiones voti.* 5. *Quid ſit apud Canoniſtas tolli, & permutari votum.* 6 *Quid apud Prophanos ſcriptores, reus voti, damnatus voti, liberare ſe voto.*

INter Religionis actus aliqui interni ſunt, nempe devotio, & oratio, aliqui verò externi, nempe ſacrificium, adoratio, & votum. De devotione, & oratione fusè pertractant Theologiæ Myſticæ authores. De adoratione multa explicata ſunt, cum egimus de cultu ſanctarum Imaginum: ſupereſt nunc, ut de ſacrificio, & voto diſſeramus, atque ad uberiorem intelligentiam earum rerum, quæ de ſacrificio dicturi ſumus, præmittamus voti explicationem, qua in re, cum multum elaboraverint Theologi Scholaſtici, Morales, Sacræ Scripturæ, & juris Pontificii Interpretes, ne tractandarum rerum copia obruamur, ampliſſimam hanc materiam in tres partes dividemus. Nam ad-

du-

ductis voti notionibus, agemus prius de votis Gentilium, deinde de votis Judæorum, poſteà de votis Legis Evangelicæ.

I. Votum variis modis accipi ſolet ab authoribus, nam aliquando ſumitur pro deſiderio, ſic Plinius Epiſtol 45. *Hanc ego vitam voto, & cogitatione præſumo*, quo in ſenſu idem eſt facere votum, ac optare, ſic Cicero pro Mil. *Vota eum feceratis, ut in eos ſe potius mitteret, quam in veſtras poſſeſſiones*. Aliquando pro imploratione cœleſtis auxilii in periculis, ſic Virg 8. Æneidos:

*Vota metu duplicant matres, propriuſque pericl*o
It timor.

Aliquando pro materia voti, ſeu re promiſſa, ut Virgil. 2. Æneidos.

Votum pro reditu ſimulant.

Sic etiam Juvenalis Satyra 10. verſ 23.

Prima ferè vota, & cunctis notiſſima templis,
Divitiæ ut creſcant, ut opes, ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro.

II Aliquando pro voce, & ſuffragio Capituli, ut teſt. eſt in cap 1. de election. in 6. Aliquando pro promiſſione, qua Deo obligamur, unde Cicero 1. de legibus, *Diligentia votorum ſatis in lege dicta eſt, ac voti ſponſio, quo obligamur Deo, pœna verò violatæ Religionis juſtam excuſationem non habet*. Sacri authores nomen voti uſurparunt ad ſignificandas promiſſiones, quibus Deo obligamur, & illas diſtinguendas à promiſſionibus, quæ fieri ſolent hominibus, & quæ à Juriſconſultis, aut pollicitationes, aut ſtipulationes appellantur, ut videre eſt in l. 1. ff. de pollicitationibus.

III. Votum igitur dicitur ſpontanea, & deliberata promiſſio melioris boni facta Deo. Hæc voti definitio, quamvis jam in ſcholis plenè evulgata, & declarata ſit, tamen aliqua repetemus ad illius explicationem, cum ad aliquas

pra-

practicas concluſiones Juris Pontificii devenerimus ad hanc voti rubricam pertinentes.

IV. Interim omittendum non eſt, quod votum dividi ſolet in abſolutum, & conditionatum, perſonale, & reale & mixtum, ſimplex, & ſolemne votum. Abſolutum illud dicitur, quod à nulla conditione dependet, nulliſque clauſulis concipitur, quæ illud retardare poſſint, & hinc, qui tale votum emiſit, abſque longa mora reddere tenetur. Sic Deuteronomii 23. legimus, *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Votum verò conditionatum illud eſt, quod interiecta conditione nuncupatur, & qui illud ſuſcipit, tunc tenetur perſolvere, cum purificata fuerit conditio. Aſſignemus utriuſque exemplum: poteſt aliquis vovere certam pecuniæ ſummam pauperibus diſtribuendam, ſi nulla interveniat conditio, votum eſt abſolutum cum verò talem pecuniam vovet, ſi ab imminenti periculo liberetur, ſi filius abſens proſperè in patriam redierit, &c. votum eſt conditionatum. Perſonale votum eſt, cujus materia aut eſt perſona ipſa votum emittens, aut in ſe recipiens, quod offertur, v. g. ſi quis Deo promittat ingredi Religionem, ſuſcipere ſacros ordines, jejunare, peregrinari in ſancta loca. Reale votum illud dicitur, cujus materia eſt extra voventem, ut cum quis vovet, ſe ornamenta templis collocaturum. Mixtum verò votum ex utroque componitur, ex reali ſcilicet, & perſonali, ut ſi quis promittat peregrinationem in loca ſancta, & ibi argenteas lampades in devotionis perenne monumentum. Votum ſimplex eſt promiſſio melioris boni, quod ſi traditur à promittente, non recipitur à Prælato vice Dei, & Eccleſiæ nomine, aut certè non recipitur irrevocabiliter, & in omne tempus. Votum ſolemne eſt promiſſio Deo facta cum ſolemni traditione voventis, & conſecratione quadam, qua divino miniſterio mancipatur,

ejuſ-

ejuſque acceptatione à Prælato vice Chriſti, & Eccleſiæ nomine, v. g. cum quis per ſacri ordinis ſuſceptionem ſacris miniſteriis dedicatur, aut cum per ingreſſum approbati ordinis à S. Sede Deo conſecratur, mundo, ac propriæ voluntati renunciat; unde ſolum illa vota, quibus homines Deo perfectè ſe dicant, & quæ nomine Dei ipſius à ſuis miniſtris recipiuntur, ſolennia appellantur, cætera verò ſimplicia.

V. Sunt autem in materia voti tum apud ſacros Interpretes, tum apud prophanos ſcriptores quædam phraſes, ſive loquendi formulæ, quas explicare oportet, nam apud Canoniſtas votum dicitur tolli, dicitur permutari. Votum tollitur aut irritatione, aut diſpenſatione. Irritatione cum fortaſſe illæ interveniunt circumſtantiæ, ob quas vovens à promiſſione liberatur. Diſpenſatione, cum authoritate ſuperioris ille, qui promiſerat, eximitur. Permutatur votum commutatione, cum videlicet id, quod erat materia voti, cum alia materia commutatur. Redimitur votum, cum certa pecuniæ ſumma traditur loco illius materiæ, quæ erat promiſſa.

VI. Apud prophanos ſcriptores legimus reum voti, damnatum voti, liberare ſe voto. Reus voti dicebatur, qui votum emiſerat, nec tamen acceperat id, cujus cauſa voverat, ſic Virgilius 5. Æneid.

Dii quibus imperium pelagi, quorum æquora curro
Vobis lætus ego candentem in littore taurum
Conſtituo ante aras voti reus.

Qui verò rem obtinuiſſet, cujus intuitu erat emiſſum votum, & nondum præſtaſſet ea, quæ promiſerat, damnatus voti dicebatur, unde idem Virgil Ecloga 5.

tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient, damnabis tu quoque votis.

Videatur Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 2. Alexand. ab Alex. dier. genial. lib. 3. cap. 22. fol. mihi 814. Liberare ſe voto, aut voti, eſt ſolutione eorum, quæ erant promiſ-

ſa

ſa, ſe ab obligatione ſponſionis eximere, Liv. lib. 5. *Verecundiam non tulit Senatus, quin ſine mora voti liberaretur,*

CAPUT SECUNDUM.

DE VOTIS GENTILIUM.

1. *APud Romanos vota à Conſulibus, & Imperatoribus Senatu approbante emittebantur, ſi ſecus fieret, tenebantur illa exſolvere, aut ex manubiis, & ſpoliis hoſtium, aut ſua impenſa.* 2. *Selecti Dii, ſive Conſentes, ſive Majores qui eſſent. Indigetes ſive Minores, qui &c.* 3. *Peculiares Dii nationum.* 4. *Dii Agricolarum.* 5 *Dii Maris.* 6. *Dii Morales.* 7. *Dii partium humani corporis.* 8. *Dii Nuptiales.* 9 *Dii Medicinæ.* 10. *Privata, & publica vota quæ. Quid ſtipem jacere.* 11. *Ritus exprimendi vota pictis tabellis. Illuſtratur phraſis ex Juvenale Sat.* 10. *Quid ſit genua incerare Deorum. Caſus magnanimorum Ducum auro expreſſi* 12. *Nautæ à tempeſtatibus erepti non tantum in tabulis caſus pingebant, ſed appendebant veſtes in templis Deorum* 13. *Donaria apud Latinos appellabantur res Templo oblatæ, apud Græcos* ἀναθήματα *quod ex ſacris litteris deducitur.* 14. *Hoſtium ſpolia, & arma arborum truncis ſuſpenſa.* 15. *Vota publica quando emiſſa.* 16. *Vota Decennalia, & eorum origo.* 17. *Vota Quinquennalia.* 18. *Vota Quindecennalia.* 19. *Ritus emittendi vota capite cooperto.* 20. *Quæ votorum materia apud veteres.* 21. *Quid Sacrificium Hecatombe.* 22. *Quid ver ſacrum,* 23. *Antiquorum vota, quæ narrat Plutarchus.*

I. SI ea, quæ de Gentilium votis priſci authores tradiderunt, in unum colligere nobis animus eſſet, & juſtè de nimia prolixitate reprehenderemur, & propha-

phanorum rituum commemoratione diſtracti ab explicatione ſacrarum ſponſionum recedere videremur; pauca hîc, ſed quidem neceſſaria, proferemus ex veterum monumentis ſcientes, quod

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Romanis quemadmodum circa Apotheoſin cautum erat, ut totius Senatus, populique Romani conſenſus adhiberetur, ita & circa vota, onde ſi quis Conſul, aut Imperator, cui belli ſumma commiſſa erat, ob incertum ipſius belli eventum Diis aliquid voviſſet abſque Senatus authoritate, eum poſtea voti ſui compos reverteretur, cogebatur illud exſolvere, aut ex manubiis, aut ſpoliis hoſtium, aut ſua impenſa, ſi illæ non ſufficerent. Videatur Livius 4. Decad. lib 6. Alexander ab Alexand. dicto cap. 22.

II. Ut autem ſciamus quibus Diis tam publica, quam privata vota nuncuparentur, pro certo ſupponendum eſt Gentiles eorum opem præcipuè imploraſſe, quorum auxilio quæcunque fuiſſent in votis, proſperè credebant eventura, aut quos exiſtimabant illis rebus, atque actionibus deputatos, quæ præmiſſo voto poſtulabantur. Nam præter Selectos Deos, ſive Conſentes, ſive Majores, qui erant Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo; præter Indigeres, ſivè Minores, qui Heroes, & Semidei dicebantur, inter quos Acca, Laurentia, Achilles, Æſculapius, Perenna, Baccus, Carmenta, Caſtor, Evander, Faunus, Hercules, Picus, Pollux, Quirinus, ſive Romulus, Tiberinus, Julius Cæſar, Auguſtus.

III. Erant peculiares Dii urbium, nempè Coorum Æſculapius, Cretæ Jupiter, Cypri Venus, Deli Apollo, item Diana, Eleuſinis Ceres, Epheſiorum Diana, Epidauri Damia, ſive Lamia, Auxeſia, Ateſius Æſculapius, Getarum Zamolxis, item Mars. Gnidi Venus Gadium Hercules, Germanorum Velloda, item Aurinia, Tui-

R ſco

ſco Mannus, Hetruſcorum Tages, Idæ Montis Phrygiæ Venus, Italorum Feronia, Latinorum Faunus, Lesbiorum Apollo, Nyſæ Bacchus, Olympi Jupiter, Paphiorum Venus, Perſarum Anaitis, Venus, vel Diana, item Amanus, item Sol, item Anandatus, Phrygum Cybele, Rhodiorum Sol, Romanorum Quirinus, ſive Romulus, item Mars, Sabinorum Sancus, vel Sangus, Samiorum Jono, Scytharum Sol, Sidoniorum Aſthartes, Syrorum Aſtarte, item Dagon, Thebanorum Bacchus, & Hercules, Tracum Mars, vel Boreas.

IV. Erant & Dii agricolarum, inter quos Bacchus, Bonus Eventus, Bubona, Ceres, Chloris, Collina Dryades, Fauni, Flomi, Fructeſia, Fulgor, Hamadryades, Hippono, Hoſtilina, Iſis, Iugatinus Iupiter, Lacturea, Liber, Luna, Lympha, Matura, Mallona, Minerva, Napea, Nodotus, Oreades Oſyris, Pale, Pan, Patelena, Picumnus, Pilumnus, Pomona, Populonia, Priapus, Proſerpina, Rubigus vel Rubigo, Runcina, vel Rurina, Satyri, Seja, vel Segecia, vel Segeſta, Sol, Sylvanus, Terminus, Tellus, Titulina, vel Totilina, Triptolemus, Tutanus, Vallona, Venus, Vertumnus, Volutina.

V. Erant & Dii Maris Amphitrite, Caſtor, Doris, Glaucus, Ino, Juturna, Leucothea, Liduna, Matuta, Melicertes, Oceanus, Oceanitides, Nereides, Najades, Neptunus, Portunus, vel Portumnus, Phæbas, Pollux, Protheus, Salacia, Thetis, Venilia, Venus, Vertumnus.

VI. Dii Morales Clementia, Concordia, Fama, Felicitas, Fides, Fæcunditas, Juſtitia, Honor, Libertas, Mens, Miſericordia, Occaſio, Pax, Pietas, Prudentia, Pudicitia, Pudor, Quies, Salus, Spes, Veritas, Virtus.

VII. Dii quoque partium humani corporis, nam veteres tribuebant aures Memoriæ, caput Jovi, & Soli, & huic etiam cor, dexteram Fdei, digitos Minervæ, dorſum Plutoni, Hepar Jovi, frontem Genio, & Pudori, genua Miſericordiæ, genitalia Veneri, Ilia Marti, linguam Mercurio, Mammas

mas Rumiliæ, oculos Cupidini, & Minervæ, os Mercurio, pectus Neptuno, renes Veneri, ſanguinem Marti, ſplenem Saturno, ſtomachum Lunæ, ſupercilia Junoni, talos, ac plantas Thetydi.

VIII. Dii quoque nuptiales Hymeneus, Jugatinus, Jupiter, Juno, Lucina, Mutinus, Venus. Dii Infernales Pluto, Proſerpina, vel Hecate, Luna, vel Diana, Cerberus, Charon; infernales Judices Æacus, Rhadamantus, Minos; Furiæ Megæra, Tiſiphone, Alecto, Parcæ Clotho, Lacheſis, Atropos.

IX. Erant & Dii medicinæ, inter quos præcipui Æſculapius, & Apollo; litterarum Muſæ, & Mercurius; Muſcarum Myodes, Myagrus, & Acbor. Dii ſermonis Ajus, Locutius. Dii ſilentii Harpocrates, Sigalion. Erant & Dii infantium: ſed cur in media Gentilium Deorum caterva moramur? En quos illi invocabant: his tamen plures omiſimus, cum nulla eſſet actio, nulla res etiam viliſſima, quæ peculiari Deo non aſſignaretur, & hinc credibile eſt, quod illis vota nuncuparentur, quorum arbitrio, quid eſſet in votis, commiſſum credebatur.

X. Ut autem Gentilium vota ad brevem diviſionem reducamus, alia erant publica, alia privata. Publica vel pro ſalute Principum, vel pro civium incolumitate concipiebantur: privata vero ab unoquoque civium, pro ut opportunitas exegiſſet. Ad primum genus ſpectat ceremonia illa, qua Romani Equites quotannis natalem Auguſti celebrabant, & pro illius ſalute ſtipem jaciebant, ut teſtis eſt Suetonius in Auguſto. Quin etiam familiare erat Romanis, & ad Lacum Curtii, & in theſauros, ac capita fontium ex voto pro Imperatorum felicitate ſtipem jacere, ut refert Plinius Junior lib. 8 Epiſtol. & Seneca 7. de benefic. Suetonius in vita Tiberii cap. 38. Ad vota ſuſcepta pro ſalute Principum ſpectat illud Horatii:

Voto proſequitur Cæſarem
Profectionem parantem in ultimos
Britannos.

Et Martialis.

Quantus io Latias mundi conventus ad aras
Suſcipit, & ſolvit pro Duce vota ſuo.

Quæ pro Liviæ ſalute emiſſa fuerint vota, narrat Tacit. lib. 3. annal. Pro Germanici incolumitate idem Tacit lib. 2. & Svet. in Calig. cap. 6. qui pariter refert non defuiſſe cives, qui morientes juſſiſſent pro ſe vota ſolvi, eo quod reliquiſſent ſuperſtitem Auguſtum, Idem in Auguſto cap. 39. Alios vero pro incolumitate Reipublicæ devoviſſe caput ſuum teſtis eſt Livius lib. 5.

XI. Privati autem, quæcumque voviſſent, ſolebant aut pictis tabellis, aut cera, aut auro exprimere, & ſtatuis, ſeu valvis Templorum illius Dei, cui vota facta erant, affigere. Hinc uſus antiqui vocabuli incerare genua, vel Templa Deorum, & hinc lucem accipit verſus Juvenalis Satyra 10.

Ergo ſupervacua hæc, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

Ad antiquitatem votorum pendentium ad portas Templorum ſpectat illud Propertii lib. 4. epiſt. 3.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota
Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis

Item.

Armaque cum tulero portæ vicina Capenæ,
Subſcribam ſalvo grata puella viro.

De tabulis votum exprimentibus, & pendentibus in Deorum Templis teſtis eſt etiam Cicero, qui lib. 2. de natur. Deorum ſic ait. *Tu, qui Deos putas humana negligere, non animadvertis ex tot tabulis pictis, quam multi vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalvi advenerint.* Et Tibul. eleg. 1. ad Iſidem,

Nunc

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis

Magnanimorum Ducum caſus auro exprimebantur, Virgil 6. Æneid.

Caſus effinxit in aura.

Victores autem è bello redeuntes aut arma Templorum foribus ſuſpendebant, ut etiam partem prædæ Diis donabnat, Virg. 7. Æneid.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma
Captivi pendent currus, curuæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra
Spiculaque, clypeique, ereptaque roſtra carinis.

Statius 2. Thebaid.

Has ego majorum pugnas, vultuſque tremendos
Magnanimum effingam Regum, figamque ſuperbis
Arma tholis.

De parte autem prædæ Diis ex voto relicta, teſtis eſt Virg. 3. Æneid.

Irruimus ferro, & Divos, ipſumque vocamus .
In prædam, partemque Jovem.

XII. Nautæ quoque à Maris tempeſtatibus erepti non tantum in tabulis caſus pingebant, qui votum exprimerent, quo ſpectat Juvenalis Satyr. 14.

Merſa rate naufragus axem
Dum rogat & picta ſe tempeſtate tuetur .

Sed etiam in accepti beneficii memoriam veſtes in Templis Deorum appendebant. Horat. 1. carm. ode 5.

me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo

Virg. 12. Æneid.

Forte ſacer Fauno foliis Oleaſter amaris
Hic ſteterat nautis quondam venerabile lignum

Votiva ex undis, ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo, & votas ſuſpendere veſtes.

XIII. Quæcumque templo, aut ſuſcepto voto, aut in accepti beneficii memoriam offerebantur, veteres Latini donaria appellabant, Græci ἀναθήματα. Hinc Lucanus lib. 9. verſ. 517.

Non illic Lybicæ poſuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois ſplendent donaria gemmis.

Virg. quoque lib. 3. Georg.

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

In libro Judith cap. 16. legimus. *Porro Judith univerſa vaſa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopeum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema oblivionis.* Quæ quidem verba ſatis explicant donaria aliquando anathemata nuncupari. Numer. etiam cap. 31. refertur, quod cum Iſraeliticus exercitus de Madianitis victor reverteretur, principes militiæ ad Moyſen acceſſerunt dicentes: *Nos ſervi tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne unus quidem defuit, ob hanc cauſam offerimus in donariis Domini ſinguli, quod in præda auri potuimus invenire, &c.* Et 1. Machabæor. cap. 6. *Et Rex Antiochus perambulabat ſuperiores regiones, & audivit eſſe civitatem Elymaidem in Perſide nobiliſſimam, & copioſam in argento, & auro, templumque in ea locuples valde, & illic velamina aurea, & loricæ, & ſcuta, quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo, qui regnavit primus in Græcia.*

XIV. Sed non tantum templis ſpolia hoſtium, & arma, ſed etiam arborum truncis ſuſpendere ſolebant Gentiles: hinc Virgil. 11. Æneid.

Vota Deum primo victor ſolvebat Eoo
Ingentem quercum deciſis undique ramis

Con-

Conſtituit tumulo fulgentia, quæ induit arma
Mezenti Ducis exuvias, tibi magne trophæum
Bellipotens aptat rorantes ſanguine criſtas
Telaque trunca viri.

Sic in Numiſmate Domitiani cernitur Dea Victoria arma trunco appendens cum inſcriptione *Victoriæ Auguſti*, & hæc eadem ſuſpenſa arma cernere eſt in nummis Veſpaſiani, & Marci Aurelii Antonini.

XV. Ut autem ad publica vota revertamur, illa emittebantur poſt Kalendas Januarias præcedentibus Pontifice, Sacerdotibus, Flaminibus, Conſulibus, Prætoribus, & Cenſoribus, qui coram Populo Romano vota ſuſcipiebant, quæ in marmore à Magiſtratibus jubebantur inſcribi, aut numiſmatibus ſculpi, ut exprimerent annos, qui poſtulabantur, ut iterum vota renovarentur, ita explicat Guglielmus Choul de Relig. antiquorum Romanor. fol. mihi 208. vel ut vult Alexand. ab Alex. dier. genial. lib. 3. cap. 22. nomen voti deſumebant ab annis imperii illius Principis, ſub quo publica vota nuncupabantur, quidquid ſit, in numiſmate Criſpi expreſſum eſt Vot X. hoc eſt Vota decennalia, in numiſmate Juliani Vot. X. mult. XX. ideſt Votis decennalibus multis vicennalibus, in numiſmate Conſtantini Vot XX. in numiſmate Maximiani Vot XXX. P. ideſt Votis tricennalibus perſolutis, in numiſmate Diocletiani Vot. XXX Aliquando etiam expreſſa videntur vota ſine adnotatione anni, ut conſtat in nummo Severi, in quo ſculptus eſt Sacerdos cum hac inſcriptione *Vot publica*.

XVI At ne antiquam decennalium votorum originem omittamus, inter cæteros, qui de hac re ſcripſere, placet nobis eruditiſſimus Cardinalis Noris Litterariæ Reip decus, is enim in ſua cronologica diſſertatione de votis decennalibus, eorum originem repetens diligenter animadvertit ex Livio, quod vota publica pro Reip. incolumitate tum in quinquennium, tum in decennium antiquitus nuncupa-

bantur, unde idem Livius lib. 2. decad. 3. narrat, quod Flaminio cum legionibus ab Annibale ad Traſymenum caſu vota quinquennalia ſuſcepta ſunt, *ſi res populi Rom. ac Quiritium ad quinquennium proximum ſalva ſervata erit:* Lib. vero 1. decad. 3. refert, quod Cajus Attilius Seranus Prætor vota ſuſcipere juſſus, ſi in decem annos Reſp. eodem ſtetiſſet ſtatu. Poſtquam autem totius Imperii ſumma ad Cæſares devoluta eſt, evertentibus odiis privatis antiquiſſimæ Reip. fundamenta, Auguſtus juſtè pertimeſcens, ne populus priſtinæ ſuæ libertati aſſuetus, ægre ferret perpetui domini nomen, ſe tum magis ſecurum à ſubditorum defectione exiſtimavit, cum Imperium Romani Orbis in decennium, dein in quinquennium, dein in alia decennia, tam ipſe, quam ejus ſucceſſores aſſumerent. Accepto ergo in decennium imperio, eodemque decennio completo, regimen in proximum quinquennium, ac poſtmodum in alterum, deindè in decennium, quod etiam iteravit, imperium rurſus accepit. Hinc factum eſt, ut ineunte ſingulo decennio vota nuncuparentur pro ſalute Imperatorum, completo verò decennio ſolverentur, & hæc eſt decennalium votorum origo. Nam Dio lib. 53. ſcribit, *quam ob cauſam poſteriores quoque Imperatores, & ſi non ad certum tempus, ſed per omne vitæ ſpatium iis imperium deferatur, tamen ſingulis decenniis feſtum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.*

XVII. Vota quinquennalia ab Auguſti etiam temporibus repetenda ſunt, is cum completo decennio in quinquennium iterum regimen ſuſcepiſſet, Agrippa, ut refert Dio lib. 54. ludos quinquennales propter ejuſdem principatum dedit. Decennalia ergo, & quinquennalia vota, & à decennio, & à quinquennio Imperii, aut inchoato, aut completo nomen ſuum deſumebant, quod ſi completum erat, dicebantur ſolvi, ſi inchoatum, dicebantur nuncupari.

XVIII. Vota, quæ decimo quinto imperii anno ſolveban-

bantur, quindecennalia appellabant veteres. Hoc deducit Emin. de Noris ex numiſmate Conſtantii, in cujus poſtica parte inſcriptum legimus *Felicitas Romanorum*, & in medio laureæ *Vot. XV. mult. XX.* hoc eſt *Vota quindecennalia, multis vicennalibus*: idem in numiſmate Gratiani reperitur. Auguſti anno imperii 10. nuncupabant vota vicennalia, completo verò quinquennio ſolvebant vota pro dimidia parte ſecundi decennii feliciter exacti, & iterum repetebant vota vicennalia, ex quo patet quindecennalium, & vicennalium origo.

XIX. In emittendis votis illud diligentiſſimè obſervabatur, ut non niſi conceptis verbis, & capite cooperto Imperator, Conſul, aut Prætor eadem vota nuncuparet. Decennalium hanc formulam antiquam refert laudatus Noriſius: *Preces poſco Jupiter, uti ſies volens propitius in decennium N. Auguſto; quod ſi faxis· tunc tibi votum bove aurato vovemus eſſe futurum, ludis Circenſibus vovemus eſſe futurum, ludis gladiatoriis vovemus eſſe futurum.* Cæremonia illa vovendi capite velato narratur à Livio decad. 1. lib 8. & illam denotare videtur Virg. 3. Æneid. inducens Hellenũ Æneæ ſuadentem:

Vota in littore ſolves

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Neque Gentiles ſolum capite tecto vota effundere ſolebant, ſed etiam orare, à qua conſuetudine Chriſtianos revocat Gentium Doctor 1 ad Corinth. cap. 11. verſ. 4. *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.*

XX. Materiam vototum, præter ludos, veſtes, arma, & ſacrificia fuiſſe etiam templa, & imagines nemo inficiabitur. Certè à Cæſare Auguſto Marti Ultori templum dedicatum oſtendit ejuſdem numiſma argenteum, in quo conſpicitur templum cum inſcriptione, *Marti Ultori*, ad quam dedicationem alludit Ovidius in Faſtis:

Templa feres, & me victore vocaberis Ultor,
Voverat, & fuſo lætus ab hoſte redit.

Do

De aurea Victoriæ ſtatua legendus eſt Livius Decade 3, lib. 2. de Auguſto ſcribit Dio lib 51. Tum Curiam Juliam in honorem patris ſui factam dedicavit, in eaque imaginem Victoriæ poſuit, quæ hodiè quoque extat Tarento olim Romam advecta, & à Cæſare tum in curia poſita, & ſpoliis Ægyptiacis decorata, ex quo Cæſar nimirum oſtendebat imperium ſe ex Victoria eſſe adeptum. Claudianus lib. 3. de laudibus Stilicon. cecinit:

Quæ vero procerum voces, quam certa fuere
Gaudia, cum totis exurgens ardua pennis
Ipſa duci ſacras victoria panderet ædes,
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis!
Cuſtos imperii virgo, quæ ſola mederis
Vulneribus, nullumque duces ſentire laborem.

XXI. Inter Sacrificia, quæ in votorum ſolutione peragebantur, illud memorandum eſt, quod *Hecatombe* appellabatur, erat enim centum hoſtiarum maciatio. Vopiſcus cap 8. cum prius Gallieni decennalia retuliſſet, enarrans quoque proceſſum ejus, atque apparatum ad ſacrificia, ait: *Omnes viæ ludis, ſtrepituque, & plauſibus perſonabant, ipſe medius cum picta toga, & palmata tunica inter patres, ut diximus, omnibus Sacerdotibus prætextatis Capitolium petit:* inter hoſtias autem, quæ ad ſacrificium ducebantur, incredibili pompa numerantur: *Centum albi boves cornibus auro jugatis, & dorſualibus ſericis diſcoloribus præfulgentes:* ac tandem cap. 9 *ſic confecto itinere, celebratiſque Hecatombis ad domum regiam redit.* Paulum quoque Æmilium, ac Marium Hecatombem voviſſe teſtis eſt Plutarchus in eorum vita.

XXII. Neque hic præter eundum exiſtimo antiquiſſimum votum *Veris Sacri*, quod in magnis Reip. caſibus ex Senatus Conſulto nuncupabatur. Quo quidem voto quidquid ſuum, ovium, agnorum, boum inter Kalendas Martias, & Idus Majas apud quemque natum, vel repertum fuiſſet,

pro-

procul dubio erat immolandum. Quia verò turpe ducebant infantes immolare, quos non dubitabant eodem voto comprehendi, adultos velabant, velatoſque extra fines exigebant, qua cæremonia ſe liberos voto exiſtimabant. Feſtus Pompejus lib. *19.* quem citat Tiraquell. in not. ad Alexand. ab Alexand. dier. genial. lib. 3. cap. 22. Nos de puerorum immolatione multa diximus agentes de Idolo Moloch.

XXIII. Quæ autem fuerint apud Gentiles particularia vota, longum eſſet hic recenſere, cum, ut ſupra diximus, illa varia extiterint juxta uniuſcujuſque opportunitatem, diſſertationem concludemus enarrando illa vota, quæ extant apud Plutarchum de ira cohibenda § ult. ubi ſic legimus, *Præter hæc omnia, magnum, & divinum mihi illud Empedoclis viſum eſt*

Eſſe velis abſtemius improbitatis

Quin & iſta pacta, ſive vota, ut non inelegantia, neque aliena a Philoſopho probavi, cum per annum pollicebantur ſe velle re venerea, & vino abſtinere, Deumque continentia ſua venerari. Itemque per certum tempus mendacio vacare, ut animadvertere poſſent, quomodo & in jocis & in ſeriis omnibus veritatem tenerent. His ego animis meam comparans pietatem illis nihilo inferiorem ſacros quoſdam initio dies, quibus ira vacarem paucos inſtitui, tamquam vini, & ebrietatis vacuas, ac ſi nephalia, ideſt ſobria ſacra, & libationes mellis agerem. Deinde menſem, mox duos eamdem tenui rationem, atque hoc pacta me ipſum expertus ſucceſſu temporis, magnos feci ad patientiam progreſſus, temperanter me ipſum attendens, atque cuſtodiens cum boni ominis comprecationibus, immunem ire, & purum omnis pravi ſermonis, abſurdæque actionis, ac perturbationis, quæ propter voluptatem exiguam, atque ingratam, turbas magnas, turpiſſimamque afferret pœnitentiam. Atque hinc, niſi fallor, Deo etiam nonnihil adjuvante comprobavit experientia judicium hoc: placidos, manſuetos, atque humanos mores nemini eorum, quibuſcum vivitur ita gratos, jucundoſque eſſe, ut eis ipſi, qui iis eſt præditus.

DIS-

DISSERTATIO XVI
DE JUDÆORUM VOTIS.

CAPUT PRIMUM.

De Voto Iacobi.

1. PRoponitur Genes. cap 28. verſ 20. 2. Quomodo poterat Jacob vovere ſe habiturum Deum in Deum 3 Cajetani, & Pererii expoſitio. 4. Votum Jacobi habuit pro materia quoſdam actus externos, nempe templi dedicationem, oblationem decimarum, quibus inſinuttam divinæ majeſtatis excellentiam recognoſceret 5 Non repugnat hominem ad ejuſdem rei obſervantiam pluribus titulis obligari, nempe titulo voti, ac titulo legis.

I. CUm de Judæorum votis agere debeamus, non ab alio nobis inveſtigandæ notitiæ ſunt, quam à ſacro textu, nulla enim antiquior hiſtoria eſt, & quæ tantam fidem promereatur. Primo igitur loco proponimus votum Jacobi ita expreſſum Geneſis cap. 28. verſ 20 *vovit etiam votum dicens. ſi fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſuſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

II.

II. Hoc Jacobi votum, ſi tantum generalia verba attendantur, quibus fuit illud expreſſum, non levem parere poteſt difficultatem. Si enim Deus ſemper debebat eſſe Deus Jacobi, inutilis videtur promiſſio facta, ſe videlicet illum habiturum in Deum, ſi neceſſaria, quæ poſtulabat, recepiſſet, an ſi non recepiſſet, poterat Deum recuſare?

III. Sed propoſitæ dubitationi facillimè occurrit Pererius, & Caietanus, qui hunc ſacræ Geneſis locum ſic exponit: *Quæſtio hic movetur de materia hujus voti Jacob, quæ videtur incongrua, ſiquidem materia voti debet eſſe bonum ſupererogationis, ad quod ſcilicet vovens aliàs non teneretur. Jacob autem vovit ſe habiturum Deum pro Deo, ad quod ille tenebatur ſine ſuo voto. Verum ſolvitur quæſtio dupliciter; primò habere Deum pro Deo non debet intelligi, ut verba ſonant ſolitaria, ſed ut mox ipſe declaravit; ſæpe enim ſcriptura ita loquitur, ut quæ explicanda ſunt ſingillatim, prius proponat in uno tamquam confuſè, & mox illud per partes explicet. Sic in præſentia illud erit mihi pro Deo, ſtatim exponitur per duas res ſubiunctas, quarum altera eſt, quod lapis ille erat futurus ei domus Dei, inſtar ſcilicet templi, in quo divinum cultum celebrare volebat. altera verò eſt, quod decimas omnium bonorum ſuorum offerret Deo. Eſt porro manifeſtum utrumque eorum fuiſſe ſupererogationis bonum. Ceterum etiam ſervato verborum rigore, poteſt quæſtio ad hunc modum ſolvi, non eſſe inconveniens materiam voti eſſe bonum, ad quod quiſpiam alio nomine tenebatur, ut ex duplici vinculo ad idem teneatur, vinculo ſcilicet præcepti divini, ſive naturalis juris, & item vinculo proprii voti.*

IV Hactenus Cajeranus, cui conſentit Pererius, & horum Interpretum mens eſt, illa priora verba voti Jacobi, nempe, *erit mihi Dominus in Deum*, ita connecti cum poſteriotibus, ut per illa debeant explicari. Vovet Jacob ſe Deum habiturum in Deum, promittens tamen Templi dedicationem, oblationem decimarum, ſatis oſtendit, in quo De-

um

um debeat recognoſcere, aſſignans præcipuos quoſdam actus externos, quibos divinæ majeſtati obſequatur, & illius ſummam, infinitamque excellentiam recognoſcat. Serviant huic expoſitioni prophani Scriptoris verba. Virgil. Eclog. 1. ſic cecinit

O Melibæe Deus nobis hæc otia fecit,
Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Sæpè tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Qua expreſſione munificentiſſimum ſuum Principem dicit Poeta ſe habiturum in Deum ſacrificiorum frequentia.

V. Ut autem ad textum redeamus, quamvis ad divinum amorem, ac cultum Jacob eſſet naturali lege obligatus, adeòque non tantum ad internum amorem, ſed ad obſequium exterius Deo exhibendum per oblationes, ſacrificia, decimas, & alia hujuſmodi, particularia tamen, ſive ſingularia ipſius obſequii ſigna non erant ſub præcepto, nempe dedicatio illa altaris, & Templi. Et etiam ſi concederemus nullum horum operum, quæ in voto Jacobi exprimuntur, fuiſſe opus ſupererogationis, tamen non repugnat hominem ad ejuſdem rei obſervantiam pluribus titulis obligari, nempe titulo voti, ac titulo legis. Obligatum fuiſſe regium Prophetam ad obſervanda omnia divina mandata, nemo eſt, qui dubitet, ipſe tamen ad hanc obſervantiam novo quodam titulo voluit adſtringi, nempe jurejurando: unde pſal. 118. ait: *Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ*. Eſt etiam ſententia D. Auguſtini, ſeu potius, ut vult Pithæus in notis ad jus Canonicum, Caſſiodori in pſalmum 75., quam ſententiam refert Gratianus in canone ſunt quædam 17 quæſt. 1. *Quod ſunt quædam quæ etiam non voventes debemus, quædam etiam, quæ niſi voverimus, non debemus, ſed poſtquam ea Deo promittimus, neceſſariò reddere conſtringimur.*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE VOTIS NAZARÆORUM.

1. *PRoponitur Numer. cap. 6. 2. Nazaræi duplicis generis 3. Duplex modus vovendi, vel res, vel perſonas, unus generalis, & indiſtinctus, alter determinatus, & particularis. Antiquitas Hebraica vocis* חרם *Cherem, cui Græce* [illegible] *reſpondet, ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. Vera Nazaræi Etimologia. 4 Abſtinere à vino, quantum deceat eos, qui divino cultui ſunt dedicati. Aurea de hac re Sanctorum PP. ſententia. 5. Cur Nazaræis non ſolum vini uſum, ſed uvas recentes, ac paſſas Deus interdixerit. 6. Cur crines Nazaræis præſcinderentur. 7. Conſuetudo deferendi comam intonſam, hiſpidam, atque incultam barbam diù retenta apud veteres. 8 Cur non liceret Nazaræis Mortuorum funeribus intereſſe, nec cadavera tangere. 9. Cæremonia Nazaræorum præfigurabant Religioſos novi teſtamenti.*

1. INter vota, quibus homines peculiari ritu Deo conſecrabantur, laudabile erat in veteri lege votum Nazaræorum, cujus formulæ, ac ritus à Deo Optimo Maximo præſcribuntur Numeror. cap. 6. ibi enim legimus, *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos: vir, ſive mulier, cum fecerint votum, ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare, a vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent; uvas recentes, ſiccaſque non comedent, cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur: quidquid ex vinea eſſe poteſt, ab uva paſſa uſque ad acinum non comedent: omni*

ni tempore ſeparationis ſuæ novacula non tranſibit per caput ejus uſque ad completum diem, quo Domino conſecratur: ſanctus erit creſcente cæſarie capitis ejus.

II. Ut has cæremonias explicemus, prius ſupponimus cum doctiſſimis Sacræ Scripturæ Expoſitoribus, Nazaræos duplicis generis extitiſſe; alii enim hoc inſtitutum vel ſuo, vel parentum voto, vel Dei juſſu ſuſcipiebant ad totum vitæ tempus, ut in veteri lege Sampſon, & Samuel, Joannes Baptiſta; alii, qui uſque ad certum tempus Nazaræorum religionem amplexabantur, & de quibus in præſenti eſt ſermo, ut oſtendunt illa verba, *cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur*.

III. Supponimus etiam duplicem fuiſſe modum vovendi, vel res, vel perſonas, unum ſcilicet generalem, & indiſtinctum, quo quidem modo illa, quæ offerebantur, poterant pretio redimi, & poſteà in alios uſus tranſire: alterum particularem, & determinatum, ut ſcilicet, quæ ſemel divino cultui, ac ſervitio manciparentur, nec redimi poſſent, nec in prophanum uſum reduci. Hinc intelligemus antiquitatem Hebraicæ vocis חרם cui Græce ἀνάθεμα reſpondet, qua quidem voce ſpecialiter Deo oblata, atque in perpetuum dicata ſignificabantur, quæ enim ita vovebantur, vel naturali morte, vel civili debebant ſeparari, atque interire. Morte quidem naturali, ſi erant animalia ſacrificio idonea, vel per ſimilem immolationem homines Dei hoſtes, & eximii peccatores: ſic Deuteronomii cap. 13. verſ. 16. & 17. civitates, in quibus habitabant idolorum cultores, atque impii homines jubentur ſolo æquari, omnemque earum ſupellectilem ſuccendi, de qua quidem ſupellectili legimus *& cum ipſa civitate ſuccendes, ita ut univerſa conſumas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus; non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua*. Sic Joſue 6. verſ. 16 &

17.

17. de urbe Jericho ſcriptum eſt : *tradidit enim vobis Dominus civitatem, ſitque civitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea ſunt Domino.* 1. Reg. cap. 15. verſ 3. dictum eſt Sauli, *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus.* Sed expreſſius numeror. cap. 21. Votum Iſraeliticæ gentis de Chananæo delendo narratur. *At Iſrael voto ſe Domino obligans ait : ſi tradideris populum illum in manu mea, delebo urbes ejus : exaudivitque Dominus preces Iſrael, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit ſubverſis urbibus ejus, & vocavit nomen loci illius Horma, ideſt anathema.* Morte civili interibant, ac ſeparabantur tam res, quam perſonæ, quæ erant divino cultui, ac Religioni perpetuò dicatæ. Et ſic olim in lege veteri, tam Nazaræi, quam agri, qui Domino erant devoti civiliter mori dicebantur, & ſeparari, quia videlicet illi mundo, iſti Domino ſuo peribant, nec amplius ad alios uſus, ac miniſteria tranſire poterant &c. Et hæc oblatio hebraicè חרם dicebatur à verbo חָרַם quod ſignificat *occidere, excidere, ſuccidere*, Nazaræus autem hebraicè נָזִיר hoc eſt ſeparatus, & diviſus à verbo hebraico נָזַר quod ſignificat *ſeparare, & dividere.* Videatur Xanctes Pagninus in ſuo theſauro linguæ ſanctæ.

IV. Præcipiebatur primo Nazaræis abſtinentia vini, hæc enim multum decet eos, qui divino cultui perpetuò addicti ſunt, nam qui deliciis aſſueſcunt, nec ea ſugiunt, quæ mentem à cœleſtibus commerciis, aut penitus retrahere, aut retardare, quæve animi candorem aliqua labe inficere poſſunt, ſacris miniſteriis inutiles redduntur. Quamvis autem ſobria vini potatio vitales evocet ſpiritus, atque exhilaret, & frigeſcenti ſtomacho robur miniſtret, cum tamen ipſa corrupta hominum natura rebus etiam neceſſariis ad illecebras abutatur, & quæ erant olim infirmi cor-

S poris

poris ſubſidia, fiant irritamenta voluptatum. Hinc optimè proviſum, ac conſultum eſt à ſummo naturæ parente, ut qui ei firma, ſtabilique ſponſione ſacrarentur, ſegregati à turba hominum viverent, temperarent ab affectibus, revocarent ſe à deliciis, abſtinerent à vino, ne ſcilicet occaſio bibendi initium eſſet male vivendi, & uſus, cui certi limites præſcribi non poterant, in abuſum verteretur. Ut maxima vini damna fugiamus, nos admonet ſapiens Proverbior. cap. 23. verſ. 29. Nam poſtquam dixerat. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* ſtatim ſubiecit. *Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit, ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet &c.* Quæ quidem conſiderans Clem. Alex. in cap. 2. pædagogi, *Videte*, inquit, *vinoſum totum dilaceratum, qui ipſam quidem rationem deſpicit, ſe ipſum autem tradidit, & permiſit ebrietati, quot, & quanta ei ſcriptura minata eſt, minis autem his rurſus ſubiungit, cujus ſunt lividi oculi? an non eorum, qui in vinis tempus conſumunt, an non eorum, qui inveſtigant, ubi fiant potationes? hic quidem eum, qui potu nimio delectatur, etiam rationi mortuum eſſe oſtendit per liventes oculos, quod eſt ſignum mortuorum. Oblivio enim eorum, quæ ad veram vitam pertinent, vergit ad interitum . . . . . Ex hoc enim adiuta dicit poetica.*

Vinum hominum veniens velut ignis corda furore
Pellit, ceu libyci fluctuat unda maris
Quam Notus, aut Boreas agitant.

Et rurſus

abſcondita mentis
Vinum errans verbis aperit dirum uſque bibentis
Vinum, quod mentes agitat

Atque anteà idem Clemens reddiderat rationem, cur opti-

optima eſſet vini abſtinentia, nam *Vino immodico lingua quidem præpeditur, labra vero ſolvuntur, oculi autem distorquentur, ac divertuntur, cum præ humiditatis multitudine viſus tamquam in piſcina natitet, & mentiri coacti exiſtimant omnia in orbem ferri, numerare autem non poſſunt, quæ procul ſunt, tamquam ſint unica. At qui duos ſoles videre mi videor, ebrius dicebat Thebanus ſenex*, Eurip. in Bac. Multa elegantiſſimè hanc ad rem adducit laudatus author, qui videri poteſt loco jam citato. Virg. 2. Æneid. enarrans

Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai

Et deſcribens, quam facilè hoſtes munitiſſimam, atque opulentiſſimam urbem occupaverint, ſubiecit

Invadunt urbem ſomno, vinoque ſepultam.

Neque omittere volo Senecæ præclaram ſententiam, qua ipſe octogeſimam tertiam epiſtolam ſuam exornat, inquit enim, *ubi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit: non facit ebrietas vitia, ſed protrahit: tunc libidinoſus ne cubiculum quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierit ſine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur, ac publicat; tunc petulans non linguam, non manum continet: creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido, omne vitium detegitur, & prodiitur, adice illam ignorantiam ſui dubiam, & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia velut aliquo turbine circumagente totam domum ..... cogita, quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes, bellicoſaſque hoſtibus tradidit, hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit.* Sed inter omnes, qui ſcriptis ſuis vini abſtinentiam prædicaverint, damna, ac pericula deſcripſerint, audiendus eſt D. Ambroſius, qui cap. 13. de Elia, quem propoſuerat, ut abſtinentiæ, ac temperantiæ exemplar, miſerabilem poſteà ebriorum ſtatum ſic exponit. *Vino madidi, & ſomnolenti*

lenti neſciunt mente, quid lingua proferat, unuſquiſque ſtertit, & potat, & dormit, & dimicat. Si quando conjurrectum fuerit, viri prœliatores ſtare non poſſunt, & greſſu vacillant, rident ſervuli dominorum opprobria, manibus ſui portant militem, bellatorem imponunt equo. Itaque huc, atque illuc tamquam navigia ſine gubernatore fluctuant . . . . quos manè inſignes armis ſpectaveras, vultu minaces, eoſdem veſperi cernes etiam à puerulis rideri, ſine ferro vulneratos, ſine pugna interfectos, ſine hoſte turbatos, ſine ſenectute tremulos, in ipſo juventutis flore arentes.

V. Interdixit Deus omnibus Nazaræis non tantum vini uſum, ſed uvas quoque recentes, ac paſſas, ut ſic paulatim aſſueſcerent ſobrietati ſtudere, omnemque crapulam averſari, ex qua tot pullulant vitia, & quemadmodum hæc paulatim animos pervadunt, illoſque uſu, ac conſuetudine in ſervitutem rapiunt, ita ſumma ope niti decet eos, qui divino cultui mancipantur, & quorum animi Deo ſanctiſſimo fœdere adſtringuntur, ne exteriorum amore capiantur, neve ullam occaſionem admittant, quæ ad vitium ducere poſſit. Hinc gloſſa in illud Job. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis*, quam citat Cornel à Lapide in hoc Numeror cap. ait: *Viſum ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio.*

VI. Quod verò etiam divina lege cautum fuerit, ne crines Nazaræis præſcinderentur, ad majorem illius ſtatus reverentiam, majeſtatemque pertinuit: qui enim erant ab omni ſæculi commercio ſegregati, debebant pariter non moribus tantum, ſed ipſo exteriori corporis apparatu à cæteris diſtingui, & caſtas, ſanctaſque cogitationes fovere, quæ per capillos deſignantur.

VII. Hæc eadem conſuetudo deferendi comam intonſam, hiſpidam, atque incultam barbam, etiam extra votum diu-

ſer-

ſeruata eſt apud veteres, nam Romanis juvenes, & ſenes ab Vrbe condita uſque ad annum 454. intonſi incedebant, quo ſpectat illud Ovidii 2. Faſtor.

Denique, quodcumque eſt, quo corpora noſtra piantur
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

Et Horatius lib. 2, carm. ode 15.

Non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.

Lucanus quoque lib. 2.

Ille nec horrificam ſancto dimovit ab ore
Cæſariem, duroque admiſit gaudia vultu:
Ut primum tolli feralia viderat arma
Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mæſtamque genis increſcere barbam.

VIII. Exteriorem corporis munditiem à Nazaræis requirebat Deus, adeoque nec illis licebat mortuorum funeribus intereſſe, nec cadavera tangere; quod ſi contingeret, polluti, atque immundi cenſebantur, donec per raſuram, & luſtrationes hoc capite præſcriptas purgarentur, & ad primævam exteriorem puritatem reducerentur. Quæ tamen de pilorum raſura, criniumque præciſione afferuntur, accomodanda tantummodò ſunt Nazaræis temporaneis, non verò perpetuis, quibus quocumque modo polluerentur, ut optimè obſervat Cornelius à Lapide, numquam licebat crines abſcindere, ſed illi in perpetuæ conſecrationis ſignum debebant geſtari.

IX. Cur autem per cadaverum contactum in lege antiqua immundi homines redderentur, memini me alibi attigiſſe. Certe, ut unanimis eſt interpretum ſententia, quæcumque in hoc Numeror. cap 6 de cærem. Nazaræor. referuntur, hæc novi Teſtamenti religioſos præfigurabant, qui quidem triplici votorum ſolemnium vinculo Deo adſtricti ſegregantur à cætu mortalium, contendunt ad vitæ

perfectionem per incrementa virtutum, & per aſſiduum ſtudium pietatis. Quod ſi Nazaræis non licebat cadavera tangere, iſtis, quia Cœlo jam vivunt, neceſſe eſt, ut prorſus recedant ab omni eo, quod vel remotiſſimè habeat mortis æternæ ſpeciem, ut minima etiam vitia deteſtentur, ut parentum amorē deponant, ne terrenis affectibus implicati cogantur cadavera tangere, hoc eſt ſepultas ſuas delicias, pompas, honores iterum repetere, & mortuum mundum amplexari.

CAPUT TERTIUM.

De Voto Annæ.

1. *PRoponitur caput 1. lib. 1. Regum verſ. 11. exprimitur Annæ Votum. 2 Vota, quorum materia aliqua ex parte extra noſtram poteſtatem eſt, quamvis ſub abſolutis verbis concipiantur, evadant tamen conditionata. 3. Quomodo infantes oblati olim à parentibus Monaſticæ Religioni, cum ad uſum rationis perveniſſent, tenerentur in lege nova monaſticam vitam profiteri. Decreta Concilii Toletani 4. 4. Ejuſdem rei fundamenta adducta à Concilio Toletano 8. 5. Hæc norma ſtrictioris diſciplinæ circa oblatos pueros diu ſervata in multis Chriſtiani Orbis Eccleſiis. 6 Multa Pontificum Decreta in eadem materia aliquantulum mitiora afferuntur. 7 Antiqua, & recentiora decreta circa pueros Monaſteriis oblatos minimè inter ſe pugnant, ſed attentis temporum circumſtantiis, Summorum Pontificum, veterumque PP. prudentiam commendant.*

I. ALiò jam vocamur præcedentis cap. occaſione, nempe ad caput 1. lib. 1. Reg. verſ. 11., ubi Votum Annæ ſic expreſſum eſt: *& votum vovit dicens;* *De-*

Domine exercituum ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non aſcendet ſuper caput ejus. Ex quibus verbis plane intelligitur Votum Annæ circa filium ſuum, quem à Deo ſuſis lacrymis depoſcebat, non fuiſſe de eo quocumque modo conſecrando divino cultui, (cum filius, quem ſuſcepiſſet, utpote ſtirpis ſacerdotalis debuiſſet divinis miniſteriis deputari ab anno 25. uſque ad 50.) ſed fuiſſe votum peculiare, votum ſcilicet, quo non tantum miniſterio altaris, ſed Nazaræorum quoque Religione, & inſtitutis filium obſtringeret.

II. Hinc tamen oritur non levis dubitatio, quomodo ſcilicet potuiſſet Anna hoc votum emittere, cujus materia ab illius poteſtate non dependebat, nam filii non tenentur perſonalia parentum vota adimplere, neque ad illa poſſunt obligari. Quare omnes ferè iſtius loci expoſitores, inter quos Cornelius à Lapide, & Tirinus dicunt voluiſſe Annam voto ſuo, non filium cogere, ſed ſibi perpetuam neceſſitatem imponere, numquam filium à Templi ſervitio, & Nazaræorum inſtitutis revocandi, & Samuelem in libertate permanſiſſe, aut manendi, aut recedendi etiam attento materno voto. Quod ut facilè intelligamus pro certo ſupponendum eſt, vota illa, quorum materia aliqua ex parte extra noſtram poteſtatem eſt, quamvis ſub abſolutis verbis concipiantur, evadere tamen conditionata, tale eſt autem votum, de quo in præſenti agitur, videtur enim conceptum verbis determinatis, & abſolutis, videlicet, *dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus*; ſed quia manere in Templo, & inſtitutis Nazaræorum, aut recedere in filii poteſtate erat, cum ad plenum rationis uſum perveniſſet, ideo intelligitur tacita conditio, ſi filius voluerit, & votum abſolutum tantum reputatur in iis, quæ ſpectant ad matrem, unde illa prudenter dixit, ſe eum dediſſe Do-

mino, ſeu commodaſſe cunctis diebus, quibus fuerit commodatus, id eſt quamdiù vita, & voluntas ejus tolerit. Et cum dixit: *dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus*, idem eſt, ac ſi diceret, quantum ad me pertinet, eum numquam revocabo à divino miniſterio, ac Religione Nazaræorum.

III. Quomodo autem in lege nova infantes olim Monaſteriis à ſuis parentibus oblati, cum ad uſum rationis, ac poſtmodum ad perfectam ætatem perveniſſent, tenerentur monaſticum inſtitutum profiteri, nec ulla ex cauſa removeri poſſent, res eſt, quæ multam antiquorum Canonum cognitionem requirit. Certè conſtat olim pueros Monaſteriis parentum voto dicatos, ac monaſtica veſte indutos cogi potuiſſe ad monaſticam profeſſionem, & clauſuram, nam in Concil. Tolet. 4. Can. 49. ſic expreſſum eſt. *Monachum aut paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus, & omnem ad ſæculum interdicimus regreſſum.* Et Can. 55. *Non aliter & hi, qui detonſi à parentibus fuerint, aut ſponte ſua amiſſis parentibus ſe ipſos Religioni devoverunt, & poſteà habitum ſæcularem ſumpſerant, hi à ſacerdote comprehenſi ad cultum Religionis, acta prius pænitentia, revocentur.* Eadem fere definita reperiuntur à Concilio Tolet. 10. Can 6., ibi enim legimus. *Ideoque ſi in qualibet minori ætate, vel Religionis tonſuram, vel Religioni debitam veſtem, in utroque ſexu filiis, unus, aut ambo parentes dederint, certe aut nolentibus, aut neſcientibus ſeſe ſuſceptam non mox viſam in filiis abdicaverint, ſed vel coram ſe, vel coram Eccleſia, palamque in Conventu, eoſdem filios talia habere permiſerint, ad ſæcularem reverti habitum ipſis filiis quandoque non licebit, ſed convicti, quod tonſuram, vel religioſam veſtem aliquando habuerint, mox ad Religionis cultum, habitumque revocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione hujuſmodi obſervantiæ inſervire cogantur.*

IV. Ex Concilio autem Toletano 8. Can. 7. facile de-

pre-

prehendere poſſumus, quo fundamento Eccleſiaſtici PP. ducerentur, ne egredi à clauſtris ſinerent, aut ſtatum clericalem abjicere eos, quos parentum voluntas, dum infantes eſſent, & deliberando incapaces, aut religioſorum domibus, aut ſacris altaribus devoverat. Utebantur enim argumento à paritate Baptiſmatis deducto, & volebant, quod quemadmodum baptizantur infantes, quibus non eſt rationis uſus, & coguntur poſtmodum, cum ad illum devenerint, adimplere ea, quæ per alios ipſorum nomine promiſſa ſunt, ita poſſent parentum ſuorum votis, aut clericali militiæ adſtringi, aut religioſæ vitæ mancipari; gratia enim, & charitas utrumque jugum, & Chriſtianæ Religionis, & monaſticæ vitæ ſuaviſſimum, dulciſſimumque efficiunt, ac perinde neutrum grave videri poteſt, etiam ſi neſcientes illud aliorum voluntate experiamur. Afferamus verba Concilii ſuper citato Canone expreſſa. *Id ſibi rationabiliter dari noverint in objectu, quod Sacroſancti Baptiſmatis inappretiabile donum eſt ſemper, & ſæpe non ſolum nolentibus, verum etiam, quod majus eſt, neſcientibus impertitur, ſed hoc à nullo penitus profanari permittitur ...... ſi majores impunè non deſerunt, quod parvuli vel neſciendo, vel nolendo percipiunt, quanto magis non convenit violare, quod pro mortis, aut pœnarum evadenda pernicie occulta Dei diſpenſatione cognoſcitur obveniſſe.* Quo quidem Canone non ſolum ea fundamenta exprimuntur, quibus permoti antiqui PP. cogebant filios parentum ſuorum voluntati obſequi, & eorum vota perſolvere, ſed etiam conſtat parentes non caſu, aut temerè, ſed graviſſimis cauſis permotos infantes ſuos, præmiſſo voto divinæ majeſtati, ejuſque ſacris miniſteriis obtuliſſe, quas quidem cauſas ducebant prudentiſſimi PP. Concilii eſſe cuicumque puerorum commodo, atque affectui anteponendas, nec fas eſſe credebant juſta ex cauſa, optimoque fine ſemel oblatum Deo poſſe à mundo repeti, & à divino miniſterio revocari, præcipue cum illi,

quos

quos longo tempore ſtrictioris vitæ profeſſio ſanctiſſimis rudimentis imbuerat, & aluerat ab infantia, omnia ſuſceptæ vitæ, & rigidioris inſtituti incommoda non tam memoria paterni voti, quam Dei auxiliatoris fiducia, & ſpe juſtiſſimi remuneratoris ſuperare poſſent.

V. Hæc circa oblatos pueros ſtrictioris diſciplinæ norma multis olim ſæculis ſervata eſt, & eam præcipuè Chriſtiani orbis Eccleſiæ diu cuſtodierunt. Hinc Concilium Matiſconenſe 1. can 12. definivit. *Si qua puella voluntariè, aut parentibus ſuis rogantibus religionem profeſſa, vel benedictionem fuerit conſecuta, & poſtea ad conjugium, aut illecebras ſæculi tranſgredi præſumpſerit, uſque ad exitum cum ipſo, qui ſe hujuſmodi conſortio miſcuerit, communione privetur.* Celebris eſt etiam reſponſio Summi Pontificis Gregorii II. ad interrogationes Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini epiſt. 9. alias 14. *Addidiſti quod ſi pater, & mater filium, vel filiam intra ſepta Monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, utrum liceat eis, poſtquam pubertatis impleverint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus, quia nefas eſt, ut oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.*

VI. Non defuere alii Summi Pontifices, qui has leges ſuis ſanctiſſimis decretis explicarent declarando ſcilicet, quod *Impuberes Monaſteriis oblati, ſi poſt pubertatem non reclamaſſent, non poſſent inde reſilire*, ita decrevit Alexander III. ut text. eſt in cap. ſignificat. de regularib. in quo proponitur caſus cujuſdam Guiboldi pueri fere quatuordecim annorum, qui timore magiſtri, qui eum erudiebat, ſuſcepit habitum Religionis apud Eccleſiam de Reſone. *Et inde ſicut puer infra annum exivit, & per ſæculi vanitates jam ſex annis, & eo amplius vagabundus diſcurrit.* Et inter cætera reſolvitur, *ſi autem à parentibus forte fuerit oblatus, ſeu 14. annum compleverit, cum Religionem intravit, ſive poſt 14. annum profeſſionem à ſe factam ratam habuerit,*

eum

eum ad eamdem, vel ad aliam Religionem omni cum diſtrictione compellas. Similia definita ſunt à Clemente III. in cap. Cum virum, hoc eodem tit. Non prætereo decretalem Summi Pontificis Cœleſtini III. relatam in cap. cum ſimus de regular. in qua quidem narratur, quod quidam miles lepræ morbo laborans ad quoddam monaſterium cum filio diſcretionis annos nondum agente, ſe contulit, & bona ſua eidem monaſterio tradidit. Cum autem filio infra decem hebdomadas à ſuſcepto Monachali habitu auſterioris vitæ regulæ diſplicuiſſent, è monaſterio exivit, & cæpit paterna bona poſtulare. Re ad Summum Pontificem per Metropolitanum delata, ita decretum eſt. *Ideoque diſcretioni v. ſignificatione præſentium intimamus, quod ſi dictus puer ad annos diſcretionis pervenit, & habitum retinere noluerit monachalem, ſi ad hoc ipſum induci nequiverit, non eſt compellendus. Quia tunc liberum erit ſibi eum dimittere, & bona paterna, quæ ipſi rectè ſucceſſione provenient, poſtulare*.

VII. Quæ quidem omnia ſi diligenter examinentur, nullam in Eccleſiaſticis decretis inconſtantiam reperiemus, ſed admirabimur potius ſummam quamdam prudentiam, qua ſanctiſſimi illi Pontifices, atque vigilantiſſimi Præſules hominum moribus, & temporum circumſtantiis ſe aptaverunt, modo circa oblatos pueros ſtrictiores leges promulgando, modo illas temperando. Non ſemper juvenes ratione, & conſilio ſuo utuntur, & ſervant æternæ legis ſcripta, quibus ſervire vera libertas eſt, quare neceſſarium aliquando fuit, ut paterno magis judicio, atque imperio regerentur, quam ſuo, & ad eum cumulum boni coarctarentur, ad quem ipſi vix aſpiraſſent, & ideo ſi à parentibus divinis miniſteriis offerebantur, inde revocari non poterant. Quia vero ea in filios poteſtate non piè ſemper, ac ſanctè, ut æquum erat, parentes uſi ſunt, ſed magis avaritiæ incitamento, quam amplificandæ Religionis amore filios devoverunt, maximè conſentaneum fuit eos ſupradi-

ἑta in filios poteſtate expoliare. Inſuper cum aliquando ea, ad quæ cogimur, ſi bona, ſi utilia ſunt ipſa poſtea conſuetudine cara, ſuavia, ac jucunda redduntur, & innato libertatis amori anteponenda cenſentur, ideo hoc fundamento permoti Eccleſiaſtici Paſtores exiſtimarunt, nullum inferri præjudicium puerorum libertati, ſi poſtquam Monaſteriis erant a ſuis parentibus dicati, retinerentur vel inviti, cum & experientia monaſticæ vitæ, & Religionis bonum, gloria, atque utilitas, omne poſſent ab animis juvenum tædium, & priſtinæ libertatis memoriam propulſare. Quia verò alii ſunt, quorum animi coactione magis exaſperentur, & quos neceſſitas non ad virtutem, ſed ad ſimulationem alliciat, hinc etiam juſtæ cauſæ extiterunt, ut juvenum libertati patres conſulerent, indulgerent, & magnopere curarent, ne aliqua illis moleſtia inferretur. Ex quibus omnibus patet ſtrictiora, & laxiora circa oblatos pueros decreta ſanctiſſimis, atque prudentiſſimis innixa fuiſſe fundamentis, prout temporum, locorum, ac perſonarum circumſtantiæ exigere videbantur.

CAPUT QUARTUM.

DE VOTO JEPHTE.

1. *PRoponitur Jephte hiſtoria ex Iudic. cap 11. verſ 29. 2 Refellitur Rabinorum expoſitio de hoc voto. 3 Cur Filia Jephte tam anxiè poſtulaverit, ut aliquod ei ſpatium concederetur, quo ſuam Virginitatem deploraret. 4 Catholicorum ſententiæ circa votum ab eodem Jephte emiſſum. 5 Jephte non temerè vovit, ſed divino quodam inſtinctu, atque impulſu. 6. Materia voti iſtius non fuit omninò indifferens; non enim promiſſum eſt ſacrificium animalis indiſtin-*

diſtinctè, ſed ſacrificium hominis. 7. Ex acceptatione iſtius ſacrificii nihil poteſt divinæ juſtitiæ detrahi.

I. CUm Ammonitæ adverſus Iſraeliticam gentem validiſſimo comparato exercitu irruiſſent, & in ſummo diſcrimine Judaici populi fortunæ verſarentur, fortiſſimus Jephte, cui tota rei militaris ſumma commiſſa erat maturè perpendens, & ſuorum numerum, ac vires, & hoſtium fortitudinem, ac numerum, & ea omnia damna, quæ fracto, ſuperatoque Iſraelitico exercitu, agris, civibus, urbibus imminebant, ſe exercituum Deo, ſine quo deſperanda victoria eſt, quo protegente nihil timendum, ſingulari voto obſtrinxit. Hujus formam expreſſam legimus Judic. cap. 11. verſ. 29. *Factus eſt ergo ſuper Jephte ſpiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manaſſe, Maſpha quoque Galaad, & inde tranſiens ad filios Ammon, votum vovit Domino dicens. Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Cum autem victor Jephte ex hoſtibus domum reverteretur, prima omnium *occurrit ei unigenita filia ſua cum tympanis, & choris, non enim habebat alios liberos. Qua viſa ſcidit veſtimenta ſua, & ait, heu me filia mea decepiſti me, & ipſa decepta es, aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.*

II. Hæc tam extraordinarii voti narratio multos Sacræ Scripturæ Interpretes diù exercuit, ac coegit in varias abire ſententias, quas antequam in compendio afferamus, ſupponimus alienam eſſe à vero ſcripturæ ſenſu, & unanimi Patrum interpretatione, aliquorum Rabinorum expoſitionem, qui exiſtimant Jephte Filiam non fuiſſe verè, & propriè ab ipſo ſacrificatam, ſed impropriè tantum, ac metaphoricè, quatenus, ut dicunt, ipſam è civitate ejecit,

ad

ad ſolitudines relegavit, & ſegregavit ab omni humano commercio. Quam juſtè autem hanc opinionem, atque expoſitionem reprehendamus, ex eadem Jephte hiſtoria deprehendi poteſt, nam Filia Jephte utique ad montes ſeceſſit, ſed ut duobus tantum menſibus Virginitatem ſuam plangeret; verbis enim, quæ è ſacro textu ſupracitavimus, ſtatim adiungitur: *cui illa reſpondit, pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, conceſſa tibi ultione, atque victoria de hoſtibus tuis, dixitque ad patrem, hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor, dimitte me, ut duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Cui ille reſpondit, vade, & dimiſit eam duobus menſibus, cumque abiſſet cum ſociis, ac ſodalibus ſuis flebat virginitatem ſuam in montibus. Expletiſque duobus menſibus reverſa eſt ad Patrem ſuum, & fecit ei, ſicut voverat.* Quæ ultima verba non obſcurè declarant verè fuiſſe ſacrificatam, & non metaphoricè, aut impropriè ſupradictam filiam Jephte; enarrant enim illam poſt duos menſes fuiſſe reverſam, atque ideò omnem tollunt occaſionem aſſerendi perſeveraſſe in illa ſolitudine uſque ad ultimum vitæ. Enarrant inſuper, quod pater fecerit ei, ſicut voverat, ſed voverat non improprium, ſed verum ſacrificium, igitur ſi juxtà promiſſionem ſacrificium adimplevit, illud non improprium, ſed verum unicæ filiæ ſacrificium fuiſſe aſſerendum eſt.

III. Quod ſi quæras, cur tam anxiè hæc generoſa puella à patre poſtulaverit, ut aliquod ei ſpatium deplorandæ virginitatis ſuæ concederetur, breviter reſpondemus, tam Judæos, quam Gentiles magnum infortunium ratos, ſi pulcherrimæ, atque electæ virgines, in quibus ſpes optimæ ſucceſſionis reponebatur, innuptæ, atque infæcundæ deceſſiſſent, hinc Catullus in carm. Nupt.

Ut vidua in nudo vitis, quæ naſcitur arvo,
Numquam ſe extollit, numquam mitem educat uvam,

Sed

Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Jam jam contingit ſummum radice flagellum,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci;
At ſi forte eadem eſt ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci,
Sic virgo dum intacta manet, dum inculta ſeneſcit,
Cum par connubium maturo tempore adepta eſt,
Chara viro magis, & minus eſt inviſa parenti.

IV. His prænotatis videndum eſt etiam, quam variæ fuerint circa hoc votum Catholicorum Interpretum ſententiæ. Alii putarunt peccaſſe Jephte in emiſſione voti, non autem in executione: alii in executione, non vero in emiſſione: alii tam in emiſſione, quam in executione: alii denique in nulla harum rerum culpam intervenisse affirmant. Tertia ſententia, quæ expreſſum in Sacris Litteris factum Jephte culpæ inſimulat, ac validius oppugnat, hoc nititur fundamento. Nam ait, vel Jephte indiſtinctè, atque indifferenter, ſi victor reverteretur ab hoſtibus, promiſit ſacrificium animalis, vel promiſit ſacrificium hominis; quidquid horum promiſiſſet, illicitum, & culpabile reddebat votum, nam victimæ humanæ expreſsè prohibentur Deuteron. cap 12. verſ. 31. Ibi enim inter abominationes, à quibus divino præcepto deterrentur filii Iſrael, enumerantur oblationes filiorum, legimus enim. *Omnes enim abominationes, quas averſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis offerentes filios, & filias, & comburentes igni.* Item ſi indiſtinctè voviſſet ſacrificium animalium, etiam ſub hac indifferentia votum non erat abſque culpa emittendum, nam poterat ei occurrere immundum animal, cujus ſacrificium divina pariter lege interdicebatur Numeror. cap 18 denique ſi Deus hoc votum approbaſſet, ejus executionem impediviſſet, quemadmodum laudavit fidem, atque obedientiam Abrahami unigenitum ſuum Iſaac offerentis, Angelico tamen miniſterio coercuit dexteram ferire paratam,

atque

atque innocentiſſimam victimam à morte liberavit, quod cum non legatur interveniſſe in ſacrificio Jephte, quicumque aſſereret Deum illud approbaviſſe, aſſereret quoque Deum humana cæde delectari. Hæ tamen, quæ primo aſpectu videntur validiſſimæ rationes, minimè infirmant ſententiam illorum, qui Jephte filiam ſacrificantem à peccato omninò liberant, quæ quidem ſententia probabilior eſt, & hoc non obſcurè patebit, ſi ad ſacrum textum, in quo voti hiſtoria continetur, fideliter recurramus, & quæ in contrarium adducta ſunt, dilucidemus.

V. Primo igitur votum Jephte non temerè, non imprudenter, ſed divino quodam inſtinctu, atque impulſu emiſſum ipſa capitis 11. Judicum verba ſuadent; enarratur enim verſ. 29. *Factus eſt ergo ſuper Jephte Spiritus Domini*, & ſubſequitur ſtatim, *Votum vovit Domino*, qua expreſſione nobis inſinuatur votum illud emiſſum ex ſpeciali divini ſpiritus inſtinctu proveniſſe. Quam autem Deo acceptum fuerit tale votum, felix eventus indicavit, non enim Deus permiſiſſet victorem ex hoſtibus illum reverti, qui iniquo ſe voto obſtrinxerat, quin & D. Paulus ad Hebræos cap 11. verſ. 32. Jephte inter eos enumerat viros fortiſſimos Dei bellatores, *qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.*

VI. Verba etiam ejuſdem ſacri textus manifeſtè convincunt Jephte non voviſſe indifferens ſacrificium quoad genus, ſed quoad ſpeciem, hoc eſt non promiſiſſe ſacrificium cujuſcumque animalis, ſed cujuſcumque hominis, legimus enim ibidem: *Quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino:* quæ priora verba nequaquam aptari poſſunt animalibus irrationabilibus, ſed de hominibus tantum intelligi debent, quod & pariter ipſæ circumſtantiæ ſuadent, agebatur enim de fortuna civium, de periculo urbium, de ſalute filiorum Iſrael. con-

tra

tra fortiſſimos hoſtes erat Jephte dimicandum, & ab exitu belli quies, & libertas omnium dependebat; quodnam autem fuiſſet votum illius Ducis, cui totius belli ſumma committebatur, ſi ad obtinendam victoriam à fortiſſimo exercituum Deo vulgare quoddam, & commune ſacrificium aut agni, aut bovis promiſiſſet, ita ne erat ſingulari beneficio reſpondendum? rem magnam ſperabant duces, optabat univerſus populus, credendum igitur eſt, quod ad illam facilius obtinendam ſingulare, & extraordinarium fuerit promiſſum ſacrificium, ſingulare autem non eſſet, ſi extitiſſet tantummodo ſacrificium cujuſcumque animalis.

VII. Neque ex iſtius ſingularis ſacrificii acceptatione uni poteſt Deo crudelitas imputari, qui enim toties humanas victimas prohibuit, hominesque imperio ſuo à ſanguine, ac cæde deterruit, cur non potuit, cum ſit Dominus vitæ, ac necis, in tantorum ſæculorum decurſu ſemel humanum ſacrificium inſpirare, & acceptare ob fines nobis occultos, ſuaviſſimæ, atque altiſſimæ providentiæ ſuæ, qui ſemel juſſit humanum ſacrificium fieri, qui Abrahami paratum animum ad occidendum filium toties per ora Prophetarum commendavit, prohibuit tamen executionem; cur non potuit Jephte humanum ſacrificium inſpirare, & ſemel ejuſdem etiam executionem acceptare, ut quemadmodum ille gloriam ob fidem promeruit, ita hic laudem ob executionem conſequeretur.

DISSERTATIO XVII.

DE VOTIS LEGIS EVANGELICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De perpetua B. Mariæ Virginitate.

1. PRoponitur Iſaiæ cap. 7 ver 14. contra Judæos, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Nazaræos, Helceſæos. 2. Confutantur Judæi aſſerentes hac voce עַלְמָה *Halma non ſignificari Virginem, & ponitur vera ejuſdem vocis derivatio. 3. Virginem dici abſconditam conſuetudine veterum propugnatur. 4. Ex eodem vaticinio Iſaiæ deducitur de integra Virgine ſermonem haberi. 5. Refelluntur Judæi extorquentes vaticinium ad Ezechiam filium Achaz, & ex ipſa Scriptura demonſtratur quantum illi errent. 6. Figuræ veteris Teſtamenti admirabilem partum indicantes. 7. Gentiles ſuis fabulis convincuntur. 8 Occurritur difficultati, quæ fieri ſolet ex verbis Apoſtoli ad Galat. cap. 4.*

QUænam fuerint particularia Legis Evangelicæ vota, explicare non eſt animus. Sufficiet nobis generali quadam methodo de illis pertractare, & breviſſimè indicare illa, quæ circa vota ab Eccleſia dilectiſſima Chriſti Sponſa definita, ac declarata ſunt. Hoc tamen antequam fiat, non ſupervacaneum eſſe arbitror, ſi de voto V. Mariæ aliquid dicamus, hoc enim unum tamquam immaculati can-

do-

doris exemplar omnia alia particularia vota præcedit, & eximia ſua majeſtate coronat.

I. At quia tantæ rei decus expoſtulat, ut in illius explicatione rectus ſervetur ordo, ideò antequam declaretur, quale fuerit votum à V. Maria emiſſum, prius ejus perpetua, ac conſtans Virginitas ante partum, in partu, & poſt partum propugnanda eſt, contra impios Judæos, atque eorum aſſeclas Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Nazaræos, Helceſæos, & Heluidium, quorum audaciam ut infirmemus, ad Sacras Scripturas, tamquam ad tutiſſimum, ac munitiſſimum præſidium nobis confugiendum eſt. Inter cætera autem teſtimonia, quibus noſtra hæc Catholica veritas confirmetur, clarum eſt illud Iſaiæ cap. 7. verſ. 14 ubi Virgo nullo virili commercio cœleſti prole fæcundanda, ac naſciturus generis humani Redemptor prænunciatur; legimus enim; *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

II. Hebræi cum impletum eſſe in Chriſto hoc vaticinium negent, ad varios, impioſque ſenſus illud extorquent, & dicunt in primis vocabulo virginis hic expreſſo, quod apud ipſos eſt עַלְמָה *Halma*, non ſignificari abſolutè *virginem*, ſed *puellam* quamcumque, ſive integram, ſive corruptam, ajunt præterea, quod etiam ſi concedatur hoc vocabulo עַלְמָה *Halma* virginem ſignificari, non inde notari Virginem, quæ integritatem in conceptu, & partu retinuerit, ſed quæ aliarum more puellarum conceperit, & enixa ſit. In hunc pariter errorem miſerrimè prolapſi ſunt illi Heretici, quos paulo ante recenſuimus, & quos, ut facile oppugnare poſſimus, notare in primis debemus cum Divo Hieronymo hunc Iſaiæ locum exponente, quod עַלְמָה *Halma* non ſolum puella, vel virgo, ſed etiam virgo dicitur *abſcondita*, & *ſecreta*, quæ nullis virorum patuerit aſ-

T 2 pe-

pectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita, & ſervata fuerit, quod adeo verum eſt, ut S. Doctor loco ſuprà laudato, conſtantiſſimè pronunciaverit, ad nullam aliam ſignificationem poſſe hoc vocabulum extendi; inquit enim: *Oſtendant igitur Judæi in ſcripturis alicubi poſitum Halma ubi adoleſcentulam tantum, & non virginem ſonet, & concedimus eis illud, quod in Iſaia apud nos dicitur, ecce virgo concipiet, & pariet, non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam.* Sacrarum Scripturarum teſtimonio hic nititur Sanctus Doctor adducens cap. 24. Geneſ., ubi Rebeccæ, & Exodi cap. 2. ubi Mariæ Moyſis ſorori hoc nomen עַלְמָה *Halma* tribuitur, & ambæ virgines erant. Inſuper non abſque myſterio Propheta uſus eſt hac voce עַלְמָה *Halma*, voluit enim indicare virginem hanc, cujus partus admirabilis prænunciabatur, & abſconditam, & perpetuò virginem extituram; nam עַלְמָה *Halma*, vel oritur à verbo עָלַם *Halam*, quod ſignificat occultare, vel à voce עוֹלָם *Holam*, quæ ſignificat æternum.

III. Quod verò virgo abſcondita dicatur, nulli mirum videri debet, qui tam ſacram, quam humanam hiſtoriam à primo limine ſalutaverit. Nam magna diligentia apud veteres virgines cuſtodiebantur, & ſervabantur ab omni prorſus hominum commercio, & congreſſu remotæ. In libro Eſter cap. 2. verſ. 11. & 15. mentio habetur illius domus, in qua electæ virgines aſſervabantur apud Perſas, adhibitis earum cuſtodiæ Eunuchis. Virgines pariter apud Judæos fuiſſe ſegregatas à commercio hominum, & in particulari quodam loco enutritas Machabæorum narrat hiſtoria lib. 2. cap. 3. verſ. 19. Plutarchus conclavis virginum mentionem facit, cum ſummis laudibus effert Alexandrum Macedonem, eo quod Darii uxorem, ac filias, ita ab hoſtium petulantia tutas ſervaverit, ac ſi non in hoſtium caſtris, ſed in occul-

to

to intra ſacros Parthenonas, hoc eſt conclavia virginum fuiſſent. Hinc Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 3. narrat, quod Horatius unus è tergeminis fratribus cum victor Romam rediret, & plaudentem ſibi ſororem Curiatio deſponſam obviam haberet, miratus eſt virginem relicta matre turbæ ſeſe commiſiſſe. Tertullianus de velandis virginibus refert, quod apud Romanos virgo è matris gremio rapi ſimulabatur ad nuptias, quaſi ad id tempus in gremio matris abdita fuiſſet. Phurnutus de natura Deorum novas nuptas cenſet nymphas, eo quod tum primum prodeant, cum antea latuiſſent. Tertullianus loco jam cit. illius conſuetudinis meminit, in qua etiam apud barbaras gentes in Eccleſiis degebant virgines à virorum aſpectu ſemotæ, & hunc eumdem ritum diu in Africa viguiſſe teſtatur. Ambroſius lib. 2. in Lucam eam laudare videtur conſuetudinem, qua virgines propriis domibus clauſæ detinebantur, quare ait. *Diſcite virgines non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones.* Vulgare eſt etiam apud Poetas, ut virgo abſcondita dicatur, hinc Horatius virginem abditam appellat Danaen lib. 3. Ode 16. & Virg. 6. Æneid. abditam appellat Sibillam:

natique, patriſque
Alma precor miſerere, potes namque omnia, nec te,
Nequidquam lucis Hecate præfecit Avernis:

Non alio fortaſſe ductus fundamento, niſi quia in antro delitueſceret, quare etiam ſic cecinit.

At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibillæ
Antrum immane petit.

Catullus in carm. nuptiali virginem comparat flori in ſepto horto naſcenti.

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecudi, nullo contuſus aratro,

 Quem

Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.
Idem ſi tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, dum chara ſuis eſt,
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.

Sed ut quid poetarum teſtimonia perquirimus, ſi Canticor. 4. verſ. 12. legimus *Hortus concluſus ſoror mea Sponſa, Hortus concluſus, fons ſignatus.*

4. At quamvis concederemus Judæis hanc vocem עַלְמָה *Halma* ancipitem eſſe, & quamcumque puellam ſignificare, concedemus fortaſſe in hoc Iſaiæ vaticinio de integra virgine ſermonem non haberi? minimè profectò, cum ex ipſis Prophetiæ verbis ſatis deducatur, non aliam, quam integram virginem denotari, ibi enim legimus. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens, pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſive in excelſum ſuprà, & dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum.* Achaz cum Idola veneraretur, ſimulata pietate renuit ſignum, quo divina potentia oſtenderetur, quare ei à Domino dictum eſt, *audite ergo Domus David: numquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo?* Hoc eſt, non ſatis vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, videlicet Prophetis, quos uſque ad mortem perſequimini, quos deridetis, quin & divinam potentiam contemnatis, ſigna, & prodigia recuſando, quibus illa oſtendatur, & omnium animis ſeſe inſinuet. Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum, *ecce virgo concipiet, & pariet filium*

Ex his igitur Prophetiæ verbis ſic conficere poſſumus argumentum. Illud ſignum, quod petere debebat Achaz, erat ſignum aliquod magnum, & extraordinarium, dicitur enim: *in profundum inferni*, Rabbi Salomon apud Lira-

num

num nomine *Profundi* intelligit *foſſam*, ſive *Sepulchrum*, quod idem eſt, ac ſi Dominus diceret, pete, ut mortuum reſuſcitem; ſive *in Excelſum* nomine *excelſi ſigni*, denotatur pariter aliquod ſignum naturæ vires ſuperans, ut fuit illud Joſue cap. 10. Cum ergo Achaz renuiſſet ſignum petere, promiſit Deus ſe illi ſignum daturum, *ecce virgo concipiet*, quod quidem ſignum non ordinarium, ſed magnum eſſe debebat, quomodo autem magnum, & extraordinarium ſignum eſſet, ſi virgo hæc more cæterarum puellarum delibata virginitate conciperet, & pareret? Quomodo hoc ſigno divina oſtenderetur potentia? Deinde id, quod Iſaias appellat ſignum, Jeremias rem novam prænunciat, inquit enim cap 31. *Novum creavit Dominus ſuper terram, fæmina circumdabit virum*. Quænam autem res nova eſt, ut virgo pariat more cæterarum? Ergo ſi novum, ſi ſignum hoc divinæ potentiæ fuit, non quamcumque puellam virginis nomine debemus intelligere, ſed integram, abſconditam, & obſignatam, & hanc nullam aliam, quam Mariam ſemper Virginem.

V. Judæi, ut hujus vaticinii veritatem effugiant, ajunt illud debere intelligi de Ezechia filio Achaz, & Mariæ non convenire impiè aſſerunt, & admirabilem ejus Virginitatem, ac ſanctiſſimam integritatem variis blaſphemiis aggrediuntur. Verum facile illi convinci poterunt. Nam ut in lib. 4. Reg cap. 16 legimus. *Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnavit*. Cap. verò 18. ejuſdem libri notatur, quod Ezechias *viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet, & viginti novem annis regnavit in Jeruſalem*. Hoc præſuppoſito dico. Achaz regnavit ſedecim annis, Ezechias erat vigintiquinque annorum, cum ſuſcepit regimen, igitur quando Achaz electus eſt rex, jam erat natus idem Ezechias. ſed Prophetia loquitur de filio naſcituro, non verò de filio nato, ergo non debet de Ezechia interpretari. Inſuper puriſſimam

fuiſſe Dei Matrem, ac Virginem fateri debent vel inviti. Si enim pura non extitiſſet Virgo, quis credat eam inter Legiſperitos, ſacerdotes, ac ſcribas, filii ſui hoſtes acerrimos tutam fuiſſe? ſi Jeſus non eſſet puriſſima Matre natus quis crederet eum palam Domini Templum, ac Synagogam fuiſſe ingreſſum, & ibi ad docendum admiſſum contra Moſaicæ Legis præceptum? Quis credet Nazaræos municipes Jeſu hoc illi non exprobraſſe? errant ergo Judæi, ac vehementer errant, dum ad blaſphemias confugiunt, ut hujus vaticinii veritatem impletam eſſe negent in Maria.

VI. Admirabilis iſtius partus novitas multis in veteri Teſtamento figuris indicata, & prænunciata eſt. Huc pertinet illa Sanctuarii porta, quam Ezechiel clauſam vidit, & de qua cap. 44. ſic loquitur. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam*: ad hunc etiam admirabilem partum Sancti Doctores pertinere intellexerunt lapidem de monte ſine manibus abſciſſam, *qui factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram ut Danielis cap. 2. expreſſum eſt*, Item Virgam Aaron, quæ una inter virgas principum Iſraelis germinavit, ut Numeror. cap. 7 legimus. Rubum denique, quem Moyſes vidit ardere, & non comburi, ut Exodi cap. 3. ſcriptum reperitur.

VII. Quod ſi Gentilibus, & cæteris hoſtibus hujus ineffabilis miſterii fabuloſum, atque incredibile videtur, Virginem concipere, ac parere Virginitate retenta, nos eis potius ſuas fabulas exprobramus, appellamus ad ipſorum conſcientiam, & eam accuſamus fidem, quam vaniſſimis poetarum figmentis adhibuerunt. Quanti ſunt, qui Ariſtodemam ex matris congreſſu cum Dracone natum eſſe ferant, qui ex Apolline, & Perictione Virgine natum Plutonem, Romulum, & Remum ex Ilia virgine, & Marte. Scribit Hieronymus adverſus Jovinianum lib. 1. cap. 26 nonnullos affirmaſſe Buddam Gymnoſophiſtarum Principem è latere

tere virginis prodiiſſe. Alterum Buddam Therebinthum prius dictum commemorat Socrates lib. 1. cap. 22. qui uſurpato prioris Buddæ nomine ſeſe virginis filium jactabat. Averroes Phiſicor. lib. 8. & Metaphiſic. lib. 2. tantam eſſe Equinoctialis ſoli fertilitatem exiſtimat, ut homines ibidem ſine patre, ac matre gigni poſſint. Sunt & apud Turcas pueri, quos Apatoras, hoc eſt è virginibus tantum genitos vulgus ſibi perſuadeat. Quod ſi hæc ab omni prorſus veritate remota homines aliquando crediderunt, cur non credent Deum hominem factum è Virgine naſci potuiſſe, cum hoc divinæ potentiæ non repugnet? Quare optimè Auguſtinus epiſt. 137. aliàs 3. ad Voluſianum ait: *Ipſa virtus per inviolatæ Matris virginea viſcera membra Infantis eduxit, quæ poſtea per clauſa hoſtia membra Iuvenis introduxit. Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile, ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.*

VIII. Neque hic aliquis nobis obiiciat verba Apoſtoli ad Galatas cap. 4. vbi inquit: *Miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere*, neque afferat hanc *Mulieris* vocem nequaquam Virgini convenire, nos enim cum Tertulliano cap. 4. de velandis virginibus breviter reſpondemus, vocem hanc fæmineum ſexum generaliter denotare, eſſeque ancipitem, & poſſe tam nuptæ, quam viduæ, quam virgini convenire. Nonne Eva antequam Adamo traderetur, cum virgo eſſet, *mulier* eſt appellata? Hoc legimus Geneſ. cap. 2. in quo habetur: *Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam;* ſi ergo hoc Mulieris vocabulum Virginem etiam ſignificat, cur quando Apoſtolus loquitur de humana Chriſti nativitate, nomine *Mulieris* virginem intelligere non debemus?

CAPUT SECUNDUM

Decuit Deum è Virgine naſci.

1. Conveniens fuit, ut Verbum carnem noſtram aſſumens è Virgine naſceretur, ut aliquo nobis argumento divinam, humanamque naturam, quibus conſtabat, indicaret 2. Multa exempla nobis præbet natura Virginitatis cum fœcunditate conjunctæ. 3. Verbum cum ſit ipſa integritas atque incorruptibilitas, integritatem non minuit, ſed auget. 4. Altera validiſſima ratio ex Fulgentio. 5. Temporalis Chriſti nativitas debuit æternam indicare. 6. Conveniens fuit, ut Chriſtus è Virgine naſceretur, ut omnis humanæ generationis diverſitas compleretur. 7. Conveniens fuit Verbum de Virgine naſci, ut novum formaret Adam ex veteri, Evam transfunderet in Mariam. 8 In hac admirabili nativitate divina Sapientia elucet, fulget Bonitas, ſplendet Omnipotentia. 9. Helvidius, Iovinianus, Bonoſus, quibus Conciliis damnati. 10. Probatur brevi ratiocinio Mariam etiam poſt partum Virginem fuiſſe. 11 Validum ejuſdem Virginitatis argumentum ex juſtitia Joſephi.

1. QUantum fuerit decens, quam conſentaneum, ut Deus Homo factus è Virgine naſceretur, nihil eſt, quod nobis frequentius SS. Patres inſinuent, & quod nobis Catholica pietas ſuadeat. Nam præter altiſſimum divinæ Voluntatis conſilium, præter ſuaviſſimam illam diſpoſitionem, qua Deum in operibus ſuis mirabilem prædicamus, & nihil ab eo factum cognoſcimus, quod divinam non deceat majeſtatem; multa ſunt, quæ nobis pro-

proponuntur argumenta, ut prodigioſam hanc Nativitatem Chriſto dignã aſſeramus: nam ſi æternus Opifes rerum, eum è cœleſti faſtigio nos liberaturus deſcendit, naturam noſtram aſſumpſit, ſuam tamen non dimiſit, maximè conveniens fuit, ut ſicut inter homines Homo apparuit, ita aliquo nobis argumento divinam, qua conſtabat, Naturam indicaret. Atque ut altius tanti ſacramenti fides humanis mentibus infigeretur, Matrem elegit Virginem, ut naſcendo agnoſceretur Homo, naſcendo è Virgine prædicaretur Deus. Quare inquit Ambroſius de Incarnat. cap 6. *Secundum naturam ſe obtulit noſtram, ut ultra noſtram operaretur naturam, de noſtro ſacrificium, de ſua præmium eſt. multaque in eodem, & ſecundum naturam invenies, & ultra naturam. Secundum conditionem etenim corporis in utero fuit, natus eſt, lactatus eſt, in præſepio eſt collocatus Sed ſupra conditionem Virgo concepit, Virga generavit, ut crederes, quia Deus erat, qui novabat naturam, & homo erat, qui ſecundum naturam naſcebatur ex homine.* Ab Ambroſio non diſſentit Athanaſius de Incarnat. pag. 5. ubi inquit. *Idea quod primum ad nos accederet ex Virgine, ſibi ipſi corpus formavit, ut nobis argumentum non tenue ſuæ Divinitatis exhiberet eum, qui hoc ſibi corpus formaverat, aliorum quoque conditorem, & formatarem eſſe. Quis enim videns ſine viro ex Virgine ſola corpus prodire, non ſecum cogitet eum, qui ſub tali corpore appareat eſſe quoque reliquorum corporum, & Canditorem, & Dominum?*

Videant jam noſtræ fidei adverſarii, quantum divinæ Omnipotentiæ detrahant, eum impoſſibile arbitrentur naſci ex Virgine Deum Hominem. Videant, quantum ignorent divinæ Sapientiæ leges Deus qui admirabilis eſt, non niſi mirabiliter naſci debebat. Quod nobis arduum, quod nobis difficile, quod impoſſibile videtur, familiare eſt divinæ Omnipotentiæ; hæc nullo ſui detrimento, nullo labore mira operatur, ſemper eadem, novis prodigiis ſemper intenta. Quare Auguſtinus de Civit. Dei lib. 10. cap 29.

in-

inquit: *An forte vos offendit, inuſitatus corporis partus ex Virgine? neque hoc debet offendere, imò potius ad pietatem ſuſcipiendam debet adducere, quod mirabilis mirabiliter natus eſt.* D. vero Bernardus hom. 2. ſuper Miſſus eſt, ſic ait: *Porro Deum hujuſmodi decebat Nativitas, qua nonniſi de Virgine naſceretur: talis congruebat & Virgini partus, ut non pareret niſi Deum.*

II. Hinc eſt, quod cum adverſus Virginis partum exclamant Adverſarii, ſuam ſemper cæcitatem oſtendunt, quam enim latè patet natura rerum, fœcunditas ubique Virginitati conjugata nobis occurrit, ubi enim rejuveneſcente natura, obſtetricante vere gignunt omnia, ac parturiuntur, ſumma ubique fœcunditas, & perſpicua totius naturæ virginitas elucet. Inſeminavit divinus Opifex rerum elementa omnia, quæ inſitis ſibi, nec aliundè quæſitis ſeminibus, hoc eſt caſtiſſimo partu fœcundantur. Cum ergo Deus ipſe totam rerum naturam annis ſingulis recurrentibus illibato conceptu, ac virginitate donet, quid mirum, ſi, ſemel ex hominum gente Virginem eximiam illibato pudore, incontaminata prole donaverit? Quare Eucherius tom. 2. bibliothecæ Patrum pag. 778. inquit, *Præbet nobis aliqua ſimilia de ſemetipſo ordo pariter, ac ſtatus mundi, ut quod de fœcunditate Virginis in fide credimus, ex aliquo etiam in rerum ſpecie videre poſſimus. Dic mihi, quis intra naturam mortui lapidis materiam vivi ignis abſcondit, aut unde frigida vena algentis metalli flammarum ſemina conceperunt? . . . . quis gravidum fœtibus maritat annum? quis caſtum arbori ſubjiciet fructum, videas partum, ubi non potes invenire conceptum & inter hæc aliquanti incorruptibilem de corruptione debuiſſe naſci pronunciant. Ecce quantæ res corruptibiles ſine corruptione naſcuntur. Quis intra oculi pupillam, quaſi intra virgineam matrem, vim lucis incluſit? quantas de foris ſpecies intra ſe concipiunt lumina, & tamen inviolata videbuntur, niſi affectu peccante violentur. Remove vitium, incorrupta erit ali-*

quo-

quoties & fecunditas: admove vitium, nec ipſa erit caſta virginitas. Ea ergo virtute protulit hominem Deus ex inviolato Virginis ſinu, qua eum ſi velit ſine macula oculi, naſci juſſiſſet ex oculo.

III. Verbum ex immaculato Virginis ſinu prodiens, noſtramque naturam induens ſuam delere non potuit, adeoque decuit caſtiſſimam Matrem etiam poſt partum integram, atque incorruptam remanere. Nam cum Verbum ſit ipſa integritas, atque incorruptibilitas ſempiterna, integritatem non minuit, ſed auget; unde Teodorus Epiſcopus Ancyræ Concilii Epheſini p 3. cap. 10. ait, *Deus hodie ex virgine appaeuit, & Virgo Virginitatis integritate retenta effecta eſt Mater, nam incorruptionis largitor corruptionem non efficit, incorruptionis auctor nihil corrumpit.*

IV. D. verò Fulgentius in ſerm. de laudibus Mariæ aliam, & quidem validiſſimam adducit rationem pro ejus perpetua integritate. Quod videlicet quemadmodum Eva callidiſſimo ſerpenti conſentiens vniverſo hominum generi mortem, ac corruptionem intulit, ita Maria cum cœleſti nuncio fidem adhibuit, feliciſſima nobis ſempiternæ incorruptionis præludia eſt auſpicata. Eva per aures mortem concepit, ac peperit mundo, Maria per aures ipſum vitæ Largitorem concepit, adeoque carne peperit, quem fide conceperat, qui quidem admirabilis conceptus, ac partus integritatem non minuit, ſed auget. *Quoniam*, inquit S. Doctor, *Diabolus per ſerpentem Evæ locutus, per Evæ aures mundo intulit mortem: Deus per Angelum ad Mariam pertulit Verbum, & cunctis ſeculis vitam effudit. Angelus ſermonem ejecit, & Chriſtum Virgo concepit. O conjunctio ſine ſordibus facta, ubi maritus ſermo eſt, & uxor auricula! Hoc ſplendore concipitur Dei Filius, hac munditia generatur.*

V. Hoc ſplendore concipitur Dei Filius, qui Chriſtus eſt, & cum ejuſdem duplex ſit nativitas, una in Deitate, in Humanitate altera, una æterna, temporalis altera, ne-

ceſſe fuit, ut etiam hæc temporalis nativitas æternam nobis exprimeret, atque indicaret. An non ſine patre integrè, atque incorruptè naſci debebat, qui ab æterno Patre ſine matre ante omnia tempora virginaliter naſcebatur? Divinitas ipſa, integritas, atque incorruptio eſt. Dicant jam Adverſarii, non ſolet illa parere, quæ Virgo eſt, ſuo errore eos convincimus, nec Deus, qui ſumma integritas eſt, de quoquam naſci ſolet, niſi Virgo ſit. Præclare Lactantius lib. 4. cap. 13. *Naſci eum voluit tamquam hominem, ut per omnia ſummo Patri ſimilis exiſteret. Ipſe enim Pater Deus, & origo, & principium rerum, quoniam parentibus caret, Apator, atque Amitor à Triſmegiſto veriſſimè nominatur, quod ex nullo ſit procreatus. Idcirco etiam Filium bis naſci oportuit, ut ipſe fieret Apator, atque Amitor. In prima enim nativitate ſpirituali Amitor fuit, quia ſine officio matris à ſolo Deo Patre progeneratus eſt; in ſecunda verò carnali Apator fuit, quoniam ſine patris officio, virginali utero procreatus eſt.* Eadem repetit S Ambroſius ſerm. 16. *Videamus*, inquit, *hic ſol noſter novus, quo fonte naſcatur: ſicut eſt verum Deo oritur auctore. Divinitatis eſt Ergo Filius, Divinitatis, inquam, incorruptæ, integræ, illibatæ. Intelligo planè myſterium. Ideo enim ſecunda Nativitas per immaculatam Mariam, quia prior per Divinitatem conſtiterat illibata: ut cui prior nativitas glorioſa extitit, ejus ſecunda contumelioſa non fieret: hoc eſt, ut quemadmodum Virgo Divinitas ediderat, ita eum & Virgo Maria generaret.*

VI. Rurſus conveniens fuit, ut Chriſtus ex Virgine naſceretur, ut hoc modo omnis humanæ generationis diverſitas completetur, quare Auguſtinus ſerm. 16. de temp. ait. *Primus homo, quo cadente omnes cecidimus, cujus ruina eſt mortalitas noſtra, non eſt natus, ſed factus patre nullo, nulla matre, ſed Deo operante: hæc hominis prima conditia Adam de terra. Secunda conditio eſt hominis, qua creatur fæmina de latere viri. Tertia conditio eſt hominis, qua*

natus

natus eſt homo ex viro, & fœmina. Quarta conditio eſt Dei & hominis, qua natus eſt Chriſtus ſine viro de fœmina. In his quatuor conditionibus una ſola nobis uſitata eſt, cætera non ſunt in oculis carnis, ſed in fide cordis. Jam ergo erat una ſine viro, & fœmina. jam erat altera de viro ſine fœmina; jam erat tertia de viro, & fœmina: quarta reſtabat ſine viro de fœmina, ſed iſta quarta liberavit tres. Exultent ergo Virgines, Virgo peperit Chriſtum; idem aſſerit D. Thomas 3. p. quæſt. 31. art. 4.

VII. Denique conveniens fuit Verbum de Virgine naſci, *ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, Evam transfunderet in Mariam. Et quidem ſufficere poterat Chriſtus, ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt. Sed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum, congruum magis, ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet, fidelis nunc, & potens mediator Dei, & hominum Homo Chriſtus Jeſus, ſed divinam in eo reverentur homines majeſtatem. Abſorpta videtur in Deitatem Humanitas, non quod mutata ſit ſubſtantia, ſed affectio Deificata. Jam itaque nec ipſa mulier benedicta in mulieribus videbitur otioſa. Invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione, opus eſt enim mediatore ad mediatorem iſtum, nec alter nobis utilior, quam Maria.* Verba ſunt D. Bernardi ſerm. 262.

VIII. Ergo non alio, quam virgineo Deum naſci decebat partu, in hac enim mirabili Nativitate divina Sapientia elucet, fulget Bonitas, ſplendet Omnipotentia. Concludamus igitur cum Chryſologo ſermon. 148. *Virgo concepit, Virgo peperit, non te conceptus turbet, partus non te confundat auditus, quando virginitas quidquid eſt humani pudoris excuſat. Aut quæ tibi verecundiæ læſio, ubi init Deitas cum amica ſibi ſemper integritate conſortium: ubi eſt interpres Angelus, fides pronuba, deſponſatio caſtitas, donatio virtus, judex conſcientia, cauſa*

Deus,

Deus, conceptus integritas, virginitas partus, Virgo Mater.

IX. Merito igitur Romana Synodus à Siricio ſummo Pontifice congregata, Mediolanenſis, cui interfuit Ambroſius cum aliis Epiſcopis, Synodus denique Capuana Heluidium, Jovinianum, Bonoſum præcipua Antidocomarianitanæ ſectæ capita, eo quod Mariam Chriſti matrem, poſt partum Virginem non fuiſſe impiè affirmarent, & hunc errorem multis quidem argumentis Hieronymus contra Heluidium, Epiphanius contra hæres 78. Ambroſius de inſtitut. Virginis cap 5. 6. 7. & 8. refellunt. Nos verò, ut hos virginitatis hoſtes oppugnemus, & gladium ipſis de manibus extorqueamus, neceſſe eſt, ut tantorum Patrum veſtigia ſequamur.

X. Interrogemus adverſarios noſtros, quo ducti fundamento Mariam etiam poſt partum Virginem fuiſſe negent, & cum nullo fundamento nitantur, cum blaſphemiis, non rationibus probent, quod affirmant, nos ab eis expoſcimus, quid majus ſit, Virginem concipere, & parere virginitate retenta, aut Virginem poſt partum manere? negare non poſſunt, quod Virgo peperit, niſi negent Evangelium, cui ſe credere profitentur. Cur ergo negant, quod poſt partum Virgo remanſit?

XI. Deinde Joſeph erat vir juſtus, ſic eum nominant Evangeliſtæ. Joſeph ab Angelo audivit, quod quidquid in Maria natum erat, de Spiritu Sancto erat. Si ergo ante partum integerrimæ Virginitatis cuſtos fuit Joſeph, an non etiam poſt partum? An vir ille juſtus auderet integerrimæ Virgini copulari, quam ſciebat Spiritus Sancti virtute concepiſſe, & peperiſſe eum, quem Cœli capere non poſſunt? *Si nunc etiam in nomen ipſius Virgines degere contendunt, & caſtitatem ſervare, ac continere. Quomodo non erat potius fidelior Joſeph, & ipſa Maria, quæ omnia conſervabat in corde ſuo, velut ſcriptum eſt?* Ita Epiphanius contra hæres. 78. *Quis unquam, aut, quo ſæculo auſus eſt proferre nomen*

ſan-

Sanctæ Mariæ, & interrogatus non ſtatim intulit Virginis vocem? Ex ipſis enim nominibus epithetis etiam virtutis ſigna elucent. Dignitates enim appellationum acceperunt juſti, unicuique decenter, & prout congruum fuit. Et Abraham quidem impoſitum eſt epitheton amicus Dei, & non diſſolvetur; Jacob verò ut Iſrael vocetur, & non alterabitur; & Apoſtolis Boanerges, hoc eſt filii tonitrui, & non relinquetur; & Sanctæ Mariæ vox Virgo, & non mutabitur. Verba ſunt ejuſdem Epiphanii loco cit.

CAPUT TERTIUM.

Reſpondetur Argumentis Heluidii.

1. *Occurritur argumento deducto ex verbis Matth. cap. 1. nempe:* antequam convenirent, &c. 2. *Explicantur illa verba*, & non cognoſcebat eam, donec peperit, &c. *& indicatur quam vim habeat in ſacris litteris hæc vox* donec. 3. *Reſpondetur Argumento Heluidii deſumpto ex voce* primogenitum, *& oſtenditur illam plerumque pro unigenito uſurpari.* 4. *Adducuntur verba Matth. 12. & 13., Marci 6, Joannis 2. & 7. & 19. ex quibus Heluidius arguebat Chriſtum fratres carnales habuiſſe.* 5. *Breviter proponitur antiqua controverſia inter Patres, an Joſeph ſemper fuerit Virgo.* 6 *Quinam exiſtimaverint Joſeph habuiſſe filios ex alia uxore ſuſceptos, antequam Mariæ deſponſaretur.* 7. *Quo fundamento hoc aſſerverint* 8. *Eſt probabilior ſententia aſſerens Joſephum ſemper extitiſſe Virginem.* 9. *Quamvis Evangeliſtæ accuratè deſcripſerint Chriſti cognationem, non inde deducitur illos, qui Fratres Domini appellantur eſſe naturales fratres* 10 *Quomodo Jacobus, & Joſeph, ſive Joſet fuerint fratres Domini.*

V 11. *Ex*

11. *Ex perpetua Mariæ Virginitate optimè inferri poteſt Votum Virginitatis ab ea emiſſum.*

HEluidius quatuor argumentis perpetuam Matris Dei Virginitatem oppugnabat, unde neceſſe eſt, ut ſingula refellamus, ut magis hæc Catholica veritas illuceſcat.

I. Primò igitur nobis opponuntur verba Matth. cap. 1. *Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*. Ex quibus deducebat Heluidius Mariam, & Joſeph poſtea conveniſſe. Sed huic obiectioni facilè reſponder Hieronymus in ſuis commentariis in Matth. caput 1. inquit enim, quod ex illis verbis antequam convenirent, non ſequitur, quod poſtea convenerint, *nam ſcriptura, quid factum non ſit, oſtendit*. Ut clarè intelligatur tanti Doctoris reſponſio, fiat hæc propoſitio: multi peccatores antequam pœnitentiam agerent, morte præventi ſunt. An affirmare poſſumus ex vi horum verborum, quod poſteà pœnitentiam egerint? Videmus ergo illam particulam *antequam* manifeſtè indicare non quid illi fecerint, ſed quid illi non fecerint.

II. Alterum argumentum deſumebat Heluidius ex illis verbis: *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*. ergo, inferebat, Joſeph cognovit eam, poſtquam peperit. Sed SS. Patres, inter quos Ambroſius, & Hieronymus reſpondent hanc vocem *donec* aliquando etiam continuationem ſignificare; ſcriptum eſt enim Iſaiæ cap 46. in verſione ſeptuaginta: *Ego ſum, & donec ſeneſcatis, Ego ſum*. Quæro jam ab Adverſariis, an poſtquam illi ſenuerunt, deſierit eſſe Deus; ſic pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. An Dominus victis, ac ſubactis hoſtibus ſuis debebat à jucundiſſimo excelſæ Dex-

teræ

terræ amplexu ſeparari, atque divino ſolio detrudi? Item Geneſ cap. 8. De Corvo à Noe miſſo legitur, quod non revertebatur, *donec ſiccarentur aquæ*, & tamen ſiccatis aquis non eſt reverſus. Geneſ pariter cap. 28. in Hebraica, & Chaldaica Paraph dixit Dominus Jacob, *quia te non derelinquam, donec faciam, quæ locutus ſum tibi*. Certiſſimum eſt autem illam particulam *donec* non indicare ceſſationem divini auxilii, ſed potius perpetuitatem, ſic Job capite 27. legimus, *donec deficiam, non recedam ab innocentia mea*. Quis autem affirmare audeat, quod deficiens Job defecerit à ſua innocentia? Conſtat ergo particulam *donec* in Sacris Litteris indicare plerunique continuationem illius actus, qui exprimitur, adeoque ex his verbis *non cognoſcebat, donec peperit*, non benè inferri, ergo, poſtquam peperit, cognovit.

III. Tertium argumentum conficiebat Heluidius ex illa voce *primogenitum*, ajebat enim, ſi Maria peperit Filium ſuum primogenitum, alios filios poſtea habuit. Sed huic difficultati reſpondet Hieronymus primogenitum non ſemper illum ſignificare, poſt quem alius genitus eſt, ſed eum quandoque indicare, ante quem nullus eſt genitus. Clariſſima iſtius rei teſtimonia habemus in Sacris Litteris Numer. 18. verſ. 15 & 16. & Exodi cap. 12. verſ. 29 quibus ſic utitur S. Doctor, ut Heluidii vanas, atque impias expoſitiones refellat: *Omne, inquit Dominus ad Aaron, quod aperit vulvam ab omni carne, quæ offertur Domino ab homine uſque ad pecus, tibi erunt, tantummodo preciis redimant primogenita hominum, & primogenita pecudum immundorum. Definivit ſermo Dei, quid ſit primogenitum, omne, inquit, quod aperit vulvam, alioquin ſi non eſt primogenitus, niſi is tantum, quem ſequuntur fratres, tamdiu Sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiù & alia fuerint procreata, ne fortè, partu poſtea non ſequente, unigenitus ſit, & non primogenitus. Redemptio, inquit, ejus erit ab uno menſe æſtima-*

tis quinque Siclorum: Siclus ſecundum Siclum Sanctuarii viginti oboli ſunt. Tantummodò primogenita vitulorum, & primogenita ovium, & primogenita caprarum non redimes, quia ſancta ſunt. Cogit me ſermo Dei, ut omne maſculinum, quod aperit vulvam, ſi de mundis animalibus ſit, Deo voveam, ſi de immundis, redimam dans pretium Sacerdoti. Poſſum reſpondere, ac dicere, quid me unius menſis ſtringis articulo? Quid primogenitum vocas, quem an fratres ſequantur, ignoro, expecta, donec naſcatur ſecundus. Nihil debeo ſacerdoti, niſi & ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus eſt, incipiat eſſe primogenitus. Nonne mihi ipſi apices loquentur, & me ſtultitiæ redarguent eum eſſe dictum primogenitum, qui aperiat vulvam, non qui habeat & fratres? Citat paulo infra Hieronymus cap. 12. Exodi, in quo pariter nomine primogenitorum unigeniti debent intelligi, atque ex eo ſic argumentatur. *Moyſes ſcribit in Exodo, factum eſt autem circa mediam noctem, & Dominus percuſſit omne primogenitum in terra Egypti à primogenito Pharaonis, qui ſedebat ſuper thronum ejus, uſque ad primogenitum captivæ, quæ eſt ad lacum, & omne primogenitum pecoris. Reſponde mihi, qui tunc ab exterminatore fuerant interempti, primogeniti fuerunt, an & unigeniti, ſi primogeniti illi vocantur, qui fratres habent; ergo ab interpretatione unigeniti liberati ſunt, ſi autem & unigeniti cæſi ſunt, contra ſententiam factum eſt, ut inter primogenitos & unigeniti morerentur: aut unigenitos liberabis à pœna, & ridiculus eris, aut ſi confiteberis interfectos, ingratis obtinebimus & unigenitos primogenitos appellari.*

IV. Quartum Helvidii argumentum occaſionem habet ex Evangeliſtarum verbis, quibus Chriſti fratres nominantur Matth. 12. & 13., Marci cap. 6., Ioan. 2. & 7. & *19.* unde ille arguit Mariam alios habuiſſe filios.

V. Antequam huic argumento reſpondeamus, placet hic ſummatim attingere gravem olim inter Patres controverſiam, utrum Ioſeph cœlibem vitam duxerit uſque ad Ma-

riæ

riæ deſponſationem, & ſic ſemper fuerit Virgo, an verò viduus fuerit? D. Epiphanius hæreſi 78. arbitratur illos, qui fratres Domini nuncupantur, fuiſſe Ioſephi filios ex alia uxore ſuſceptos, inquit enim ibidem: *Habuit hic Joſeph primam ſuam uxorem ex tribu Juda, & peperit hæc ipſi liberos numero ſex, quatuor maſculos, & duas femellas, quemadmodum Evangelium ſecundùm Matthæum, & ſecundùm Marcum declaraverunt.*

VI. Qui huic opinioni adhæſerunt, plures recenſentur; inter quos Hyppolitus Portuenſis, qui apud Nicephorum lib. 2. cap 3. ait Ioſeph ex uxore ſua Salome genuiſſe quatuor maſculos, Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioſeph, & duas fæminas, nempe Eſther, & Thamar. Teſtatur de filiis Ioſeph Origenes in Matthæi cap. 13. Euſebius hiſtor. lib. 2. cap. 1. Gregorius Niſſenus homil. de reſurrect. Chriſti orat 2. Chryſoſtomus homil de annunciat. Virginis. Ex Latinis autem Hilarius in Matth. cap. 1. Ambroſius in Epiſt. ad Galatas cap. 1. in fine.

VII. Quo autem fundamento nitantur hi, qui in hanc ſententiam abjetunt, & quo fonte iſta hauſerint, Origenes loco citato nobis commemorat, inquit enim. *Fratres autem Jeſu putabant nonnulli eſſe ex traditione Hebræorum ſumpta occaſione ex Evangelio, quod titulum habet juxta Petrum, aut ex libro Jacobi.* Apocriphos verò eſſe hos libros teſtatur Hieronymus in Matth. 12. in fine, ubi ait; *Quidam fratres Domini de alia uxore Ioſeph filios ſuſpicantur ſequentes deliramenta Apocriphorum, & à quadam Eſcha muliercula confingentes.* Nos vero Hieronymo adhærere non recuſamus, cum ea, quæ Iacobi nomine, & Petri circumferebantur pſeudo evangelia, à Leucio, ſive Seleucio quodam fuiſſe conficta teſtatur Innocentius epiſt. 3. ad Exuperium. Gelaſ. in Concilio Romano tit. de ſcripturis apocriphis. Baronius in apparatu ad annales Eccleſiaſticos

VIII. Eſt ergo probabilior ſententia aſſerens Ioſephum

 non

non bigamum, ſed Virginem ſemper extitiſſe, hujus præcipuus propugnator fuit Hieronymus, qui contra Helvidium ſic ait: *Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe, ego mihi plus vindico, etiam ipſum Joſeph Virginem fuiſſe per Mariam, ut ex virginali conjugio virgo filius naſceretur; ſi enim in virum ſanctum fornicatio non cadit, & aliam eum uxorem habuiſſe non ſcribitur, Mariæ autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos potius fuit, quam maritus: relinquitur eum Virginem manſiſſe cum Maria, qui Pater Domini meruit appellari*. Hieronymo conſentit Auguſtinus ſerm. 14. in nativitate Domini, ubi ait. *Gaude itaque Ioſeph, nimiumque congaude Virginitati Mariæ, qui ſolus meruiſti virginalem affectum poſſidere conjugii, quia per meritum virginitatis, ita ſeparatus es à concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris*. Conſentit etiam Theodoretus in Epiſtola ad Galatas cap 1. in fine, dum ait *Vocatur quidem Jacobus frater Domini, ſed non erat natura, ſed nec fuit Ioſeph filius, ut quidam exiſtimavunt, ex priori matrimonio natus, ſed erat quidem Cleophæ filius, Domini enim conſobrinus*. Plures in hanc abierunt ſententiam SS. Patres, quos refert Baronius loc. cit. quæ adeò verior eſt, ut Petrus Damianus Epiſt. 11. cap 4. ad Nicolaum Romanum Pontificem aſſerat Eccleſiæ fidem in eo eſſe, ut non modo Deipara, verum etiam putativus Pater, atque nutricius Virgo habeatur.

IX. Quod ſi hic aliquis nobis objecerit ab Evangeliſtis accuratè deſcribi Chriſti cognationem, videlicet Matth 13. verſ. 55. *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas? Et Sorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?* Et Marci 6. verſ. 3. *Nonne hic eſt faber filius Mariæ frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & Sorores ejus hic nobiſcum ſunt?* Et Ioannis 6. verſ 42. *Nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cujus nos novimus patrem, & matrem?* Quod ſi tam accuratè hæc genealogia, ſeu cognatio deſcribitur, ſi Iudæi profitentur

ſe

ſe fratres Domini cognoſcere, ſequitur Ioſephum ex alia uxore habuiſſe liberos.

Reſpondemus vulgare eſſe, & in more poſitum apud eos, qui dicunt ſe aliquem cognoſcere, ut non tantum patrem, & matrem illius referant, atque in teſtimonium notitiæ adducant, quam etiam alios propinquos, & cognatos. Hinc Iudæi non tantum Ioſephum, & Mariam ſe cognoviſſe dicebant, ſed Iacobum, Simonem, Ioſephum, & Iudam, ex quo non neceſſario deducitur illos eſſe vere Chriſti fratres, cum adhuc de fratribus conſobrinis poſſit cognatio verificari, cum promiſcuè Sacræ Litteræ illos indiſtinctè nomine fratrum exprimant, nec plerumque germani, & conſobrini alio vocabulo ſignificeotur.

X. Supereſt nunc, ut examinemus quomodo Jacobus, & Joſeph, ſive Joſet fratres Domini ſint appellari. Hieronymus contra Helvidium clariſſimè exponit quatuor modis in divinis Scipturis fratres nuncupari, nempe *natura, gente, cognatione, & affectu. Natura, ut Eſau, Iacob, duodecim Patriarchæ, Andreas, & Petrus, Iacobus, & Ioannes. Gente, qua omnes Iudæi fratres vocantur, ut in Deuteronomio conſtituendo conſtitues ſuper te Principem, quem elegerit Dominus Deus tuus, eum, qui ex fratribus tuis ſit, non enim poteris conſtituere ſuper te hominem alienigenam, quia non eſt frater tuus. Porro cognatione fratres vocantur, qui ſunt de una familia, ideſt patria, quas Latini Paternitates interpretantur, cum ex una radice multa generis turba diffunditur, ut in Geneſ. dixit autem Abraham ad Lot non ſit rixa inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuas, quia omnes nos fratres ſumus, & certè Lot non eſt frater Abrahe, ſed filius fratris ejus Aram; Thara quippe genuit Abraham, & Nacor, & Aram, & Aram genuit Lot. Innumerabilia ſunt iſtiuſmodi libris inſerta divinis, ſed ne longum faciam ad extremam diviſionis partem revertar, ideſt & affectu fratres dici, qui in duo ſcinduntur in ſpirituale,*

& commune. In ſpirituale, quia omnes Chriſtiani fratres vocantur, ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum, & in alio pſalmo Salvator, narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Porrò in commune, quia omnes homines ex uno patre nati pari inter nos germanitate conjungimur. Concludit demum Hieronymus, & inſinuat quomodo Iacobus, & Ioſeph fratres Domini appellentur. *Reſtat igitur, ut juxta ſuperiorem expoſitionem fratres eos intelligas appellatos cognatione, non affectu, non gentis privilegio, non natura, quomodo Lot Abrahæ, quomodo Iacob Laban eſt appellatus frater, quomodo & filiæ Salphaad accipiunt Clerum inter fratres ſuos, quomodo & Abraham ipſe Saram ſororem ſuam habuit uxorem.* Erant igitur Iacob, & Ioſeph, ſive Ioſet fratres Domini cognatione, quia erant filii Mariæ Cleophæ ſororis Virginis Mariæ, non ſororis germanæ ex Anna, ſed conſobrinæ, vel ex fratre matris, vel patris. Hæc eadem Maria à multis Maria Alphæi appellatur, ſed an idem fuerit Cleophas, & Alphæus quæſtio eſt apud Sacræ Scripturæ Interpretes, in qua immorari nolumus, nobis ſufficiet indicaſſe illos, qui fratres Domini appellantur eſſe filios Mariæ Cleophæ ſororis conſobrinæ Mariæ.

XI. Hæc de perpetua Mariæ Virginitate dixiſſe ſufficiet, quæ quidem non incongruè poſita ſunt, ſed neceſſariò erant præmittenda, ut de illius voto tractaremus, ſunt enim ita inter ſe connexa, ut unum ex altero probetur, nam ſi Maria Virgo fuit ante partum, in partu, & poſt partum, conſtantiſſimus iſte Virginitatis ſtatus propoſitum animi ſignificat, quod immutabile debebat eſſe, ac conſtans, quale Dei Matrem decebat. hæc autem propoſiti conſtantia votum indicat.

DIS-

DISSERTATIO XVIII.

DE VOTO VIRGINIS MARIÆ.

CAPUT PRIMUM.

1. Adducuntur, & ſimul explicantur verba Luc. cap. 1. verſ. 31. & 34. In Scriptura verbum præſens aliquando pro futuro ponitur. Idem oſtenditur ex conſuetudine loquendi, quam homines ſervant. 2 Bernardus ex Evangeliſtæ verbis non ſolum probat Virginis Votum, ſed oſtendit illam primam fuiſſe, quæ Deo Virginitatem ſuam conſecraverit. 3. Ruperti argumentum pro eodem Virginis Voto. 4. Refelluntur Adverſarii aſſerentes Virginem non potuiſſe voto ſe obſtringere abſque violatione divini præcepti. Explicantur verba Deuteron cap 7. 5. Cur apud Judæos ſummo in honore eſſet fœcunditas 6. Ex veteri Teſtamento probatur Virginitatem non ſolum permiſſam fuiſſe, ſed laudabilem.

1. Quamvis contra Mariæ votum obmurmurent Hæretici, inter quos Calvinus, Beza, & Magdeburgenſes, illud clarè ex Evangeliſtæ Lucæ cap 1. verſ. 31. & 34. deducitur Cum enim cœleſtis Nuncius Mariæ dixiſſet : *Ecce concipies in utero, & paries filium*, non tantum in ejus ſermone turbata eſt, ſed reſpondit, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cogno-*

gnoſco, quæ quidem verba nobis non obſcurè perſuadent, Mariæ virginitatem, Deo ſic diſponente, atque inſpirante, aliquo voto fuiſſe firmatam, & munitam, nam interrogatio ad Angelum facta debuit eſſe prudens in ea, quæ ad tantam dignitatem evecta eſt, ut Deum gigneret & Dei Mater nuncuparetur, prudens pariter debuit eſſe dubitatio; at non eſſet prudens, ſi verba illa *virum non cognoſco* deberent ad litteram explicari, ut volunt noſtræ fidei hoſtes, & non redderent hunc ſenſum; quoniam vovi virum non cognoſcere. Nam ad hoc ut ſit prudens, ac juſta dubitatio, debet ſtatus ille, qui annunciatur, omninò repugnare ſtatui præſenti, adeoque verba illa virum non cognoſco, debent eſſe incompoſſibilia naturaliter cum iis, quæ prædicuntur, nempe *ecce concipies*; At ſi Virgo non eſſet voto obſtricta, jam incompoſſibilia non eſſent, adeoque inutilis foret dubitatio. Poterat enim reſpondere Angelus, ſi firmiter non decreviſti opus nuptiarum non exercere, quare te concepturam dubitas? Quamvis nunc virum non cognoſcas, quis prohibet, ut cognoſcas in poſterum? Videmus igitur verbum *non cognoſco* hunc reddere ſenſum, non cognoſcam, quia decrevi non cognoſcere, qui quidem ſenſus non eſt alienus ab uſu ſcripturarum, in quibus verbum præſens aliquando pro futuro uſurpatur. Clariſſimum exemplum in iſtius veritatis confirmationem deſumere poſſumus à Numeror. cap 16. verſ. 12 in vulgata enim editione legimus *Miſit ergo Moyſes, ut vocaret Dathan, & Abiron filios Eliab, qui reſponderunt non venimus*. Hoc verbum Textus hebraicus ponit in futuro, habet enim לֹא נַעֲלֶה nempe non aſcendemus *Et miſit Moſeh ad vocandum Dathan, & Abiron filios Eliab, & dixerunt non aſcendemus*, ſeptuaginta ponunt, *non aſcendimus*; at Paraphraſis Caldaica etiam habet, *non aſcendemus*. Nec iſtæ locutiones in Sacris Litteris tantum repeririuntur, cum illas apud alios

ſcri-

ſcriptores invenire poſſimus, nam ut reſtatur Ambroſius epiſt. 14. Calligonus Spado Præpoſitus Imperatoris cubiculi Ambroſio mandaſſe dicitur *me vivo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo*, ubi nemo ignorat præſens poni pro futuro. Hic etiam apud homines uſus invaluit, ut verbo præſenti aliquando exprimant, quæ in fururum decreverunt, ſic dicimus vinum non bibo, non delector vanis ſpectaculis, pro non bibam, & non delectabor. Ipſæ etiam actiones, quæ perennitatem, & ſtatum indicant, ſive conſtantiam, ſolent per verbum temporis præſentis indicari. Exemplum habemus Joann. cap. 8. verſ. 29. *Qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Item verſ. 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, Pſal. pariter 145. verſ. 8. *Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit eliſos, Dominus diligit juſtos*. Quæ verba temporis præſentis in præcitatis locis, cum conſtantiam, & perennitatem actionis nobis exprimant, ad alia etiam tempora ſe extendunt, & exponunt nobis ſenſum illorum, quæ ex Luca citavimus ad votum Virginis Mariæ probandum, quod per verbum cognoſco ab Evangeliſta nobis proponitur. Quare Gregorius Niſſenus in orat. de die natali Domini illa eadem verba explicans ſic ait: *Interdicta eſt mihi viri conſuetudo, quomodo, iſtud erit mihi, quoniam virum non cognoſco? Hæc Mariæ vox demonſtratio eſt eorum, quæ ex incerti auctoris hiſtoria referuntur. Nam ſi ad nuptiale opus aſſumpta fuiſſet ab Joſepho, quinam ad Angeli vocem futurum partum prænunciantis velut ad rem novam attonita fuiſſet, cum hoc expectaret ipſa, ut ex naturæ lege Mater eſſet? Sed quia conſecratam Deo carnem tamquam unum aliquod è ſacris donariis illibatum ſervari oportebat, idcircò ſic ait: Quamvis Angelus ſis, quamvis è Cœlo venias, & quod apparet ſupra captum hominis ſit, tamen impoſſibile eſt hominem me cognoſcere. Quomodo Mater ero ſine viri conſortio? Nam Joſe-*

phum

phum Sponſum quidem novi, virum autem non cognoſco. D. Auguſtinus in lib. de S. Virginitate cap. 4. ſimile ex verbis Lucæ ad votum Mariæ Virginis propugnandum adducit argumentum, inquit enim: *Ipſa quoque Virginitas Mariæ ideò gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conſervaret ipſe, præripuit. ſed priuſquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annunciauti Angelo Maria reddidit, quomodo, inquit, fiet iſtud, quoniam virum non coguoſco? quod profectò non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante voviſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat. Quamquam etiam ſi hoc ſolum dixiſſet, quomodo fiet iſtud, nec addidiſſet, quoniam virum non cognoſco, non quæſiſſet utique promiſſum ſibi filium, quomodo fœmina paritura eſſet, ſi concubitura nupſiſſet . . . ita Christus naſcendo de Virgine, quæ antequam ſciret quis de illa fuerat naſciturus, Virgo ſtatuerat permanere, Virginitatem ſanctam approbare maluit, quam imperare.*

II. Poſſem etiam hic alios SS Patres in hujus Catholicæ veritatis teſtimonium adducere, quorum auctoritates, ſi quis deſiderat, legat Bellarminum lib. 1. Monach. cap. 22. tom. 1. Non prætercam tamen Bernardum, qui ex Evangeliſtæ verbis non ſolum deducit Mariam Voto Virginitatis fuiſſe obſtrictam, ſed non obſcurè videtur indicare eam primam fuiſſe, quæ Virginitatem ſuam non ſimplici animi propoſito, ut aliqui in lege antiqua, ſed conſtanti voto Deo conſecraverit. Nam in quodam ſermone ſuo de Beata Maria ad verba Lucæ deveniens: *De cætero ſanè*, inquit, *& Virginitatem carnis, & propoſitum Virginitatis, & ipſius quoque propoſiti novitas evidenter illuſtrat: quod videlicet in libertate ſpiritus Legis Moſaicæ decreta tranſcendens illibatam Deo corporis ſcilicet, & ſpiritus ſanctimo-*

niam

niam vovit. Probat enim propoſiti inviolabile fundamentum, quod tam conſtanter promittenti filium Angelo reſpondit, quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? forte enim propterea primo turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio, quod benedictam ſeſe audiſſet in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus ſemper optabat.

III. Rupertus verò virginei voti rationem altiſſimè repetens, illudque æternæ ſapientiæ conſilio attribuens impiis noſtræ fidei calumniatoribus occurrit, illorum cavillationes ſtrenuò antevertit argumento, & omnem eis præcludit anſam affirmandi B. Mariam ideo Virginitatis Votum emiſiſſe, quia faſtidiret conjugalem ſtatum, illumque veluti vilem reputaſſet: inquit enim tom. 2. pag. 939. *Revera ſi aures audiendi habemus, percipere utcunque poſſumus, qualis illi cauſa fuerit, ut Virginitatis votum voveret, cujus non habebat exemplum. Nam ſi dicat quis, quod idcircò Virginitatem elegerit, quia nubere, filioſque ſuſcipere videbatur ei ſtatus vilis, & vita deſpicabilis, repugnat valde veritas profeſſionis jam dictæ: Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.*

IV. At quoniam contra Virginis votum ſolent Adverſarii noſtri opponere non potuiſſe illam voto ſe aſtringere abſque violatione divini præcepti expreſſi Deuteron. cap. 7. his verbis: *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus.* neceſſe eſt, ut vim horum verborum examinemus, & inquiramus, an obligationem aliquam inducant, quod facilè fiet, ſi integrum contextum percurramus. Et quidem ex ipſo apertè convincitur verba illa non per modum imperii, ſed per modum benedictionis eſſe prolata, nam poſtquam Deus præcepta, ac cæremonias populo dederat, ſtatim ſubjecit, *Si poſtquam audieris hæc judicia, cuſtodieris ea, & feceris, cuſtodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & miſericordiam, quam juravit patribus tuis, & diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armen-*

mentis, gregibus ovium tuarum ſuper terram, & paulo poſt. *benedictus eris inter omnes populos, non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus tam in hominibus, quam in gregibus tuis.* Hæc eadem promiſſa populo divina præcepta obſervanti legimus Exod. cap 23. verſ 25. & 26 nempe, *ſervietiſque Domino Deo veſtro, ut benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui, non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua, numerum dierum tuorum implebo* Ex quibus omnibus verbis inter ſeſe collatis clariſſimè apparet nullum in illis contineri præceptum, ut Iſraelitæ matrimonio datent operam, & hoc etiam convincitur ex ipſo ſupracitato Deuteron cap dicitur enim: *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis*, quæ verba ſi homines obligarent, ut Virginitate poſtpoſita generationi ſtuderent, obligarent etiam animalia ratione carentia, quibus nulla poteſt lex imponi. Quis autem hoc affirmate audeat? Obligarent autem, nam dicitur: *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus, tam in hominibus, quam in gregibus tuis*; ergo ſi præceptum continerent, tam homines, quam greges obligarentur. Inſuper non legimus: *Non erit apud te Virgo*, ſed legimus: *Non erit apud te ſterilis*, quod ſatis inſinuat promitti quidem benedictionem, ac fæcunditatem conjugatis, non imponi præceptum virginibus.

V. Fateor quidem ſummo in honore fuiſſe fæcunditatem apud Judæos, contra verò odioſam, ac nullo in pretio ſterilitatem, hinc ex Abrahamo concipiens Agar Ancilla deſpiciebat Sarai, ut legimus Geneſ. 16. verſ. 4. Hinc Rachel Jacob dicebat Geneſ. 30. *Da mihi filios, alioquin moriar*; poſtea verò exultans gloriabatur, *abſtulit Deus opprobrium meum*, hinc etiam, ut narratur 1. lib Reg. cap. 1. verſ. 6. Annam *affligebat æmula ejus, & vehementer angebat in tantum, ut exprobraret, quod Dominus concluſiſſet vulvam ejus*, & verſ 7. *Et ſic provocabat eam, porro illa flebat,*

&

& non capiebat cibum. Solebant autem Judæi ſterilitatem exprobrare, quia illam inter maxima ſupplicia reputabant, & reum gravis alicujus delicti judicabant eum, cui contigiſſet ſine ſucceſſore diſcedere. Ad alias etiam cauſas, quæ odioſam illi genti reddebant ſterilitatem, hæc accedere videtur, quod unuſquiſque in ſpem maximam erigebatur, ut ex ſua ſtirpe promiſſus Meſſias deſcenderet. Hac de cauſa, ut exponit D. Auguſtinus lib. 2. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 28. diſplicebat Regi Ezechiæ mors, & hinc 4. Reg. 18. & Iſajæ 38. verſ. 12. conquerebatur; *generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum.*

VI. Sed ut facilè omnes eos oppugnare poſſimus, qui cœlibatum derident, virginitatem damnant, tamquam rem in lege veteri minimè permiſſam, atque humanis inſtitutis contrariam, videamus jam, an ex veteri Teſtamento deduci poſſit virginitatem non tam permiſſam, quam laudabilem fuiſſe, viroſque continentes, & caſtos dignos præmio reputari. Afferamus Iſaiæ caput 56. in quo fidelis bonorum remunerator Deus ſic loquitur: *& non dicat Eunuchus ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Item ſapien: 3. verſ. 14. *Et ſpado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima, dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in Templo Dei acceptiſſima.* Quæ verba nemo ignorat, quantam vim habeant ad Adverſarios confundendos; verum ne illis abuti poſſint, & ad litteralem ſenſum confugiant, noscum vero fidei Magiſtro Matth. cap. 19. verſ. 12. ſupponimus tria eſſe Eunuchorum genera: *ſunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi facti ab hominibus, & ſunt Eunuchi, qui ſe*

ipſos

ipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum De iſtis intelligenda ſunt verba Iſaiæ, & Sapientiæ, & ita interpretantur D. Hieronymus adverſus Jovinianum, Cyrillus in ſupradictum cap. Iſaiæ, Auguſtinus lib. de ſancta Virginit. cap. 14. Baſilius lib. de vera Virginitate, Ambroſius in exhortat. ad Virgines, Gregorius 3. part. Paſtoralis cap. 29. Quod in his ſacræ ſcripturæ locis ſermo habeatur de virginibus, ac continentibus, qui voluntarii, ac myſtici Eunuchi appellantur, multæ rationes ſuadent, inter quas duæ validiſſimæ ſunt, cur enim promittet Deus Eunuchis, qui aut ſic nati ſunt, aut ſic effecti ſunt ab hominibus, nomen melius à filiis, & filiabus? an qui nihil meruerunt, forte, ac præmio dilectos Dei filios ſuperabunt? Item ut fortiſſimè arguit Auguſtinus, ſi hæc verba ſunt in ſenſu litterali interpretanda, & intelligenda de veris Eunuchis, jam debellavimus virginitatis oppugnatores; nam ſi tanta, & tam deſiderabilia præmia promittuntur à Deo illis, qui aut Eunuchi nati ſunt, aut effecti ab hominibus, & qui in hoc nihil merverunt, quanto magis erunt præmio digni illi, qui ob Regnum Cœlorum ſe caſtraverunt, hoc eſt qui continentes perſeverant, qui virginitatem diligunt, omneſque ſenſus illecebras reſpuunt? Quod ſi ad exempla recurrendum ſit, non pauca nobis in veteri Teſtamento occurrent, ex quibus deducamus eos etiam, qui cœlibem vitam duxerunt fuiſſe Deo gratos, ac ſingularibus propemodum beneficiis affectos Nonne, ut Hieronymus adverſus Jovinianum ſcribit. Virgines extitere Elias, Eliſæus, Jeremias, Joannes Baptiſta, qui viri quam illuſtres, quanta pietate inſignes, quo virtutum ſplendore ornati fuerint, & ipſæ Sacræ Litteræ, & patrata prodigia commemorant. Si cœlibatus odioſus, & nullo in pretio apud Judæos, cur quæſo vidua Judith viro ſuo non nupſit defuncto, quamvis eſſet eleganti aſpectu nimis, ut legimus Judith cap. 8. ſed relicta vidua jam annis tribus, & menſibus ſex in ipſo juventutis

flore

flore alterum virum non quæſivit. Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, ut eodem cap exprimitur. Cur devicto Holopherne liberato populo ſuo ſummus Pontifex, ac ſacerdotes, ut legere eſt cap. 15. verſ. 10 *benedixerunt eam omnes una voce dicentes · tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris, & poſt virum tuum alterum neſcieris: ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum*. En caſtitati victoria attribuitur, en dignus laudibus, encomiis, ac benedictionibus cenſetur cœlibatus. Neque prætereundum illud eſt, quod Philo commemorat lib. de vita contemplativa, Eſſæos videlicet ab vrbibus remotos, atque ab omni populi frequentia ſegregatos in agris, ac monaſteriis habitaſſe, & ad hæc admitti non ſolum viros, ſed etiam fœminas, quarum pleræque ætate provectæ ſunt virgines caſtimoniam non neceſſitate potius, quemadmodum non nullæ Græcarum ſacerdotum, quam ſponte, ac liberè ſervantes, & propter amorem, deſideriumque ſapientiæ, cuius amplectendæ ſtudio corporis voluptates aſpernatæ ſunt. Videatur Joſephus lib . 18. Antiquit. Judaic.

Sed hic quærere aliquis poteſt, ſi Maria votum Virginitatis emiſit, quomodo inter eam, & Ioſeph verum extitit matrimonium? Cui difficultati ut ſatisfaciamus eliciatur hæc concluſio.

CAPUT SECUNDUM.

Inter Mariam, & Joſephum verum extitit matrimonium abſque ulla violatione voti virginalis.

1. *MAtrimonii eſſentia in voto Virginis Mariæ retenta, & conſervata eſt. 2. Idem Virginis votum matri-*

monii fini non repugnat, præcipuè mutuæ ſocietati, & mutuo amori. 3. Bonum prolis in Matrimonio Virginis cognoſcimus non ex carnali conjunctione, ſed virtute Spiritus Sancti. 4. Multis authoritatibus probatur Matrimonium ſolo conſenſu perfici. 5. Difficultas, quam ſibi opponit Magiſter ſententiarum, & qualis conſenſus ob matrimonium requiratur. 6 Reſpondetur fuſius communi argumento, quo ſolet oppugnari coherentia voti virginalis cum matrimonio, & oſtenditur, quid ſit conſentire in bona matrimonii abſque violatione voti. 7. Eſplicatur D. Auguſtinus relatus à Gratiano in Can. non eſt dubium 27 quæſt. 2. 8. Colligitur in dicto Canone agi de matrimonio conſummato, non de matrimonio rato. 9. Quomodo intelligenda ſint verba D. Hieronymi, qui adverſus Helvidium ſcripſit, quod Joſeph Mariæ cuſtos potius fuit, quam maritus. Reſponſio ex D. Thoma, atque ſupradictæ authoritatis dilucidatio.

1. CONſideremus ipſam matrimonii eſſentiam, ac quidditatem, ex qua validiſſimæ emanant rationes, quibus probare poſſimus illud non minuiſſe, ſed conſervaſſe candorem Virginitatis. Eſt profecto matrimonium *conjunctio viri, ac mulieris*, ſancta videlicet, ac illibata animos prius ligans, quam corpora, quæ unam in duobus voluntatem efficiat, ſponſos conſociet, uniat, conſtringat perpetuo, atque indiſſolubili nexu ante omnem carnalem commixtionem: *inter legitimas perſonas*, fuerunt Ioſeph, & Maria perſonæ legitimæ ex eadem Tribu Iuda, ex eadem ſtirpe ſcilicet David, ex eodem ſemine videlicet Abrahæ. *Individuam vitæ conſuetudinem retineas* Fuit inter illos inſeparabilis habitatio, inſeparabilis amor, inſeparabilis unio ſpiritualis, quæ omnia cum ſint de matrimonii eſſentia, neque impediant votum Virginitatis emiſſum, jam fateri cogimur verum inter Mariam, & Ioſephum extitiſſe ma-

matrimonium abſque violatione voti, quare merito concludit Auguſtinus lib. 1 de nuptiis, & concupiſcentia cap. 11. quem citat Gratianus in cap. Omne itaque 27 *quæſt* 2 *Omne itaque nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti; Proles, Fides, Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Ieſum, Fidem, quia nullum adulterium, Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat ſine illa pudenda carnis concupiſcentia, quæ accidit ex peccato, ſine qua concipi voluit, qui futurus erat ſine peccato.*

II. Ut hæc Sancti Doctoris authoritas melius intelligatur conſiderandæ nobis ſunt præcipuæ cauſæ, ob quas matrimonium fuit inſtitutum. Fuit enim primò à Deo inſtitutum ob mutuam ſocietatem, & mutuum amorem, nam Genes. cap. 2. dixit Deus: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*; deinde *Adæ vero non inveniebatur adiutor ſimilis ejus; immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam, cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Quare poſtea de ſopore conſurgens Adam dixit: *hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* In quibus verbis triplex nobis elucet bonum, quod ipſam matrimonii inſtitutionẽ comitatur, nempe mutua ſocietas, mutuus amor, mutuum adiutorium, & obſequium: quæ quidem tria ad verum matrimonium ſufficiunt, & in matrimonio Mariæ Virginis, ac Joſephi reperiuntur.

III. Altera matrimonii inſtituendi cauſa fuit bonum prolis, conſervatio nempe humanæ ſpeciei, & reparatio ruinæ Angelorum, volens enim miſericors Pater, ut ab hominibus ſedes implerentur, quas deſertores Angeli è Cœlo cadentes vacuas reliquerant, primis parentibus benedixit dicens, *creſcite, & multiplicamini.* Bonum etiam prolis in

matrimonio Virginis cognoſcimus non ex conjugali officio, aut carnali commixtione, ſed opere Spiritus Sancti. Nimium carnalis eſt, qui exiſtimat non dari verum conjugium abſque conjunctione corporum, nam ut inquit Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 18. *In nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas ventris.*

IV. Matrimonium ſolo conſenſu perfici indubitati juris eſt, quandoquidem, ut inquit Joannes Chryſoſtomus, ſive author operis imperfecti hom. 32. in Matthæum, quem citat Gratianus in cap. Matrimonium, in cap. Omnis res 27. quæſt. 2. *Matrimonium quidem non facit coitus, ſed voluntas, & ideo non ſolvit illud ſeparatio corporis, ſed ſeparatio voluntatis.* Item Nicolaus Pontifex ad conſulta Bulgarorum adductus ab eodem Gratiano cap. Sufficiat 27. quæſt. 2. *ſufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur, qui conſenſus ſi in nuptiis ſolus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur.* Ambroſius pariter de Inſtitutione Virginis cap. 6. cujus authoritas refertur in can. Cum initiatur eadem cauſa, & quæſtione ſic concludit: *Non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique, cum jungitur puella, conjugium eſt, non cum viri admixtione cognoſcitur.* Videatur caput Beata Maria, ac demum Iſidorus lib. 9. Etymologiar. cap. 7. citatus in cap. Conjuges eadem cauſa, & quæſt. ubi inquit: *Conjuges verius appellantur à prima deſponſationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus.* Quæ cum ita ſint, nemo revocabit in dubium matrimonium Virginis, ac Joſeph verum fuiſſe, ac legitimum, etiamſi nulla carnalis copula intervenerit. Angelicus etiam Præceptor 3. p. quæſt. 29. art. 2. ait: *Forma autem matrimonii conſiſtit in quadam indiviſibiliter conjunctione animorum, per quam unus conjugum indiviſibiter alteri fidem ſervare tenetur.* Cum ergo perfectio in ipſa forma conſiſtat, cum hæc divino illi matrimonio non defuerit,

ve-

verum debet à nobis reputari, ac tale, quod cum Virginitatis voto potuerit ſociari.

V. Atque, ut quæ diximus circa conſenſum magis, ac magis dilucidentur, non inutile erit eam hic difficultatem proponere, quam ſibi opponit Magiſter ſententiarum in 4. diſt. 18. §. hic quæritur, videlicet, quod cum conſenſus ſit de matrimonii eſſentia, aut erit conſenſus carnalis copulæ, aut cohabitationis, aut utriuſque; *ſi cohabitationis conſenſus matrimonium facit, tunc frater cum ſorore, pater cum filia poteſt contrahere matrimonium; ſi carnalis copulæ, tunc inter Mariam, & Joſeph non fuit conjugium; propoſuerat enim Maria in Virginitate manere, niſi Deus aliter facere juberet;* demum ipſe ſibi Magiſter reſpondet: *Dicamus ergo, quod conſenſus cohabitationis, vel carnalis copulæ non facit conjugium, ſed conſenſus conjugalis ſocietatis.* Iſte quidem conſenſus ex divina inſtitutione ita connectit coniuges, ut neuter ab alio ſeparari poſſit, & quamvis ſoror, & frater ſimul habitent, atque in ſocietatem conſentiant, quamvis pater, & filia ſimul vivant, dici tamen coniuges nequeunt, quia in coniugalem ſocietatem ex divina inſtitutione minimè conveniunt, neque ex illorum conſenſu talis obligatio oritur, ut nequeant ad invicem ſeparari.

VI. Sed obiicies primò contra ea, quæ ſuperius explicata ſunt. Qui conſentit in matrimonium, conſentit in bona matrimonii, nempe ſacramentum, prolem, & fidem, ergo conſentit in copulam carnalem, ſed hoc repugnat voto Virginitatis, ergo matrimonium Virginis, & votum non poſſunt ſimul componi.

Huic argumento, ut ſatisfaciamus, ſupponendum eſt cum D. Thoma 3. p. quæſt. 28. art. 4. in reſponſione ad primum §. Verum, quod Beata Virgo, quæ antea voluntatem ſuam circa Virginitatem ſervandam divino commiſerat arbitrio, poſtmodum accepto ſponſo ſimul cum eo votum Virginitatis emiſit. Quæſt. vero 29. art. 2. §. Sic

 igi-

igitur explicat S. Thomas, quod illud matrimonium verum fuit quoad primam perfectionem, quæ conſiſtit in conſenſu, ut jam probatum eſt, *quia uterque conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſſe in copulam carnalem niſi ſub conditione, ſi Deo placeret*. Sed clarius in 4. diſt. 30. quæſt. 2. artic. 1. quæſtiunc. 2. ad 3. ait: *Virgo implicitè conſenſit in copulam, at copula numquam fuit in propoſito, erat enim a Deo certificata numquam ſubſequi debere*. Hanc Angelici Præceptoris doctrinam præclare explicat Gonzalez in cap. Si conditiones de conditionibus appoſitis num. 9. ait enim duplicem conſenſum in matrimonium intervenire, alium quoad obligationem ex parte contractus, alterum quoad eſſentiam ex parte contrahentis. Ex parte contractus matrimonii circa ejus eſſentiam, hoc eſt quoad obligationem neceſſe eſt, ut conſenſus ſaltem implicitus intercedat circa tria illa bona, videlicet Sacramentum, prolem, & fidem. Ex parte tamen contrahentis quoad executionèm ſolum requiritur conſenſus, non verò conſenſus in prolem, & fidem, quare ſi aliquis habuit conſenſum implicitum ſe obligandi ad matrimonium cum animo copulam non habendi, validum eſt matrimonium, cum conſenſus in copulam tantum neceſſarius ſit ex parte contractus quoad obligationem ejus, non vero ex parte contrahentis quoad executionem. His præſuppoſitis ad argumentum reſpondeo. Qui conſentit in matrimonium conſentit in copulam, ſaltem implicitè quoad eſſentiam contractus, quatenus vult ſe obligare, conc. ſemper explicitè quoad executionem contrahentis, qua expreſsè velit copulam, nego. B. Virgo Maria conſenſit in matrimonium, ſed in matrimonium à Deo ſibi inſpiratum, & cum hac certitudine, quod numquam virginitatem ſuam ſponſus violaret; quia ergo obligavit ſe matrimonio, ſe illi contractui obligavit, qui ordinario modo, quatenus contractus eſt, dicit obligationem ad illa

tria

tria bona matrimonii, at copula numquam fuit in propoſito, erat enim a Deo certificata numquam ſubſequi debere. Videatur cap. B. Maria 27. quæſt. 2. in quo ex variis D. Auguſtini locis, ac præcipuè ex libello de Virginitate ſic exponitur B. Mariæ conſenſus, *Committens ergo virginitatem ſuam divinæ diſpoſitioni conſenſit in carnalem copulam non illam appetendo, ſed divinæ diſpoſitioni in utroque obediendo.* Quis autem dicet hunc conſenſum cum Virginitate repugnare? Sit Virgo ab hominum cætu remota attendens divinæ Providentiæ altiſſima conſilia, ac ſuaviſſimas diſpoſitiones parata nubere, ſi Deus juſſerit, an ideo erit voti rea? an ideò deſideravit carnalem copulam? Sit vir promptus ad exequenda mandata etiam ad occidendum hominem, ſi Deus juſſerit, an ideo in voto erit reus homicidii? Qui Virginitatem ſuam divino committit beneplacito, illam conſervat, non amittit. Poteſt etiam ad argumentum clarius reſponderi cum hac diſtinctione. conſenſus in matrimonium eſt conſenſus in copulam, ſi matrimonium ſit ita à Deo ordinatum, ut proles abſque ullo virili commercio habeatur, nego, ſi matrimonium ſit ordinatum in prolem ſuſcipiendam virili commercio, concedo. Certe cum juxta ordinarias leges loquimur, ideo qui conſentit matrimonio, conſentit ſaltem implicitè in copulam, quia videlicet præbet conſenſum illi contractui, quem tria bona comitantur, Sacramentum nempe, proles, & fides, & proles haberi non poteſt abſque corporum conjunctione. Contra tamen accidit in divino matrimonio, de quo loquimur; B. enim Mariam tradens Virginitatem ſuam Dei arbitrio conſenſit in matrimonium, ſed in matrimonium, in quo proles erat ſuſcipienda Spiritus Sancti virtute, legimus enim: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sua habuit, & quidem inſignia privilegia hoc matrimonium ſtupente natura, adeoque non debet carnali lege me-

 tiri,

tiri, aut circumſcribi. Conſenſus ei conjugalis, ſancta ſocietas, individuus amor non defuit, quod ſatis eſt, ut verum matrimonium vocetur. Non quæratur carnalis commixtionis conſenſus, ubi fæcundatur Virgo ſine viro, & naſcitur Homo Deus.

VII Oppones 2. ex D. Auguſtino, qui citatur à Gratiano in Can. Non eſt dubium 27. quæſt. 2. qui docet *non eſt dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio ſexus non docetur fuiſſe*; qui quidem textus quamvis inter opera D. Auguſtini non reperiatur, cenſetur tamen Leonis Papæ, ut notat Pithæus in corpore Canonici juris, & quæ refertur authoritas deſumpta videtur ex Epiſtola 90. ad Ruſticum. Hanc adducit Gratianus in Canone Cum ſocietas eadem cauſa, & quæſt. Et quoniam aliquantulum diſcrepat à primævo textu, illam referemus, pro ut eſt apud Bucchardum, & Ivonem. *Cum Societas*, inquit, *nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, ut preter ſexuum conjunctionem baberet in ſe Chriſti, & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non eſt eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuiſſe myſterium.*

VIII. Sed facilis eſt reſponſio, nam in ſupradicto textu agitur de matrimonio conſummato, quod nullo modo datur, dum copula non præceſſit, & quia ratione conjunctionis repræſentat matrimonium Chriſti cum Eccleſia, ubi non intercedit commixtio ſanguinis, nec nuptiale videtur adeſſe myſterium; unde licet matrimonium ratum abſque copula ſit verum matrimonium, & verum Sacramentum, eſt tamen imperfectum quoad ſignificationem. Quare, ut inquit Magiſter ſententiar. in 4. diſtinct 26. §. Inde eſt, tale matrimonium figurat unionem Chriſti, & Eccleſiæ, quæ eſt in charitate, ſed non illam, quæ eſt in naturæ conformitate. Eſt ergo & in illo matrimonio typus conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, ſed illius tantum, qua Eccleſia Chriſto charitate unitur, non illius, qua per ſuſceptionem

nem carnis capiti membra uniuntur, nec ideo minus ſanctum eſt conjugium, quia in nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas ventris.

IX. Sed adhuc aliquis ſupereſſe videtur ſcrupulus, & aliqua etiam occaſio iterum opponendi ex verbis D. Hieronymi, qui contra Heluidium aſſerit, quod Joſeph Mariæ cuſtos potius fuit, quam maritus. Ex quibus verbis deduci poteſt mentem S. Doctoris fuiſſe matrimonio Virginis non convenire veri matrimonii proprietates, cum Joſephus non debeat appellari maritus, ſed cuſtos. Item exponens illa verba Matthæi cap. 1. *Jacob genuit Joſeph virum Mariæ*, ſtatim addit; *Cum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare conſuetudinis ſcripturarum, quod ſponſi, viri, & ſponſæ, uxores vocantur*. Cum ergo verum matrimonium nuptias requirat, ſi in hoc nulla debet eſſe nuptiarum ſuſpicio, jam non erit verum matrimonium. Huic difficultati clariſſimè reſpondet Angelicus Doctor 3. par. quæſt. 29. art. 2. quod quando D. Hieronymus ait Ioſephum debere potius appellari Mariæ cuſtodem, quam maritum, deſumit nomen mariti ab actu matrimonii conſummati, & quando docet ab hoc matrimonio eſſe removendam omnem nuptiarum ſuſpicionem, nuptias appellat nuptialem concubitum, quæ omnia minimè infirmant robur earum rationum, quibus verum matrimonium Mariæ aſſeritur cum Virginitatis voto conjunctum; nam, ut ait idem Angelicus Præceptor 3. par. quæſt. 29. art. 1. *B. Virgo Mater Dei ex familiari inſtinctu Spiritus Sancti credenda eſt deſponſari voluiſſe confidens de divino auxilio, quod nunquam ad carnalem copulam perveniret; hoc tamen divino commiſit arbitrio, unde in nullo detrimentum paſſa eſt Virginitas*. Rectè ergo aſſeruit Hieronymus non eſſe in hoc divino matrimonio ponendum maritum, qui fuerit carnali conjunctione Mariæ unitus, neque nuptias quærendas, quæ corporum permixtionem involvant, ſed ſancto, ac puriſſimo

mio fœdere beatas illas animas fuiſſe inter ſe copulatas. Et ne aliquis ſuſpicaretur nomen ſponſi excludere matrimonium, aut ſemper includere carnalem copulam recurrit ad ſcripturarum conſuetudinem, in quibus promiſcuè & uxores ſponſæ, & ſponſæ uxores ſolent appellari. Videatur Deuteron. cap. 22. verſ. 23. ubi hæc legimus *Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit, cum eſſet in civitate, vir, quia humiliavit uxorem proximi ſui*. Notat Gregorius in cap. Qui deſponſatam 27. quæſt. 2. *Non quæ uxor erat, ſed quæ à parentibus Uxor fieri debebat*.

DISSERTATIO XIX.

Cur Dominus de Virgine Deſponſata naſci voluerit.

CAPUT PRIMUM.

1. *Quemadmodum Deus naſcendo ab immaculato Virginis ſinu Omnipotentiam ſuam oſtendit, ita & Sapientiam cum voluit naſci de Virgine deſponſata.* 2. *Antiquorum Patrum ſententia voluiſſe Dominum naſci de Virgine deſponſata, ut ejus nativitas Diabolo eſſet abſcondita.* 3. *Verbum Divinum carnem ſumens voluit naſci de Virgine deſponſata, ut juſtitiæ hoſtem non potentia, ſed juſtitia oppugnaret, ac vinceret.* 4. *Quo jure homines ſub Dæmonis imperio detinerentur.* 5. *Quomodo aliqui inter SS. Patres affirment juſtum fuiſſe Principatum Dæmonis in homines, aliqui verò negent.* 6. *Quia duplici innixa erat fundamento poteſtas Diaboli, nempe fundamento divinæ permiſſionis, & humanæ conceſſionis, evertendum utrumque fuit.* 7. *Explicantur verba Chriſti Domini Joan.* 12. Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi eiicietur foras. 8. *Conveniens fuit Chriſtum de Virgine deſponſata naſci, propter ipſum, propter matrem, propter nos.*

I. Quem-

I. QUemadmodum in Sacroſanctæ Incarnationis myſterio divina erga nos miſeros mortales, & exules Bonitas eluxit, cum miſericors Pater cognoſcens figmentum noſtrum, & recordatus, quoniam pulvis ſumus, dedit nobis filium ſuum, ut ejus pretioſo ſanguine redempti acquireremus jus hæreditatis, & regni, & non tantum nominaremur, quam eſſemus Dei filii, ita & Omnipotentiam ſuam, & Sapientiam voluit oſtendere· conveniens ergo fuit, ut qui ab immaculato Virginis ſinu egrediens Omnipotens agnoſcebatur, prædicaretur Sapiens, ſi de Virgine deſponſata naſceretur, tale enim, ac tantum opus peragebatur, in quo admitteretur fidelis teſtis, & omninò excluderetur hoſtis. Audiamus D. Bernardum Hom. 2. ſuper miſſus eſt. *Oportebat*, inquit, *à Principe mundi aliquandiù cælari divini Conſilii Sacramentum, non quod Deus, ſi palam opus ſuum facere vellet, impediri poſſe ab illo metueret, ſed quia ipſe, qui non ſolum potenter, ſed etiam ſapienter, quæcumque voluit, fecit, ſicut in omnibus operibus ſuis quaſdam rerum, vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem ſervare conſuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere, noſtræ videlicet reparationis non tantum potentiam ſuam, ſed & prudentiam oſtendere voluit* . . . . . . Concludit demum. *Neceſſario igitur deſponſata eſt Maria Joſeph, quando per hoc & à canibus ſanctum abſconditur, & à Sponſo Virginitas comprobatur, & Virginis tam verecundiæ parcitur, quam famæ providetur. Quid ſapientius, quid dignius divina Providentia? Uno tali conſilio ſecretis cæleſtibus & admittitur teſtis, & excluditur hoſtis, & integra ſervatur fama Virginis Matris.*

II. Hæc

Digitized by Google

II. Hæc D. Bernardi ſententia omnium antiquorum Patrum authoritati innititur, qui unanimi conſenſu aſſeverant oportuiſſe Chriſtum de Virgine deſponſata naſci, ut ejus nativitas Diabolo eſſet abſcondita. Videatur Hieronymus in cap. 1. Matth. ibidem citans Ignatium; ut autem ſciamus, in quo Ignatii opere talis doctrina reperiatur, animadvertere oportet, quod in genuina ipſius epiſt. ad Epheſ. legimus, *Principem hujus mundi latuit Mariæ Virginitas, & partus ipſius, ſimiliter & mors Domini: tria myſteria clamoris, quæ in ſilentio patrata ſunt, at nobis ſunt manifeſtata.* Vocat Ignatius myſteria clamoris, hoc eſt digna, quæ omnibus denuncientur, aut quæ jam re ipſa omnibus propalata ſint, atque denunciata. Hunc etiam Ignatii locum citat Origenes hom. 6. in Lucam, *unde eleganter in cujuſdam Martyris epiſtola ſcriptum reperi [Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ poſt Petrum II. qui in perſecutione Romæ pugnavit ad beſtias,] Principem ſæculi hujus latuit Virginitas Mariæ.* In epiſtola verò ad Philippenſes, quæ etiam nomine Ignatii circumfertur cap. 8. inducitur S. Martyr ita cum Diabolo loquens; *nam multa te latent, Mariæ Virginitas, admirabilis Partus.* Inter cœteros autem, qui aſſerant, quod Diabolus plura de Chriſto ignoraverit, quam ſciverit, plura ſuſpicatus ſit, quam cognoverit, reſque potius perſpectas habuerit, quam rerum myſteria, non prætereundus eſt Clemens Alexandrinus, qui in libro hypotypoſeon pag. mihi 808 exponens verba pſal. 18 nempe, *& nox nocti indicat ſcientiam*, inquit, *Diabolus ſciebat Dominum venturum; an verò is eſſet, ignorabat, propterea & tentavit eum, ut cognoſceret, utrum eſſet potens. Si, inquit, & receſſit ab eo uſque ad tempus, ideſt, diſtulit inventionem in Reſurrectionem; noverat enim eum eſſe Dominum, qui reſurrecturus eſſet. Similiter & Dæmones, quandoquidem & ſuſpicati ſunt, quod Salomon eſſet Dominus, non eſſe autem agnoverunt, quando peccavit. Nox nocti. Omnes Dæmo-*

nes

nes cognoverunt Dominum eſſe, qui poſt paſſionem reſurrexit.

III. Fuit autem conſentaneum, ut virgineus partus Diabolo eſſet occultus, utque Verbum divinum noſtram carnem ſumens de Virgine deſponſata naſceretur, voluit enim infenſiſſimum juſtitiæ hoſtem, ſub cujus miſerrima ſervitute tenebamur obſtricti, non potentiæ, ſed juſtitiæ armis oppugnare. Peccaverat equidem Diabolus, quia juſtitia ſpreta affectaverat potentiam, peccaverant homines ejus exemplo, atque incitamento juſtitia poſthabita ſummam potentiam cupientes: ut ergo humanis cordibus immaculatæ juſtitiæ leges tenaciſſimè infigerentur, & nemo niſi per juſtitiæ gradus ad potentiam properaret aſcendere, ille, qui ſummè potens erat non potentia expoliavit tyrannum, ſed juſtitia perdomuit. Quare D. Auguſtinus de Trinit lib. 13. cap 13. inquit, *ſed cum Diabolus vitio perverſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & deſertor, oppugnatorque juſtitiæ, ſic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam peroſa juſtitia potentiæ ſtudent, ejuſque vel adeptione letantur, vel inflammantur cupiditate. Placuit Deo, ut propter eruendum hominem de Diaboli poteſtate, non potentia Diabolus, ſed juſtitia vinceretur, atque ita homines imitantes Chriſtum juſtitia quærerent Diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia quaſi mali aliquid fugienda ſit, ſed ordo ſervandus eſt, quo prior eſt juſtitia, nam quanta potentia poteſt eſſe mortalium? Teneant ergo mortales juſtitiam, potentia immortalibus dabitur*. & cap. 14. *Sic a moriente tam potente nobis mortalibus impotentibus & commendata eſt juſtitia, & promiſſa potentia. Horum enim duorum unum fecit moriendo, alterum reſurgendo. Quid enim juſtius, quam uſque ad mortem crucis pro juſtitia pervenire? Quid potentius, quam reſurgere à mortuis.*

IV. Atque ut clariſſimè inſinuetur, quomodo Verbum divinum carnem ſumens juſtitia Diabolum ſuperaverit,

con-

conſiderandum pauliſper eſt, quo jure ſub Dæmonis imperio, ac miſerrima captivitate humana propago detineretur. Et quidem jure æquiſſimo fundatum fuiſſe Dæmonis in hominem principatum unanimis eſt Patrum ſententia, inter quos Leo Magnus ſerm. 2. de nativit. Gregorius Niſſenus orat. Cathechetica cap. 22. Gregorius Magnus lib 2 moral. cap. 16. Paulinus ad Servium epiſt. 4. Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap. 1. & 2.& de lib. arbit. lib 3. cap 10. Quæ nam autem fuerint hujus principatus, atque dominii fundamenta facilè reperiemus illud præ cæteris ſupponentes, quod Diabolus primus omnium peccatorum parens extitit, omneſque non tantum prioritate peccandi, ſed & magnitudine culpæ antecelluit. Sicut ergo primus omnium fuit, qui à Deo, & ſempiterna juſtitia defecerunt, merito in deſertores principatum obtinuit, & ſicut terrenarum omnium libidinum, ac cupiditatum proſeminator, & magiſter extitit, ita quoſcumque cupiditatum vinculis implicare potuerit, jure eos, ut ſui ſeminis frutices, ut ſuæ arboris fructus, ut ſuæ ſcholæ diſcipulos vendicabit.

V. Cum autem aliqui inter Sanctos Patres hunc Diaboli principatum in peccatores non eſſe omnino juſtum affirmare videantur, ut eorum authoritates cum ſupra jam traditis conciliemus, ſcire oportet, quod quamvis Diaboli voluntas ſemper injuſta ſit, juſta tamen poteſt eſſe ejus poteſtas, nam voluntas quamvis peccatorem obſtrictum juſtè detineat, injuſta tamen eſt, quia non zelo juſtitiæ vindicandæ, ſed invidiæ ſtimulis impellitur, exagitatur. Poteſtas autem Diaboli ut juſta dicatur, conſideranda eſt vel quatenus ab ipſo emanat, vel quatenus ab homine, vel quatenus à Deo. Quatenus ab ipſo ſemper injuſta eſt, ille enim nullo jure à Deo deficere, homineſque ad deſertionem, & defectionem ſollicitare potuit. At quatenus ad Deum ſpectat, & ad hominem juſta eſt ea poteſtas, cum

enim

enim Deus hominem liberum creaverit, & reliquerit in manu conſilii ſui, quoties homo libertate abutitur ſibi conceſſa, & libere, ac voluntariè peccando ſe Diabolo tradit, totum jus ſibi conceſſum in Diabolum transfcribit, & cum Deus hominem liberum, ac ſui juris fecerit, hanc venditionem, quam permiſit, poſtea ratam habuit, hominemque peccatorem vel ulturus, vel emendaturus Diaboli, uti carnificis, tradidit poteſtati. Juſta ergo hæc poteſtas Diaboli eſt, quamvis eam injuſtè concupierit, injuſtè uſurpaverit, ſed ideo juſta, quia validè ab homine libero conceſſa, juſtè à Deo irato permiſſa.

VI. Quia ergo duplici innixa erat fundamento hæc tenebrarum Principis poteſtas, videlicet fundamento divinæ permiſſionis, & humanæ conceſſionis emoliendum utrumque fuit: primò ergo ſuo jure expoliatus eſt Diabolus, quia conceſſæ ſibi à Deo poteſtatis tranſgreſſus eſt limitem, cumque in nocentes vel originalis, vel propriæ culpæ contagio reos ſævire juſſus eſſet, Chriſtum totius juſtitiæ Authorem, & Principem invaſit ab omni tam propria, quam originali labe alieniſſimum. Præclarè hoc exponit Auguſtinus de Trinit. lib. 3. cap 13 *Ubi potuit aliquid facere Diabolus, ibi ex omni parte devictus eſt, & unde accepit exterius poteſtatem Dominicæ Carnis occidendæ, inde interior ejus poteſtas, qua nos tenebat, occiſa eſt. Factum eſt enim, ut vincula peccatorum multorum in multis mortibus per unius unam mortem, quam peccatum nullum præceſſerat, ſolverentur, quam pro nobis Dominus indebitam reddidit, ut nobis debita non noceret*. Conſonat Leo Magnus ſerm 2. in Nativitate Domini, Gregorius lib. 17 Moral cap 18 Chryſoſtomus in Joann. hom. 66. Theodoretus de Providentia orat. 10.

VII. Hinc explicantur verba illa Chriſti Domini Jo 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*; & 14. *venit Princeps mundi hujus, & in me non*

habet

habet quidquam; quæ ſic exponit Theodoretus loco cit. *Nullum habeo peccati judicium, corpus habeo omni peccato liberum, ſed licet nihil inveniat, quaſi innumeris obnoxium debitis morti tradet, ego autem id patior ipſum ſua tyrannide ejicere volens*. Quæ cum ita ſunt, nemo ignorat convenientiſſimum fuiſſe, ut maximum divinæ Sapientiæ artificium Diabolo celaretur, utque de ipſo tenebrarum Principe Chriſtus Dominus juſtitia triumphaſſet, non potentia; celavit autem myſterium, atque artificium mirabile abſcondit, cum noſtram carnem ſumpſit de Virgine deſponſata.

VIII. Aliæ iſtius divini myſterii congruentiæ afferuntur à SS. Patribus, & præcipuè à D. Thoma, qui in 3. par. quæſt. 29. art. 1. § Reſpondeo, expreſsè docet, quod conveniens fuit Chriſtum de deſponſata Virgine naſci tum propter ipſum, tum propter Matrem, tum etiam propter nos. Propter ipſum quidem, ne ab Infidelibus tamquam illegitimè natus abjiceretur; unde Ambroſius lib 2. in Luc. cap. 1. ait: *Quid Judæis, quid Herodi poſſet adſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti?* Secundò ut conſueto modo ejus Genealogia per virum deſcriberetur, unde idem pariter Ambroſius lib. 3. in Luc. *Qui in ſæculum venit, ſæculi debet more deſcribi*. Tertiò ad tutelam pueri nati, ne Diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraſſet, & ideo Ignatius dicit, ipſam fuiſſe deſponſatam, ut partus ejus Diabolo celaretur. Quarto ut à Joſepho nutriretur, unde & Pater ejus dictus eſt quaſi nutritius. Ex parte etiam Virginis fuit convenientiſſimum, *ne*, ut inquit Hieronymus in illa verba Matthæi, *cum eſſet deſponſata &c. à Judæis lapidaretur*, atque ut ab omni prorſus infamia, atque ignominiæ ſuſpicione redderetur immunis, prout decebat tantæ Virginis decorem, tantæ Matris majeſtatem. *Deſponſata eſt*, inquit Ambroſius lib. 2. in Lucam, *ne temeratæ Virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus*

corruptelæ videretur inſigne præferre. Denique ut ſanctiſſimæ, atque abſconditæ Virgini ab hominum commerciis miniſterium à Joſepho caſtiſſimo ſponſo exhiberetur.

Quatenus vero ad nos ſpectat, non parum nobis utilitatis allatum eſt per Deſponſationem Virginis cum Joſepho; habuimus enim novi, atque inuſitati partus fideliſſimum teſtem, & dignum proclamatorem cœleſtis prodigii à Prophetis olim prænunciati. Hinc D. Ambroſius loco jam cit. ait: *Locupletior teſtis pudoris maritus adhibetur, qui poſſet & delere injuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret Sacramentum*. Conveniens etiam fuit, ut in Virgine deſponſata magnum illud nobis manifeſtaretur Sacramentum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia dilectiſſima ſponſa ſua, quæ cum Virgo ſit, uni viro conjuncta eſt, atque, ut in tanta Virgine Virgines coronarentur, in tanta Matre nuptæ etiam illuſtres fierent.

CAPUT SECUNDUM.

Dilucidantur aliqua dubia.

1. *EX Iſaia 7. & Jeremiæ 31. partus Virginis dignoſcitur ſignum divinæ Potentiæ 2. Quædam miracula ſunt ad exercitium Fidei, quædam verò ad illius confirmationem. 3. Argumentum, quo poteſt oppugnari congruentia adducta à D. Hjeronymo pro Virginis Deſponſatione, 4. Judicio, ac pœnæ adulterarum non ſolum erant ſubiectæ nuptæ, ac deſponſatæ, ſed illæ etiam virgines, quæ in paternis domi cuſtodiebantur, ſi deprehenderentur non cuſtodivisse illibatum florem Virginitatis. 5. Virgines ex ſacerdotali ſtirpe, ſi deprehenderentur ſtupri reæ, comburebantur. 6. adducuntur novi Teſtamenti authoritates, quæ pugnare videntur cum Diaboli ignorantia circa Virginis partum. 7. Quam rectè aſſerue-*

ſeruerint Patres noſtra Redemptionis myſteria abſcondita fuiſſe Diabolo. Exponitur D. Paul. 1. ad Corinth. cap. 2. 8. Quomodo intelligenda ſint verba Marci cap. 3.

I. Contra ſuperiorem doctrinam poſſet hic nobis opponi, quod cum Virginis partus ab Iſaia cap. 7. prædicetur tamquam extraordinarium divinæ Potentiæ ſignum, & à Jeremia cap. 31. tamquam res nova, non videtur conveniens Virginem deſponſari; nam miracula, & ſigna ſiunt ad confirmationem fidei, in deſponſatione autem hoc miraculum potius occultatur, quam manifeſtetur.

II. Sed facilis eſt reſponſio cum D. Thoma loco jam laudato, quod inter miracula quædam ſunt ad exercitium fidei noſtræ, quædam verò ad illius confirmationem, hoc eſt, aliqua ſunt miracula, de quibus eſt fides, & aliqua, quibus confirmatur fides: miracula, de quibus eſt fides, ſunt Virginis partus, Reſurrectio Domini, Sacramentum Altaris, quæ quidem Dominus voluit occultiora eſſe, ut fides eorum magis eſſet meritoria: miracula verò, quæ ſiunt ad fidei confirmationem, debent eſſe manifeſta.

III. Si verò ratio congruentiæ virgineæ Deſponſationis à D. Hieronymo adductæ, ne videlicet lapidaretur Mater Dei à Judæis, ſicut adultera, reputetur ab aliquibus infirma, & parvi ponderis ad propugnationem propoſitæ veritatis, & illi dicant ſecuriorem fuiſſe à pœna lapidationis innuptam Virginem, quam nuptam, adeoque ad hanc pœnam, injuriamque evitandam melius fuiſſe, quod Chriſtus de Virgine innupta naſceretur.

IV. Breviſſimè reſpondemus judicio, ac pœnæ adulterarum non ſolum fuiſſe in antiqua lege ſubiectas nuptas, ac deſponſatas, ſed etiam illas, quæ in paternis domibus adhuc detinebantur, & cuſtodiebantur, quoties deprehenderen-

tur non illibatum cuſtodiſſe florem Virginitatis. Hoc clariſſimè expreſſum eſt cap. 22. Deuteron. ubi poſtquam præſcribitur pæna falſis accuſatoribus Virginum, verſu demum 20. notatur, *Quod ſi verum eſt, quod obicit, & non eſt in puella inventa Virginitas, ejicient eam extra fores domus patris ſui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur, quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui*.

V. Poteſt etiam dici, quod cum Virgo B. eſſet de ſtirpe Aaron, Cognata videlicet Eliſabeth juxta ea, quæ leguntur Lucæ 1. adeoque de genere Sacerdotum, optimè à Deo proviſum eſt, ut deſponſaretur, ne videlicet arbitrarentur homines illam ex ſtupro concepiſſe, & ſubjiceretur pænis, quas divinæ Leges præſcribebant adverſus Virgines delinquentes ex genere ſacerdotali, Levitici enim cap. 21 verſ. 9. habetur, *Sacerdotis Filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violaverit nomen patris ſui, flammis exuretur*.

VI. Adduci poſſent contra ea, quæ ex Ignatio de Diaboli ignorantia dicta ſunt, nonnullæ novi Teſtamenti authoritates præcipuè Marci cap. 1. verſ. 23. ubi narratur, *quod erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamavit dicens; Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio qui ſis, ſanctus Dei. Et comminatus eſt ei Jeſus dicens: obmuteſce, & exi de homine*. Et verſ. 34. *Et Dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum*, & cap. 3. verſ. 11. *Et ſpiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes, tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum*. Lucæ inſuper 4. verſ. 41. *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum*.

VII. Hæc, & ſimilia loca ut explicemus, atque oſtendamus, quam rectè aſſeruerint antiqui Patres noſtræ Redemptio-

ptionis myſteria abſcondita fuiſſe Diabolo, recurrimus prius ad Pauli Apoſtoli doctrinam, qui 1. ad Corinth. cap. 2. clariſſimo argumento ſuadet, ſolum Deum poſſe myſteria ſua clariſſimè cognoſcere, & ad ſolum ejus divinum Spiritum pertinere ea ſcrutari, atque hominibus patefacere; ait enim verſ. 7. *Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit, ſi enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Et poſtea: *Nobis autem revelavit per ſpiritum ſuum, ſpiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita &, quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.* Supponimus etiam cum D. Auguſtino 9. de Civit. Dei cap. 22. *quod Dæmones non æternas rerum cauſas, & quaſi Cardinales in Dei ſapientia contemplantur, ſed quorumdam ſignorum nobis occultorum majori experientia multo plura, quam homines futura proſpiciunt*, ex quibus verbis nobis innoteſcit Dæmones, cum non verum ſibi proponant finem ſcientiæ, qui eſt charitas, cum remoti, & excluſi ſint à divina viſione, ac fruitione æternæ ſapientiæ, non poſſe ea, quæ altiſſima ſunt, & profunda Dei certò ſcire, ac cognoſcere, *cum profunda Dei nemo ſciat, niſi Spiritus Dei*; poſſe tamen res ſupernaturales, quarum ignorant myſteria, majori, quam nos, perſpicacitate cognoſcere, & in effectibus indagare: cauſam iſtius celeritatis, atque activitatis à multis repetit idem Auguſtinus in lib. de natura Dæmonum, de divinatione Dæmonum cap 3. cujus verba referuntur à Gratiano in cap. Sciendum 26 quæſt. 4. *Sciendum*, inquit S. Doctor, *hanc eſſe naturam Dæmonum, ut aerei corporis ſenſu terrenorum corporum ſenſum facilè præcedant celeritate etiam, propter ejuſdem aerei corporis ſuperiorem mobilitatem, non ſolum curſus quorumlibet hominum, vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabi-*

liter vincant. Quibus duabus rebus, quantum ad aereum corpus attinet, præditi, hoc eſt acrimonia ſenſus, & celeritate motus multo ante cognita prænuntiant, vel nunciant, quæ homines pro ſenſus terreni ſurditate mirentur. Acceſſit etiam Dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protenditur rerum longe major experientia, quam poteſt hominibus propter brevitatem vitæ provenire. Per has efficacias, quas aerei corporis natura ſortita eſt, non ſolum multa futura prædicunt Dæmones, verum etiam multa mira faciunt.

En ergo, quod agilitati, celeritati, & longiſſimæ rerum experientiæ, qua præditi ſunt Dœmones, tribuit Auguſtinus facilitatem ſcientiæ, ex quo fit, ut ipſi multo promptiores ſint, quam nos ad mira inveſtiganda, & cognoſcenda. Ex hoc tamen non infertur eos rerum myſteria non ignorare, unde Ambroſius in 1. Corinthior. cap 2. ait: *Scierunt quidem ipſum eſſe eum, qui in lege promiſſus erat, myſterium tamen ejus, quo Filius Dei eſt, neſciebant.*

VIII. Ad loca adducta, & præcipuè ad cap 3. Marci non deſunt, qui reſpondeant Dœmones clamantes *Tu es Filius Dei* non ſeriò dixiſſe, ſed fictè, & tentandi cauſa, vel certè fraudulenter, & adulatoriè, ut pœnam evaderent, & ita ſupradicta loca expoſuerunt Theophilactus, & Euthymius. Nos tamen cum Tirino, & aliis Expoſitoribus fatemur eos ſeriò hoc dixiſſe, & multis miraculis convictos, quæ ad eam veritatem probandam videbant quotidiè patrari. Dœmon ex oraculis Prophetarum, & ex tot ſignis, quæ partim in Nativitate, partim in Baptiſmo Chriſti viderat, probè ſciebat ipſum eſſe Meſſiam. Audierat quoque vocem cœleſtis Patris, & teſtimonium Joannis, quod eſſet Filius Dei, ſed an naturalis filius, an ſolum adoptivus per excellentiam, anxius hærebat; unde variis modis illum tentat Matth. cap. 4 ut vel ex miraculo, vel ex miraculi impotentia certior de alterutro reddatur, ſimulque ut Chriſtum, ſi forte purus homo ſit, vel per gulam, ut olim primos parentes

Ge-

Geneſ. 3. verſ. 6., vel per diffidentiam opis divinæ, ut Moyſen, & Aaronem Numeror. 20. verſ 12., vel per vanam oſtentationem, ut Davidem 2. Reg. cap 14. verſ. 1. ex ſublimi Juſtitiæ ſtatu dejiceret. Licet inſuper Dæmones à miris illis effectibus patratis cognoviſſent Chriſtum eſſe redempturum genus humanum, ignoraverunt tamen modum, quo id facturus eſſet v. g. per Crucem, vel per mortem. Unde cum extremo illius odio flagrarent, ſimulque ſuo Regno metuerent, cui ſentiebant prædicatione, & miraculis ejus continuo detrahi, ſtatuerunt, priuſquam totum corrueret, hoſtem illius è medio tollere, quod per clientes ſuos Judæos effecerunt, ſed maximo ſuo damno, ac perpetuo exitio.

DISSERTATIO XX.

De iis, quæ pertinent ad notionem generalem Votorum Legis Evangelicæ.

CAPUT PRIMUM.

1. *Indubitati juris eſt ſolum propoſitum non ſufficere, ut quis voti reus cenſeatur. Exponitur textus in cap Litteraturam de Vot., & Vot Redempt. 2 Nudum propoſitum ad Voti validitatem non ſufficere ex eodem cap. deducitur. 3. Hæc eadem veritas valida ratione propugnatur. 4 Vera interpretatio cap Qui bona 17. quæſt 1. 5 Difficultas, quam ſibi proponit D Thomas ex Lucæ cap. 9 6 Reſponſio ejuſdem Angelici Præceptoris. 7. In deliberatione, quæ ad votum requiritur, duo debent intervenire, nempè diſcurſus, & determinatio.*

I. VOtum eſſe promiſſionem Deo factam nemo inficiari poterit, cum omnes ferè in hac communiſſima voti notione conſentiant. Quia tamen ad validitatem, & ſubſiſtentiam iſtius promiſſionis multa neceſſaria ſunt, ſingula percurremus. Et hoc indubitati juris eſſe ſupponimus, votum videlicet plenam, perfectam, atque deliberatam voluntatem requirere, atque adeò ſolum propoſitum non ſufficere, ut quis voti reus cenſeatur, ſed requiri, ut conſtantem, deliberatumque ani-

animum habeat ſe obligandi Deo in re promiſſa, quicumque divina hac promiſſione obſtrictus judicatur, quæ quidem veritas facilè innoreſcet uniquique conſideranti, quæ decreta ſunt per Summum Pontificem Alexandrum III. in cap Litteraturam hoc rit. de Voto, & Vot Redempt. Nam cum quidam Magiſter M. Abbas de Vadforden mortis timore concuſſus hæc ſecum verba proferret, non diu hic morabor, his verbis proponens ſe aliquam Religionem ingreſſurum, cum poſtea dubitaret, an eſſet obligatus ad rem, quam ſecum propoſuerat, adimplendam, & poſſet, ut tranſgreſſor judicari, ita reſcripſit Summus Pontifex. *Relatum eſt autem auribus noſtris ex parte tua, quod cum ex quadam minutione brachii tui fuiſſes pavore mortis perterritus, hæc verba tecum protuliſti, non diù hic morabor, proponens in animò, quod Religionis habitum eſſes aliquando ſuſcepturus, ſed propter frequentes infirmitates in ſuperficie corporis, quæ plurimum vitæ Religioſæ diſtrictionem impediunt, & quia indigentibus, & tranſeuntibus hoſpitalitatem exhibes, & plura ſalutaria impendis, quod concepiſti olim in animo, opere nondum impleviſti, ac per hoc dubitas, ne pro facta ſide voti in diſtricto debeas examine conveniri. Licet autem prudentiam tuam latere non credamus, quid Canones in hujuſmodi ſtatuant, tibi tamen conſulenti reſpondemus breviter, quod ſentimus, præſentium ſignificatione mandantes, quod ſi plus non es progreſſus in voto, quam prædiximus, tranſgreſſor judicari non poteris etſi non impleas, quod dixiſti.*

II. Hæc quidem verba clariſſimè nobis inſinuant ſolum, ac nudum propoſitum non ſufficere ad voti validitatem; nam Summus Pontifex judicavit, quid timore mortis perterritus proferens hæc verba, *non diu hic morabor*, & ea referens ad ingreſſum Religionis, ſi non eſt ultra progreſſus, non debet cenſeri tranſgreſſor; igitur aliquid aliud deſideratur ad ſubſiſtentiam voti præter horum verborum prolationem, & cum hæc prolatio ſolum enunciet propo-

ſitum,

ſitum, & præter propoſitum requiritur firma voluntas ſe obligandi, manifeſte colligitur ſolum propoſitum ad Voti validitatem non ſufficere.

III Deinde experientia, quæ veluti omnium humanarum actionum magiſtra cognoſcitur, facile deprehendi poteſt vota, quibus Deo obſtringimur, & obligamur in ſolo propoſito non conſiſtere, nam poſſumus quidem rem aliquam faciendam nobis proponere, poſſumus aliquos Chriſtianæ virtutis actus in poſterum exercendos decernere, quin promittamus, & obligari velimus ad illos faciendos, quemadmodum poteſt quis proponere ſe daturum Principi munus pretioſum in recognitionem excellentiæ, atque in teſtimonium obſequii erga Principis majeſtatem, quin intelligatur obligari ad tale munus offerendum; ita à pari, cum votum ſit deliberata promiſſio facta Deo de meliori bono, & inducat obligationem exhibendi ipſi Deo id, quod promiſimus, jam non in ſolo animi propoſito conſiſtet, ſed requiret inſuper voluntatem ſe obligandi per illam actionem, quæ materia voti nuncupatur. Nam ideo voti tranſgreſſor gravis culpæ reus judicatur, quia non tantum omiſit, quod facere propoſuit, cum poſſet non proponere, ſed quia omiſit id, ad quod faciendum ſe obligavit, cum poſſet ſe non obligare. Ex quibus colligitur poſſe à nobis concipi animi propoſitum circa operationes laude dignas abſque voluntate obligationis ad illas operationes exercendas. Colligitur etiam hoc intereſſe diſcriminis inter propoſitum, & votum, quod ſcilicet hoc ſit animus conſtans ſe obligandi ad aliquid faciendum, illud vero ſit voluntas aliquid faciendi, & unum ſine altero concipi poſſe, cum poſſit reperiri in homine voluntas aliquid faciendi, quin ille animum habeat ſe obligandi ad id, quod vult. Deinde verba, quibus animi noſtri propoſitum ſignificatur, nullam per ſe inducunt obligationem faciendi id, quod proponimus, niſi antea alio titulo ad illud ſimus obli-

bligati; verba autem, quibus votum ſolet concipi, talem ſemper obligationem important, adeoque ut vota ſubſiſtant, non ſolum animi propoſitum neceſſe eſt intercedat, ſed requiritur animus conſtans, quo velimus illa actione obligari.

IV. Neque dicas ex textu in cap. Qui bona 17. quæſt. 1. eos, qui ſunt inconſtantes in propoſito, appellari transgreſſores apud Deum, cum ibidem Gregorius I. lib. 1. in Ezechiel. lib. 1. hom. 3. dicat. *Qui bona agunt, ſi meliora agere deliberant, & poſt deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perſeverent, in conſpectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione*, non inquam hæc dicas, nam in hoc textu Gregorius Pontifex, quamvis loquatur de propoſito, in illo tamen non aſſeverat votum conſiſtere, quod clariſſimè oſtendunt primò verba ipſius textus, habetur enim ibidem, *licet in bonis prioribus perſeverent, in conſpectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione:* ſi autem deliberatio hic pro voto ſumeretur, graviter peccaret ille, qui inconſtans reperiretur in tali deliberatione, & ſic cadens non poſſet dici perſeverare in bonis prioribus. Sumitur ergo hic deliberatio pro ſimplici tantum propoſito, non autem pro voto, & qui in tali deliberatione non perſeverant, ideo dicuntur apud Deum cadere, non quia mortaliter peccent, ſed quia cum propoſuiſſent aſcendere ad ulteriorem perfectionem, hoc non adimplevere, non perficere autem, deficere eſt. Propoſitum ergo, ut votum dici debeat, requirit animum ſe obligandi, & licet laudentur, qui ſunt in propoſito conſtantes, & homines ſoleant magnis encomiis efferre,

Juſtum, & tenacem propoſiti virum,

licet ſoleant reprehendere inconſtantes in propoſito, nunquam tamen ex eo deducitur propoſitum plenè votum eſſe; ſed potius votum includere propoſitum, & voluntatem ſe obligandi.

V.

V. Non eſt etiam hic omittenda illa difficultas, quam ſibi proponit Angelicus Præceptor 2. 2. quæſt. 88. art. 1 §. 3. videlicet Dominus dixit Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retro aptus eſt Regno Dei*. Sed aliquis ex hoc ipſo, quod habet propoſitum benefaciendi, mittit manum ad aratrum; ergo ſi aſpiciat retro deſiſtens à bono propoſito, non eſt aptus Regno Dei, ex ſolo ergo bono propoſito aliquis obligatur apud Deum, etiam nulla promiſſione facta, & ita videtur, quod in ſolo propoſito voluntatis votum conſiſtat.

VI. Huic quidem difficultati clariſſimè reſpondet idem S. Doctor §. ad tertium. Quod ille, qui mittit manum ad aratrum, jam facit aliquid, ſed ille, qui ſolum proponit, nondum aliquid facit, ſed quando promittit, jam incipit ſe exhibere ad faciendum, licet nondum impleat, quod promittit, ſicut ille, qui ponit manum ad aratrum, nondum arat, jam tamen ponit manum ad arandum. Ex qua reſponſione facile colligimus ſolum, ac nudum propoſitum multum diſtare à voto, quamvis hoc etiam propoſitum includat.

VII. Ne tamen aliquis error ſuboriatur in diſtinguendis iis, quæ ad votorum eſſentiam pertinent, & ut benè percipiamus illa non temerè, non inconſultò debere emitti, ſed maturam animi noſtri deliberationem expoſcere, conſiderandum nobis eſt in deliberatione illa duo neceſſaria intervenire, nempe diſcurſum, & determinationem, diſcurſum quidem, nam cum humanæ actiones, quæ ex plena, perfectaque libertate proveniunt, illud exigant, ut priuſquam fiant, intellectui repræſententur, cujus munus eſt [cum agitur de uno præ altero eligendo] res cognitas inter ſe conferre, deinde voluntari proponere, ut ſcilicet ad illa, quæ magis placuerint, ſe moveat, ac determinet. Multo juſtius in voto diſcurſus, atque determinatio expoſcitur, illud enim eſt promiſſio Deo facta de bono meliori, adeo-

que

que debet prius intellectus bonum cum bono comparare, & illis voluntati propoſitis requiritur, quod hæc ad unum potius, quam ad alterum ſe moveat, unum potius, quam alterum eligat, ad illud ſe determinet; quæ omnia cum reperiri non poſſint in actionibus indeliberatis, & quæ inconſulto, & temerè fiunt, nihil mirum, quod Summi Pontifices ſuis Sanctiſſimis Decretis definierint nullam vim habere ad obligandum illa vota, in quibus ſolum nudum propoſitum reperitur.

CAPUT SECUNDUM.

Nemo poteſt vovere id, quod eſt in alterius poteſtate.

1. *Divi Thome Doctrina proponitur.* 2. *Exponitur Numeror cap. 30 verſ. 4 & Can. Mulier 32 quæſt 2.* 3. *Non licet Monacho vovere abſque Abbatis licentia.* 4. *Mulier non poteſt quidquam vovere, niſi viri accedat conſenſus* 5 *Si mulier vota permittente viro emiſit, ſi ille poſtea prohibeat, eadem vota ſervare non tenetur?* 6. *Hæc concluſio extenditur ad vota omnium ſubditorum emiſſa cum ſuperiorum conſenſu, & ab iiſdem revocata.* 7. *Cum ſuperior ſubdito ſuo concedit, ut aliquid voveat, tunc materia voti non eſt in poteſtate ipſius ſubditi quoad omnem uſum, ſed tantum quoad illum, propter quem conceditur.* 8. *Subditi non tenentur ad vota, quæ ſuperioribus conſentientibus emiſerunt, ſi per illos poſtea fuerunt retractata.* 9. *Subditus non obligatur ad votum ſemel retractatum, etiamſi ceſſet poteſtas retractantis. Exponitur cap. Quidam De Converſione Conjugatorum.* 10 *Quæ ſemel ſunt Deo à nobis promiſſa, non poſſunt propria authoritate permutari, niſi in evidenter melius mutentur,* 11. *Qui rem mutat in evidenter*

ter meliorem, non eſt violator voti. 12. Omne votum poteſt propria authoritate mutare in votum Solemne Religionis. 13. vota, quorum redemptio, vel permutatio pertinet ad Eccleſiæ Paſtores, ſolent ab ipſis vel redimi eleemoſynis vovention, vel in aliud pium opus permutari.

I. EX ſupra tradita doctrina duplicem ad Votum poteſtatem requiri colligimus, unam videlicet intrinſecam, ut actus ſit deliberatus, firmus, ac conſtans, & dicatur procedere ab homine in plena libertate conſtituto, qui comparatis inter ſe bonis unum præ altero voluit eligere, & ad illud ſe determinavit, extrinſecam alteram ex parte ipſius materiæ voti provenientem, & requirentem, ut res, quæ Deo offertur, proprii, non alieni ſit dominii, neque ab alterius voluntate dependeat. Hinc D. Thomas loco cit. art. 8. §. Reſpondeo dicendum, ait, quod cum votum ſit promiſſio Deo facta, &c. nullus poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id, quod non eſt omnino in ſua poteſtate. Quicumque autem eſt ſubiectus alicui, quantum ad id, in quo eſt ſubiectus, non eſt ſuæ poteſtatis facere, quod vult, ſed dependet ex voluntate alterius, & ideo non poteſt ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubiicitur ſine conſenſu ſui ſuperioris.

II. Hoc veluti univerſali principio retento benè percipiemus, quæ in Sacris Litteris, & quæ in Decretis Summorum Pontificum, ac veterum Patrum circa ſubditorum vota nobis tradita ſunt, et veluti manu ducemur ad ipſam divinarum Legum juſtitiam cognoſcendam. Et quidem de puella ſub patria poteſtate conſtituta ita ſancitum eſt Numer. cap. 30. verſ. 4. *Mulier ſi quidpiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari; ſi cognoverit pater votum, quod pollicita*

eſt,

eſt, & juramentum, quo obligavit animam ſuam, & tacuerit, voti rea erit. Quidquid pollicita eſt, & juravit, opere complebit; ſin autem ſtatim ut audierit, contradixerit pater, & vota, & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni eo, quod contradixerit pater. Citatur à Gratiano in cap Mulier 32. quæſt. 2. De voto continentiæ non emittendo ab uno ex Conjugibus ſine alterius conſenſu. Cavetur in Can. Una ſola 33. quæſt. 5. ubi D. Auguſtinus epiſt. 45. ut vult Pithæus ad Armentarium, Riparium, & Paulinam ſic ait: *Una ſola cauſa eſſe poteſt, quæ te id, quod voviſti, non ſolum non hortaremur, verum etiam prohiberemur implere, ſi forte tuo conjux hoc tecum ſuſcipere animi, ſeu carnis infirmitate recuſaret: nam & vovenda talia non ſunt à Conjugatis, niſi ex conſenſu, & voluntate communi, etſi præpropere factum fuit, magis eſt corrigenda temeritas, quam perſolvenda promiſſio. Neque enim Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid voverit, ſed potius uſurpare vetat alienum.*

III. Non licere Monacho vovere abſque ſui Abbatis licentia expreſſum eſt in Can. Monacho 20. quæſt. 4. Dicitur enim *Monacho non licet votum vovere ſine conſenſu Abbatis ſui, ſi autem voverit, frangendum erit.*

IV. In cap. Noluit itaque lex 33. quæſt. 5. cum aliis antecedendibus ſtatutum reperimus, quod cum vir ſit mulieris caput, & oporteat illam obtemperare voluntati ejuſdem, manifeſtè convincitur non poſſe quidquam vovere, niſi viri accedat authoritas, & conſenſus, quod quidem caput ex D. Auguſtini operibus deſumptum eſt, præcipuè ex quæſtionibus Numeror. quæſt. 59.

V. Celebris eſt ejuſdem Sancti Doctoris authoritas ex ſupradictis quæſtionibus deducta, & relata à Gratiano in Can. Manifeſtum 33 quæſt. 5. qua quidem probat non tam Gratianus, quam ipſi Pontificii Juris Interpretes, quod ſi mulier vota permittente viro emiſit, ſi ille poſtea prohibeat, votum ſervare non tenetur.

VI.

VI. Hæc concluſio extendenda eſt ad vota omnium ſubditorum emiſſa cum ſuperiorum conſenſu, & ab eiſdem revocata, in qua dilucidanda attentè legendus eſt Emin. Cardinal. Caietanus in ſuis Commentariis ad ſecunda ſecundæ, quæſt. 88. art. 8. §. Num ſubditus, ubi propoſitæ veritatis reſolutionem ab hoc firmiſſimo principio repetit, quod cum conſenſus, vel diſſenſus ſuperioris in voto ſubditi materiam ipſius voti reſpiciat, hæc, quia non eſt ipſius voventis, ſed ſuperioris, non poteſt eſſe materia ſubditi, nullus enim poteſt Deo obligare, quod ſuum non eſt.

VII. Conſiderandum inſuper eſt, quod cum ſuperior ſubdito ſuo concedit, ut aliquid vovet, puta eleemoſynam, vel aliquid ſimile, tunc actum illum transfert ad dominium voventis, & materiam voti conſtituit; quæ quidem materia non eſt ad libitum ipſius voventis, cuicumque uſui aptabilis, ſed huic tantummodo, ut exhibeatur Deo, quod explicatur clariſſimo exemplo. Supponamus, quod uxor, viro conſentiente, & filius familias patre approbante, ſerica domus ornamenta Deo voveant, ut citius ab aliqua gravi infirmitate liberentur, manifeſtum eſt prædicta illa ornamenta per conſenſum viri, patriſque approbationem fieri uxoris, ac filii non ad omnes uſus, ſed ad unum tantum, ut Deo offerantur, & Eccleſiæ pompæ deſerviant, quando enim illa, quæ noſtri dominii ſunt, alteri tribuimus, non quidem abſolutè, ſed ad unum ſolum actum res illa non evadit alterius, niſi actus exerceatur, quamadmodum ſerica domus ornamenta filio familias, ac uxori permiſſa in voti materiam ipſis non competunt, niſi ut Deo offerantur, non enim talis permiſſionis vigore aut alicui donari, aut vendi poſſunt, cum præter illum actum ſacræ oblationis, plenum, atque integrum rei dominium apud ſuperiorem reſidere intelligamus, & quicumque ad alium uſum rem ſic conceſſam transferret, uſurpator rei alienæ cenſeretur.

VIII. His jactis fundamentis non obſcurè dignoſcitur,

quam

quam juſtè ſacri Canones definierint non teneri ſubditos ad vota, quæ ſuperioribus ;conſentientibus emiſerunt, ſi illa per eoſdem fuerint retractata, nam quamvis gravis peccati reus ſit ſuperior, eo quod rem, quæ ſua erat, & ex permiſſione ſubdito concedebatur, ut Deo offerretur, iterum repetat aburens dominio ſibi conceſſo, quod voto ſubditi erat obligatum, non tamen reprehenſibilis erit ſubditus, ſi non adimpleat, quod conſenriente ſuperiore promiſit, illo poſtmodum renuente, ac materiam voti retractante. Nam materia voti jam emiſſi non erat ſubditi quoad omnem actum, ſed tantum quo ad illam exhibitionem, qui actus ſi retractetur, non habet amplius ſubditus, quod poſſit offerre.

IX. Multa alia etiam nobis conſideranda occurrunt, quæ a ſupratraditis principiis deducuntur, inter quæ illud maximè advertendum, quod ſubditus non obligatur ad votum ſemel per ſuperiorem retractatum, etiamſi ceſſet poteſtas rerractantis, ſed voto ſemel retractato, intelligitur omninò ſolutus, niſi voveret pro illo tempore, in quo eſſet ſuæ poteſtatis, quæ quidem concluſio validiſſimè firmatur per text. in cap. Quidam de converſione coniugatorum, in quo ſummus Pontifex Alexander III. Piſano Archiepiſcopo ſic reſpondit. *Quidam intravit monaſterium invita uxore, eadem ipſum repetente, coactus eſt ad eam redire: eamortua quæris, an ipſe cogatur ad monaſterium redire, an aliam poſſit ducere uxorem? Quaſtioni tuæ taliter reſpondemus, quod votum non tenuit, unde ratione voti non tenetur ad monaſterium redire. Ulterius vero non poteſt uxorem accipere, promiſit enim ſe non exigere, quod in poteſtate eius erat, & ideo tenuit votum; non reddere non erat in eius poteſtate, ſed in poteſtate mulieris, unde Apoſtolus: Vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier.* Ex hac ſummi Pontificis Decrerali duo nobis innoteſcunt; primum eſt non reviviſcere voti obligationem, etiamſi deficiant illi, quorum

poteſtate retractatum fuerat, & hinc virum, qui religionem erat ingreſſus, & uxore reclamante ad ſæculum redierat, non teneri ad relegionem obtenta uxore. Alterum eſt, quod quando vota, quæ emittuntur, talia ſunt, ut illorum materia partim ſit in poteſtate noſtra, partim in aliena, deficiente eo, qui votum retractavit, non teneri quidem nos ad ea, quæ ab ejus pendebant arbitrio, & quæ ſine illius præjudicio promitti non poterant, & adimpleri, teneri tamen ad illa, quæ noſtræ ſunt poteſtatis, & quæ alieno arbitrio præjudicium non inferunt. Hinc quia vir per ingreſſum religionis aliqua promiſerat, quæ ſolam ejus voluntatem requirebant, aliqua vero, quæ deſiderabant uxoris conſenſum, ſi reclamante uxore ad ſæculum fuerit revocatus, per mortem uxoris non remanſit liber à voto caſtitatis, quamvis remanſerit liber ab obligatione manendi in Religione, non inquam remanſit liber à voto caſtitatis, quia non exigere debitum ab ejus ſolum arbitrio dependebat, adeoque non poterat ab uxore retractari, cum nullum ei præjudicium inferret; manere autem in Religione non erat in ejuſdem viri poteſtate, ſed requirebat uxoris conſenſum, cui per abſentiam, & ſeparationem viri præjudicium afferebatur.

X. Sed quemadmodum, quæ alterius ſunt poteſtatis, non poſſunt eſſe apta voti materia, niſi expreſſus illius accedat conſenſus, ita cum votum ſit promiſſio facta Deo de meliori bono, non tantum certum eſt excludi à voti materia rem omnem peccaminoſam, ac malam, ſed etiam quæ ſemel ſunt Deo à nobis promiſſa non poſſe propria authoritate, aut irritari, aut permutari, niſi in evidenter melius permutentur: unde D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 12. §. Reſpondeo, ex ſupradicto principio ſic concludit: *Votum eſt promiſſio Deo facta de aliquo, quod ſit Deo acceptum. Quid autem ſit in aliqua promiſſione acceptum ei, cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Prælatus autem in Eccleſia gerit vicem Dei, & ideò in commutatione, vel diſpenſatione votorum*

torum requiritur Prælati authoritas, qui in Perſona Dei determinat, quid ſit Deo acceptum ſecundum illud 2. Corinth. 2. Nam & ego quod donavi propter vos in perſona Chriſti, & ſignanter dicit propter vos, quia omnis diſpenſatio petita à Prælato debet fieri ad honorem Chriſti, in cujus Perſona diſpenſat, vel ad utilitatem Eccleſiæ, quæ eſt ejus corpus.

XI Adjuncta eſt illa exceptio, *niſi in evidenter melius permutetur*, nam ut optimè in hoc D. Thomæ commentario, §. ad hujus evidentiam obſervat Cajetanus, quando evidenter conſtat gratius eſſe Deo opus, in quod commutatur, quam id, quod eſt promiſſum, non eſt violator voti, qui promiſſum mutat in melius, quemadmodum ſi quis promiſiſſet Regi ſe daturum argenteam coronam, & ſciens gratiſſimum illi fore, ſi loco argenteæ offerret auream, non deberet exiſtimari violator promiſſi, ſed magis laudari ob majus obſequium præſtitum Regiæ Majeſtati in illa commutatione.

XII. Hinc Sacri Canones ſanctiſſimè ſtatuere poſſe omne votum propria authoritate in votum ſolemne Religionis permutari cap Scripturæ de Voto, & Voti Redempt cap Pervenit de Jure jurando, cap. Admonere 33. quæſt. 7. cap Deſponſatam, cap. Agathoſa, cap. Scripſit 27. quæſt. 2. Votum enim Religionis acceptabilius eſt Deo cæteris votis, cum ſtatus Religionis ſit aliis perfectior, Trid ſeſs. 24. de reform. cap. 6. & 10. Et dirigitur ad Charitatem, quæ eſt prima virtus, cæterarum baſis, & fundamentum, cap. Charitas 12. de Pænitentia diſtinct. 2. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 184. art. 1. quæſt. 2.

XIII. Illa autem vota, quorum Redemptio, vel permutatio ad Eccleſiaſticos Paſtores attinet, ſolent ab ipſis, vel eleemoſynis voventium redimi, vel in aliud opus permutari. Expreſſus textus eſt in cap. 1. hoc titulo, ubi Summus Pontifex Alexander III. ſic reſcripſit Exonienſi Epiſcopo. *De Peregrinationis votis, an eleemoſynis redimi poſſint, vel aliud pro neceſſitate impleri, tibi reſpondemus, quod ab*

 ejus,

ejus, qui præſidet, dependet arbitrio, at conſideret diligentius, & attendat qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis, ſcilicet an id ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum contingat, utrum peregrinatio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta, & ſecundum hoc debet inde diſpenſare. Ex cap. Etiam magnæ devotionis hoc tit. deducunt communiter Interpretes poſſe Pontificem juſta ex cauſa commutare votum peregrinationis ad Terram Sanctam in eleemoſynas, jejunia, & ſimilia opera.

DISSERTATIO XXI.
DE SACRIFICIIS.

CAPUT PRIMUM.

Explicantur voces, quæ adduci ſolent ad Sacrificium exprimendum, & quid illud ſit indicatur.

1. *QUæ diverſitas inter Victimam, Hoſtiam, Holocauſtum, & Sacrificium, & primò quid apud Latinos Victima* 2. *Unde Holocauſtum dicatur.* 3 *Quæ, & unde Hoſtia; hinc de Hoſtia pacifica, & gemina ejus acceptione.* 4. *Aliæ proponuntur differentiæ inter Hoſtiam, & Victimam.* 5 *Quæ Præcidaneæ, quæ Succidaneæ.* 6 *Quare eximiæ dictæ, & undè Bidentes.* 7 *Quid ſit Sacrificium, & an ejus nomen puris veterum oblationibus, necnon illorum Decimis propriè ſit tribuendum?* 8 *Religioſiſſimi multarum virtutum actus verum Sacrificii nomen ſibi vendicare non poſſunt* 9 *De interno animi Sacrificio, & quomodò hoc conjungi debeat cum externo* 10. *Cum uni Deo Sacrificium offerendum ſit, manifeſtè apparet, cur in Sanctorum honorem inſtitui nequaquam poſſit.*

I. CUm Homines Religione Divinæ Majeſtati obſequantur, & inter actus Religionis Sacrificium etiam reponatur, meritò illius explicationem aggredimur. At quoniam aliquæ ſunt voces, quarum vim, ac naturam ſi ignoraremus, obſcuriores profectò redderemur in explicatione hujus tam amplæ materiæ, ideò in illarum propria ſignificatione inveſtiganda aliquantulum morabimur. Solent aliquando ad exprimendos actus Religionis, quibus ſupremum divinæ majeſtatis dominium recognoſcimus, hæ voces indifferenter uſurpari, nempe *Victima*, *Hoſtia*, *Holocauſtum*, *Sacrificium*, quæ quamvis ad unum, eumdemque finem tendant, diverſam tamen ſignificationem habent; Victima enim apud Latinos illud ſolet Sacrificium indicare, quod è bello victores redeuntes Imperatores peragebant, hinc Ovidius primo Faſtorum:

Victima, quæ dextrâ cecidit victrice, vocatur.

Quo in ſenſu intelligendus eſt etiam Virgilius 2. Georg.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima Taurus
Victima ſepè tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad Templa Deum duxere triumphos.

II. Holocauſtum à verbo *Holocautò* oritur, quod idem eſt, ac integram Victimam comburo, & propriè dicebatur illud animal, quod integrum comburebatur extis detractis.

III. Hoſtia autem, ſi naturam vocabuli propius inſpiciamus, erat illud, quod ab Imperatore exercitus immolabatur, cum adverſus hoſtem eſſet exeundum, ut res bellicæ proſperè ſuccederent, ſivè erat id, quod victis jam, ac profligatis hoſtibus immolabatur; undè Ovidius primo Faſt.

Ho-

Google

Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Ad iſtius fortaſſe vocabuli diſtinctionem illud Sacrificium, quod prò ſalute, & pace, ſivè prò quocumque beneficio obtinendo offerebant, hoſtia pacifica dicebatur, pacem verò omnia indiſtinctè comprehendere docet Servius ad illud Virgilii 4. Georg.

tu munera ſupplex
Tende petens pacem.

Hoſtia pacifica duplex erat; una gratiarum actionis prò beneficiis acceptis; altera precationis pro beneficiis obtinendis; ſivè quædam erat votiva ad ſolutionem voti, quo quis obſtringebatur; quædam verò ſpontanea in teſtimonium pii, atque humilis obſequii, & reverentiæ erga Deum.

IV. Putant aliqui doctiſſimi Viri hoc diſcriminis intereſſe inter Hoſtiam, & Victimam, quod Hoſtia poſſit à quovis Sacerdote immolari, Victima autem ab eo tantùm, cujus dexterà hoſtes eſſent profligati. Alii Victimam exiſtimant ita dictam, eo quod vi ictus percuſſa caderet. Feſtus verò Hoſtiam docet eſſe Sacrificium, quod Laribus immolabatur, ut ab iis longe arcerentur hoſtes; & hinc Lares Hoſtioli dicti ſunt: Et quidem quemadmodum Genium mero, Penates nidore, ita Larem igne venerabantur Gentiles. Platus in Aulularia; *Hæc imponentur in foro noſtro Lari.* Et Cato de re ruſtica cap. 143. *Villica focum purum circumverſum, priuſquam cubitum eat, abeat Kalend. Idibus, Nonis, feſtus dies cum erit coronam in focum indat perque eos dies lari familiari pro copia ſupplicet.* Ovidius 3. Amorum Ælegia 3.

Et quiſquam pia Thura focis imponere curet.

Juvenalis Satyra 9.

O parvi, noſtrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Julius quoque Capitolinus in vita Pertinacis inter mala omina imperii illius recenſet, quod *cum apud lares ſacrificaret, carbones vivaciſſimi extincti ſunt.*

V. At quoniam de Hoſtiis egimus, non parum eruditionis afferet, ſi exponamus quam varias appellationes illæ ſortitæ ſint apud Veteres juxta varios uſus, ad quos adhibebantur, erant enim Præcidaneæ, & Succidaneæ Hoſtiæ littera *e* in *i* mutata. Præcidaneæ Hoſtiæ illæ dicebantur, quæ erant veluti preparatio quædam ad ſolemne Sacrificium, & quæ pridiè mactabantur; hinc Præcidanea Agna dicta eo quod ante alias cæderetur: unde Gellius, quem citat Lilius Gregorius Giraldus ſintagmate 17. de Diis Gentium titulo de Sacrificiis; *Præcidaneæ*, inquit, *Hoſtiæ, quæ ante Sacrificia ſolemnia pridie cædebantur*. Succidaneæ ſive Succedaneæ Hoſtiæ ita dictæ, eo quod primis ſuccederent, & quia luendi piaculi gratia prioribus jam cæſis ſubdebantur, quas quidem videtur innuere Virgilius 3 Æneidos

Rurſum in ſeceſſu longa ſub rupe cavata
Arboribus clauſi circum, atque horrentibus umbris
Inſtruimus menſas, Ariſque reponimus ignem.

Quo in loco Servius *ſane ſciendum*, inquit, *iterationem hanc fieri ſecundum ritum ſacrorum, nam diſplicuiſſe primam prodigiis indicatur: Quidam etiam has auctas Hoſtias dixerunt, quoniam cum primis Hoſtiis non litatum eſſet, tunc & aliæ addebantur*.

VI. Erant inſuper apud Veteres Hoſtiæ Eximiæ ita dictæ, eo quod ad Sacrificium deſtinatæ eximerentur è grege, vel quod eximia ſpecie quaſi offerendæ Numinibus eligerentur, & hinc illud Virgilii.

Quatuor eximios præſtanti corpore Tauros.

Eximios, inquit ibidem Macrobius, *quod eximuntur, quod vero lecti præſtantes corpore dictum eſt*. Fuere etiam apud Veteres Bidentes Hoſtiæ, in cuius vocabuli ſignificatione diutius hærent latini ſermonis Interpretes. Præ cæteris nobis arridet Servii expoſitio ad illud Virgilii 4. Æneidos,

Principio delubra adeunt, pacemque per Aras
Exquirunt, mactant lectas de more Bidentes.

Bi-

Bidentes autem, inquit, *dictæ ſunt Hoſtiæ quaſi Biennes, quia neque minores, aut majores licebat Hoſtias dare. Sunt enim in beſtiis*, vel, ut alii legunt, *ovibus, duo eminentiores dentes inter octo, qui non niſi circa bimatum apparent, nec in omnibus, ſed in his, quæ aptæ Sacrificiis inveniuntur. Bidentes igitur primum dictæ ſunt quaſi Biennes, longo uſu loquendi corrupta eſt vox, & ex Biennibus, Bidentes dictæ.*

VII. Sed ne videamur ab inſtituto noſtro diſceſſiſſe, dicamus jam quid Sacrificii nomine ſignificetur, & undè hoc vocabulum deſumptum; *ſacrificare*, inquit Socrates in Euthyphrone, *eſt munera Diis offerre, ut vovere, à Diis petere*. Quæ expoſitio licet aliquà ex parte declaret actionem illam Sacrificii, qua homines per res ſenſibiles, atque exteriores divinæ Majeſtati obſequuntur, non tamen admittetur ab iis, qui puriori oculo divinarum rerum notitiam attigerunt, cum, ut infrà explicabitur, non omnis oblatio Deo ab hominibus facta poſſit Sacrificium appellari, quamvis omne Sacrificium vera oblatio ſit.

Angelicus Præceptor ſecunda ſecundæ quæſtione 85. articulo 3. ad tertium dicit, *quòd Sacrificium dicitur ex hoc quòd homo facit aliquid ſacrum*, & quòd ſacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid operamur; ſic animalia occidebantur, & comburebantur, ſic panis frangitur, comeditur, benedicitur: Oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiam ſi nihil circà rem oblatam operemur; & hinc manifeſtè cognoſcitur omne Sacrificium oblationem eſſe, non verò omnem oblationem poſſe Sacrificium nuncupari, nam, ut demum concludit, *Primitiæ oblationes ſunt quià Deo offerebantur, ut legitur Deuteronomii 26. non autem ſunt ſacrificia, quia nihil ſacrum circà eas fiebat, Decimæ autem propriè loquendo non ſunt Sacrificia, neque oblationes, quià non immediatè Deo, ſed miniſtris divini cultus exhibentur.*

VIII. At ne deſideraremus uberiorem iſtius nominis expo-

ſitio-

ſitionem, & illius naturam, ac proprietates ignoraremus, paulò ante clariſſimè nobis expreſſerat idem ſanctus Doctor §. ſic ergò, quòd ſacrificium eſt *quidam ſpecialis actus laudem habens ex hoc, quod in divinam reverentiam fit, propter quod ad determinatam virtutem pertinet, ſcilicet ad Religionem.* Quæ quam manifeſta, quam vera ſint, ex eo conſtat, quod ſæpe contingit, ut multarum virtutum actus in divinum honorem, reverentiamque altiſſimæ Majeſtatis dirigantur, nec ideo proprie Sacrificia dicuntur, cum etiam ex alio motiva ſuam laudem ſortiantur; ſic pauperum ſublevatio, afflictio corporis ob divinum honorem per quamdam Analogiam, ſive participationem Sacrificia appellari poſſunt, non autem proprie, & rigoroſe, cum præter motivum divinæ reverentiæ aliam laudem obtineant; actus autem, qui non habent ex alio laudem, niſi quia fiunt propter reverentiam divinam, proprie ſacrificia dicuntur, & pertinent ad virtutem Religionis.

IX. Conſiderandum inſuper eſt hoc obſequium erga divinam majeſtatem variis poſſe à nobis modis exhiberi, prout varia ſunt bona, quæ in iſtius obſequii pignus, ac ſubjectionis noſtræ teſtificationem ſolent offerri. Vel enim offeruntur bona animæ per orationem, ac devotionem, aliosque internos actus, quæ quidem oblatio juxta ejuſdem Angelici Doctoris doctrinam principale eſt ſacrificium, ad quod cætera exteriora ordinantur, vel offeruntur bona corporis per martyrium, & continentiam; vel denique bona hæc exteriora. Omnia ergo Sacrificia, quæ exterius peraguntur, internum denotant, ſpiritualeque Sacrificium, quo Anima ſe ipſam offert Creatori ſuo, a quo habet, quidquid illa eſt, à quo obtinuit, quidquid habet, à quo ſperat, quidquid eſt deſiderandum.

X. Ex quo quidem principio clariſſime infertur ſolum Deum illum eſſe, cuius Majeſtatem, divinamque Potentiam Sacrificiis oporteat venerari. Hinc Exodi 22. verſ. 20 Do-

mino

mino ſoli jubentur immolari, nulla eſt enim alia tam excellens natura, cui Anima noſtra debeat eſſe ſubiecta, Hinc Judicum cap 13 verſ 15. & 16. cum Manue, cui naſciturus Samſon ab Angelo prænunciabatur, eumdem Angelum ſic invitaſſet, *obſecro te, ut acquieſcas precibus meis, & faciemus tibi hædum de Capris*, ſtatim hiſce verbis admonitus eſt, *ſi me cogis, non comedam panes tuos, ſi autem vis Holocauſtum facere, offer illud Domino*, ſignificans nullum eſſe præter Dominum, cui Sacrificia debeant offerri, maximamque irrogari divinæ Majeſtati injuriam, ſi honorem illi tribuendum ad alios transferamus.

Hinc quamvis licite a nobis beatiſſimi illi Spiritus, cæterique cœleſtis Jeruſalem Cives invocentur, tamquam cohæredes noſtri, quorum miniſterio ad Chriſtum, & ad Patrem orationes noſtræ deferuntur, non tamen eis Sacrificia inſtituimus, ut oſtendamus illius tantummodo imperio, atque arbitrio animas noſtras eſſe ſubiectas, qui Angelis imperat, ut nos conſocient, utque in adverſis caſibus tueantur. *Non conſtituimus Martyribus templa, ſacerdotia ſacra, & ſacrificia, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus*, verba ſunt Auguſtini 8. de Civitate Dei, quem refert D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 85. articulo 2. ad tertium, unde etiam Tridentina Synodus ſeſſ. 22. cap. 3. docet quod, *quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illis ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere ſolet, offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam facimus in terris.*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Sacrificiorum origo non ab alio fonte, quam à lege naturæ eſt repetenda.

1. *Mundi conſpiratio, quæ ad Dei contenplationem impellit, ad illius etiam obſequium trahit.* 2. *ſenſibili homo Deum veneratur modo, quia ſenſibilem illius habet congnitionem.* 3 *Ipſum quoque nomen Religionis de ſenſibili hominis in Deum obſequio clariſſimam reddit rationem.* 4. *Ingens Dæmonum de Sacrificiis ſibi inſtituendis ſtudium ſatis declarat hæc uni tantum Deo eſſe tribuenda* 5 *Primorum Fratrum ipſiuſque Noe ſacrificia manifeſtiſſime indicant, tum ipſis Sacrificii legibus pervetuſtiora fuiſſe, tum non niſi à natura modum divinæ obſequendi Maieſtati illis proveniſſe.* 6. *Traditio Hebræorum affertur de Adami Sacrificio in ipſo ſuæ Creationis loco* 7. *Ritus veterum Ablutionum non vulgare aliquid apud Gentes, ſed divinum haberi Sacrificium demonſtrat.* 8. *Quanta corporis, animique munditiès ſacra facturis requireretur à Gentibus, patet Numæ, aliorumque præclariſſimis exemplis, nec non Poetarum oraculis; hinc etiam ex magna apud illos Sacrificiorum æſtimatione Templa ædificata, erectæ Aræ, Sacerdotes inſtituti, ritus promulgati.* 9. *Sacerdotes à Numa conſtituti Flamines appellantur, & quare? Unde etiam Flamines Diales? &c.* 10 *Tanta fuit ſacerdotalis dignitas, ut regiæ conjungeretur Majeſtati.* 11. *Pontifices à Numa creantur. Quare ſic dicti? Inde de Pontifice maximo ab ipſomet Numa paulo poſt declarato, deque ipſius officio. Quomodo Imperatores hunc ſibi titulum adſciverint, & cui, ſi plures potirentur imperio, tribuendus eſſet? Quoaduſque tempora in Imperatoribus duraverit, & in quo, & qua de cauſa defecerit.*

I. Quam-

I. QUamvis modus Deum colendi variis fuerit legibus definitus, Sacrificiorumque ritus, ac formæ variæ apud varias Gentes retentæ, tamen, ut inquit Ariſtoteles 5. Ethic. *Cultus Dei, non ab alio fonte, quam à natura rerum omnium parente fuit introductus*. Opus quidem fuit, ut aliqui eſſent in Republica bene ordinata, qui Sacrificia ex regula facerent, ut idem teſtatur Politichorũ 3. 10. & finali, qui ſacros à prophanis ritibus diſtinguerent, qui per exteriorum ſignorum veſtigia ad divinæ Majeſtatis thronum homines veluti manu ducerent. Obſequium tamen, quod ſupremo rerum omnium Conditori deberetur, ipſa natura docuit, ipſeque Divinus Artifex animis noſtris inſculpſit. Et quemadmodum tota Mundi conſpiratio, & rerum pulcherrimus ordo contemplandi Dei materiam ſuggerit, eſt enim natura veluti liber unus Divinitate plenus, ut inquit Triſmegiſtus; ita ex ordinatiſſima, & mirabili totius Orbis diſpoſitione ad Creatoris obſequium trahimur, & excitamur. Videmus enim quam ſapientiſſima æternæ providentiæ lege imperfectiora perfectioribus, inferiora ſuperioribus, terreſtria cæleſtibus ſubdantur, adeoque ſtatim cogimur rationabili obſequio eam, à qua conditi ſumus, ſupremam Majeſtatem revereri.

II. Huic inconcuſſo fundamento innititur S. Thomas, ut oſtendat, quod oblatio Sacrificiorum ad naturæ legem pertineat; inquit enim ſecunda ſecundæ quæſtione 85. art. primo; *ſicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora ſuperioribus ſubduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini ſecundum naturalem inclinationem, ut ei, quod eſt ſupra hominem, ſubiectionem, & honorem exhibeat ſecundum ſuum modum*. Eſt autem modus conveniens homini, ut ſenſibilibus ſignis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex ſenſibilibus cognitionem accipit; & ideò ex naturali ra-

tione

tione procedit, quod homo quibuſdam ſenſibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in ſignum debitæ ſubiectionis, & honoris ſecundum ſimilitudinem eorum, qui dominis ſuis aliqua offerunt in recognitionem domini. Hoc autem pertinet ad rationem Sacrificii, & ideò oblatio Sacrificii pertinet ad jus naturale.

III. Ipſum quoque Religionis vocabulum ab authoribus inde deſumptum, quod homines Deo liget, deberi uni Deo Sacrificium inviolabili naturæ lege nobis demonſtrat; quomodo enim homines ad ſocietatem procreari poſſent inter ſe ſe convenire, niſi ad unius Dei famulatum, & obſequium aliquibus exterioribus ſignis uterentur? Tolle Religionis vinculum, expelle procul communia pietatis erga Deum teſtimonia, manſuetos homines in feras mutabis: pone Religionem, voca ad hominum conſortium pietatem, jam efferatos homines in obſequium, atque amorem convertes; unde Auguſtinus lib. 19 contra Fauſtum cap. 11. *in nullum autem nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

IV. Sacrificia tantum deberi Deo ipſæ nequiſſimorum Dæmonum artes declarant, non enim deſertores ſpiritus, qui è cœleſti faſtigio ceciderunt, tantà induſtrià niterentur homines hortari, ut ſibi erigant aras, Sacrificia inſtituant, niſi certo ſcirent hæc omnia uni tantum Deo convenire, cujus majeſtatis ſplendorem cum ſubſtinere non poſſint, in æternas tenebras detruſi ſuperbè ſibi adrogant ipſa Divinitatis tributa, & impio furto ſummi honoris animas, quas Religio ſanctiſſimo fœdere Deo conſociaverat, ab illo conantur avertere. *Sed nec ob aliud*, inquit Auguſtinus de Civitate Dei lib. 10. cap. 19. *fallaces illi ſuperbe ſibi hoc exigunt, niſi quia vero Deo deberi ſciunt, non enim revera, ut ait Porphirius, & nonnulli putant, cadaverinis nidoribus, ſed divinis honoribus gaudent; copiam vero nidorum ma-*

magnam habent undique, & ſi amplius vellent, ipſi ſibi poterunt exhibere. Qui ergo Divinitatem ſibi arrogant ſpiritus, non cujuſlibet corporis fumo, ſed ſupplicantis animo delectantur, cui decepto, ſubjectoque dominentur intercludentes iter ad Deum verum, ne ſit homo illius Sacrificium, dum ſacrificatur cuipiam præter illum.

V. Tam innatum, tamque altè impreſſum eſt animis noſtris Deo eſſe per interna, externaque Sacrificia honorem tribuendum, ut ipſa Sacrificiorum leges anticiparent hominum conſcientia, & antequam ſacri ritus præſcriberentur, deputarentur Sacerdotes, ac victimæ, ſuas etiam Victimas, Hoſtias, & Holocauſta obtulerit nata nobiſcum divini Numinis reverentia, nam Geneſis cap 4. v. 3 & 4. legimus *quod offerret Cain de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum* Unde Chriſoſthomus in Geneſim homilià 18 ait *Obtulit Cain de fructibus terræ Sacrificium Deo. Conſidera quomodo naturæ conditor ſcientiam conſcientiæ indidit; quis enim illum (dic oro) ad hanc cognitionem perduxiſſet? nullus alius, quam quæ in conſcientia erat ſcientia; ſciebat enim, & clare ſciebat, quod congruum eſſet ex ſuis poſſeſſionibus aliquid Deo offerre, non quod eo Dominus indigeat, ſed quo ſuam gratitudinem declaret, qui tali beneficio fruitur.* Nondum promulgatæ erant Sacrificiorum leges, nec Sacerdotes, aut Levitæ inſtituti, cum primi illi homines, quorum geſta Sacræ nobis Litteræ commemorant, ſummo Deo authori ſuo aliquod obſequii pignus obtulerunt. Ut cæteros præteream, Noe vir ille ſanctiſſimus, quo totius Generis humani reliquiæ conſervatæ ſunt, & propagata poſteritas, egreſſus de Arcà, ut narratur Geneſis cap. 8. v. 20 *ædificavit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit Holocauſta ſuper altare, odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis:* quare D. Auguſtinus lib. 15. de Civitate Dei cap. 16. ait; *ſacrificaſſe*

Deo

Deo illos antiquiſſimos homines non tacet ſacra hiſtoria, quod & in duobus primis fratribus claruit, & Noe poſt diluvium, cum de Arca fuiſſet egreſſus, hoſtias Deo legitur immolaſſe: concludit demum. *Sacrificium ergo non ſolum cum juſte imperat verus Deus, ſed etiam cum ſuperbe exigit falſus Deus, ſatis oſtendit, cui debeatur.* Chriſoſthomus loco jam laudato, *ædificavit*, inquit, *Noe altare, & obtulit holocauſtum ſuper altare, conſidera quomodo in natura noſtra conditor omnium inſeruit certam virtutis ſcientiam, unde enim, dic oro, juſto illi hoc in mentem veniſſet? Nullus erat alius, quem videbat, vel à quo diſcebat; ſed ſicut Abel ille primigenii hominis filius à ſe ipſo commonitus magna diligentiâ oblationem perfecit, ſic utique nunc & juſtus ille.*

VI. Eſt etiam apud Hebræos traditio Adamum Sacrificia Deo obtuliſſe eo in loco, in quo creatus fuit, nam inter cæteros Rabbi Moſes in libro præceptorum affirmativorum ait, *Adamus illo in loco Altare conſtruxit, Deoque Sacrificia obtulit, ubi formatus eſt ex terra;* & addit poſteà; *Dicunt ſapientes noſtri, Adam ibi veniam ſui peccati obtinuit, ubi anteà erat formatus.* Legatur Novarinus Schediaſmatum Sacro-prophanorum lib. prim. cap 20. ubi hæc citat, quæ quidem quamvis certa, & indubitata non ſint, nec aliquo evidenti fundamento nitantur, tamen non eſt improbabile, quod quemadmodum Adami filii divinam majeſtatem exterioribus Sacrificiis recognoverunt, ita & ipſum Adamum, cui præ cæteris naturalium, ſupernaturaliumque rerum, ſcientia fuerat indita, eum, à quo creatus fuerat, Dominum Sacrificio exteriori propoſitum invocaſſe.

VII. Modus etiam, qui in peragendis Sacrificiis ſervabatur, apertè nobis demonſtrat indubitatum fuiſſe apud homines actiones Sacrificiorum ſigna quadam eſſe obſequii, quod uni tantum Deo ſit tribuendum, nulla enim fuit tam barbara, aut efferata Natio, quæ Sacrificium temere,

&

& inconſulto celebrandum eſſe exiſtimaret; ſed potius rem divinam arbitraretur, quæ congruam præparationem, animique, & corporis puritatem expoſceret. Hinc Sacerdotes prius ſe quibuſdam ſacris ad Sacrificium diſponebant, & frequens apud Græcos verbum ἐξοργιάζω quod idem eſt, ac ad ſacrorum cultum ſe præparare. Inter diſpoſitiones autem, ſivè præparationes una, & quidem celebris erat Ablutio, qua & delictorum maculas abſtergi, mundarique non tam corpus, quam animum credebant. Virgilius 2. Æneid. Trojanorum Ducem ab inimicorum cæde revertentem introducit patri ſuo exponentem cauſas, ob quas Deos attingere non audeat, nec eis Sacrificia inſtituere; inter quas illa erat, quod hoſtili ſanguine polluto ad ipſa Sacrificia accedere non liceret, nec Penates attrectare, donec puro viviſſimi fluminis lavacro expiaretur.

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque Penates,
Me bello e tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero;

Quam quidem cæremoniam ſervaſſe illum ad præparandos ad Sacrificia ſocios 6. Æneid deſcribitur.

Idem ter ſocios pura circumtulit unda
Spargens rore levis, & ramo felicis olivæ.

Quare Ovidius 2. Faſtorum levitatis inſimulat eos, qui putabant maculas humani ſanguinis effuſi aqua fluminum potuiſſe deleri;

Heù nimium faciles qui triſtia crimina cædis
Fluminea pelli poſſe putatis aquà!

VIII. Certè ſummam corporis, animique munditiem requiri in eis, qui ſacram rem eſſent facturi, perſuaſum erat apud omnes Gentes. Numam Pompilium, & Julianum Cæſarem ciu carnium, ac Venere abſtinuiſſe ex antiquis authoribus narrat Giraldus Syntagmate 17. de Sacrificiis. Juſtinianum quoque oleribus, leguminibuſque contentum

ſæpe cœnitaſſe ob Religionem refert Procopius apud eumdem Giraldum. Commune eſt apud Veteres eos, qui lſidis ſacris eſſent initiandi, debuiſſe per dies decem patere carnibus, & vino. Conſtat inſuper ex Hieronymo ad Oſeæ caput 4. & 9. antiquos Atys, ſive Matris Deum Sacerdotes ſponte emaſculatos, atque exectos fuiſſe, ut à mulierum commercio remoti, atque à libidinis peſte immunes Religioni, & pietati intenderent, nudique, & vacui à moleſtiſſimis rerum terrenarum curis ſe abdicarent. Hinc vetuſtiſſimum illud axioma, quod ſine impietatis nota præteriri non poterat: *Ad Divos adeunto caſte, pietatem adhibento, opes amovento, qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit:* legitur Cicero lib. 2. de legibus. Hinc ſumma diligentia adhibita ab iis, qui ſacra peragebant, nè aliqui contaminati, atque impuri intereſſent, undè 6. Æneid

Procul ò procul eſte prophani

Exclamat vates, totoque abſiſtite luco.

Hinc apud Græcos ad ſacrificium accedens ſacerdos hoc primum præfari ſolitus fuit τίς τῇδε πολλοὶ καὶ ἀγαθοί, quis hic? qui verò ſacris intererant, ſtatim reſpondebant, multi, & boni: hinc præceptum tempore Sacrificiorum ſilentium, ad quod alludit Virgilius 3. Eneid. cum ait;

Et fida ſilentia ſacris.

Quæ omnia nos admonent perſuaſum fuiſſe hominibus Sacrificium rem eſſe ſumma diligentia exercendam, utpotè quæ ad ſolum Deum pertineat, omnes enim naturali luce edocti eſſe aliquem, qui imperium in univerſum mundum haberet, & cujus voluntate, & nutu omnia gubernarentur, & fierent, elegerunt ſibi, quem colerent, ejuſque cultus gratia Templa, Aras, condiderunt, Sacrificia inſtituerunt, eiſque Sacerdotes cæremoniarum, & Sacrorum peritos præfecerunt. *Qui verò*, inquit S. Auguſtinus lib 10. de Civitate Dei cap 4. *Sacrificandum cenſuit, niſi ei, quem Deum, aut ſcivit, aut putavit, aut finxit?* Hæc adeò vera

ſunt,

ſunt, ut mundo adhuc tetra errorum caligine merſo, & occupatis barbata ſuperſtitione animis nullus fingeretur, aut invocaretur Deus, cui Sacerdotes, ac Sacrificia non deputarentur. Prætereo primos illos Lupercos Sacerdotes, & Lupercalium ritus, quos Pani Lycæo Evander Arcadum Rex conſecraverat, de quibus Livius lib. 1., Juſtinus lib. 43., Varro lib. 4. de lingua Latina, Plutarchus in Quæſtionibus Romanis quæſtione 68. Roſinus Antiquitatum Romanarum lib. 3. cap. 2. ad quorum cæremonias alludit Virgilius 8. Æneidos:

Hinc exultantes ſalios, nudoſque Lupercos.

Prætereo Græcæ Cereris Sacerdotes ab Arcadibus hujus Deæ cultui addictos, de quibus Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. Potitiorum, & Pinariorum Sacerdotium ab Hercule ſibi inſtitutum, de quo idem Halicarnaſſeus loco citato.

IX. Conſtat pariter Sacerdotes à Numa Pompilio deſignatos, qui Flamines dicebantur à filo laneo, quo caput religabant; nam cum ſemper pileum geſtare debuiſſent, æſtivo tempore hoc filo prò pileo utebantur. Videantur authores, quos citat Roſinus Antiquitatum Romanarum lib. 3. cap. 15. Tres autem præcipuè à Numa ſunt creati Flamines, nempè Flamen Dialis, Martialis, & Quirinalis. Flamen Dialis autem appellatur à Dio, à quo vita dari hominibus putabatur. Terentius Varro à Jove eum dictum ait, quaſi ſit Diovis, & conſtitutus erat à Numa, ut aſſiduè Jovi præſto eſſet, eique ſacra faceret, quemadmodum Flamen Martialis Marti, quem Romuli patrem gentes exiſtimabant, Quirinalis Quirino, nempè Romulo Romæ Conditori. Aucto progreſſu temporis Deorum numero auctus eſt quoque numerus Flaminum; & hinc Vulcanalis Flamen Vulcano, Volturnalis Volturno, vel Deo, vel Flumini, Palatualis illæ Deæ, in cujus tutela erat Palatium, Furinalis Deæ Furinæ, Floralis Floræ, Pomonalis Pomonæ, Carmentalis Carmentæ Matri Evandri Arcadis, Laurentalis Accæ

Laurentiæ, & alii quamplures, qui Imperatoribus vita functis, atque in Deorum numerum relatis Sacerdotes ſunt inſtituti; ex quibus deducere nobis licet, quam radicata fuerit Antiquorum animis ſacrificiorum opinio, & quam conſtanter crederent nullum potuiſſe Deum declarari, cui Sacerdos ſuus, & propria Sacrificia non exiberentur. De Auguſto ſcribit Tacitus primo Annalium, quod ei videlicet ſepultura more perfecta, Templum, & cœleſtes honores decernuntur, per cœleſtes honores intelligens non tam ſupplicationes, quam Sacrificia, & Flamines. De Hadriano ſic ſcribit Spartianus; *Nec eſſet appellatus Divus, niſi Antoninus rogaſſet; Templum denique ei pro ſepulchro conſtituit, & Quinquennale certamen, & Flamines, & Sodales, & multa alia, quæ ad honorem quaſi Numinis pertinerent.*

X. Prætereà ſi in opinione hominum eſſet Sacrificia ad ſolum Deum non pertinere, non extitiſſent apud omnes populos tanto in honore Sacerdotes, neque Reges tanto ſtudio, tantaque diligentia curaſſent Regiam dignitatem Sacerdotio conjungere, & regalem ſplendorem augere ſacerdotali majeſtate. Hoc autem frequenter ſervatum eſt apud Antiquos, quorum Reges ut plurimum Sacerdotes etiam extitere. De Melchiſedecho legimus Geneſis 14. verſ. 18 *At verò Melchiſedech Rex ſalem proferens panem, & vinum,* erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, *benedixit ei, & ait benedictus Abraham Deo excelſo, qui creavit Cœlum, & Terram.* Juſtinus autem in Trogo lib. 36 de Sacerdotibus, & Regibus Judæ pertractans demum concludit, *Poſt Moyſen etiam ejus filius Aruas Sacerdos Sacris Ægyptiis, mox Rex creatur, ſemperque exindè hic mos apud Judæos fuit, ut eoſdem & Reges, & Sacerdotes haberent.* Neque hic prætereunda ſunt quæ de Romulo ſcribit Cicero lib. 1. de Divinatione, nempè *hujus Urbis Parens Romulus non ſolum auſpicato urbem condidiſſe, ſed ipſe etiam optimus augur fuiſſe traditur,* & quæ de Anio cęcinit Virgilius 3. Æneid.

Rex

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

XI. Cum autem ultima Numæ inſtitutione circa res ſacras, Pontifices etiam crearentur, quorum curæ, ac vigilantiæ illæ eſſent commiſſæ, & hoc nomen illis attribueretur, vel à Pontis Sublicii ſtructra, ſive inſtauratione, ut tradit Varro de lingua latina, vel ut idem notat à decreto Quinti Scevolæ, qui eos ſic juſſit appellari *a poſſe, & facere*. Viſum eſt etiam eidem Numæ Pontificem Maximum declarare, ad quem rerum omnium ſacrarum ſumma deferretur, qui Judex eſſet maximarum rerum ad Religionem pertinentium, qui decerneret, quibus diebus, quibus Hoſtiis, quo in Templo ſacra fierent, & unde pecunia ad eos ſumptus erogaretur. Quæ cum ampliſſima, nimiſque decora Imperatoribus viderentur, cæperunt ſinguli hunc titulum Pontificis Maximi ſibi uſurpare. Hinc ab Auguſto ad Gratianum uſq; Imperatorem tranſiit uſus huius appellationis, ut docent lapides, & antiqua Numiſmata. Videatur Æzechiel Spanhemius de præſtantia, & uſu Numiſmatum antiquorum diſſertatione 8. qui ibidem animadvertit, quod ſi plures Cæſares ſimul regnaſſent, Pontificis maximi appellatio apud unum tantum, nempe apud ſeniorem reſidebat, ut probant Nummi, in quibus Marcus Aurelius Pontifex Maximus vocatur, non autem ejus Collega Lucius Verus. Quod vero Pontificis Maximi munia Imperatores peregerint, antiqui ſcriptores commemorant; nam de Adriano narrat Spartianus, quod Sacra Romanorum diligentiſſime curavit, peregrina contempſit, Pontificis maximi officium peregit; ita Tiberius ut Pontifex Maximus de jure Flaminis conſultus apud Tacitum Annalium 3. cap. 59., & à Plinio Traianus lib. 10. epiſtola 72. in qua legimus, *Quia ſciebam in Urbe noſtra ex ejuſmodi cauſis Collegium Pontificum adiri ſolere, Te Domine maximum Pontificem conſulendum putavi, quid obſervare me velis*. Auguſtus etiam, ut refert Svetonius in vita illius, ut Pontifex Maximus Sibillinos libros recenſuit, Annum Julianum ite-

rum ordinavit, auxit Sacerdotum numerum, atque antiquas cæremonias reſtituit. Pontificum collegium uſque ad Teodoſii ſenioris tempora Romæ fuit; at verò Religione Chriſtiana omnia jam obtinente, adverſantibuſque antiquæ ſuperſtitioni Imperatoribus Sacerdotum omnium redditus, fiſco ſunt applicati. Quod vero ad Pontificem Maximum ſpectat primus omnium Gratianus Imperator, ut refert Zoſimus, ſe Pontificem Maximum appellari vetuit, atque ita Sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit, cum illi ſedulo animadvertiſſent duo eſſe, quibus humana ſocietas regatur, Sacerdotium videlicet, & Imperium, recteque humanam Rempublicam ordinari, ſi in poſterum unum apud ſegregatos ab humanis commerciis viros, alterum apud Principes reſideret. Conſtat ergo, quam perſuaſum fuerit hominibus impendendam eſſe maximam curam rebus ſacris, Sacrificiorumque cæremoniis, cum illis videlicet ſummum erga nos Divinæ Majeſtatis Dominium reconoſcamus.

DIS-

DISSERTATIO XXII.

Sacrificia non ſolum à Deo fuere permiſſa, ſed etiam præcepta.

CAPUT UNICUM.

1. *Enſus quæſtionis explicatur, & aſſeruntur traditæ divino præcepto Sacrificiorum leges, nonnullaque Sacrificia non ſolum à Deo permiſſa, verum etiam imperata. 2. Probatur aſſertionis veritas ex divino imperio, tum Eliphax Themanıti dato Job cap ult., tum Patriarchæ Abrahamo, huic de ſacrificando filio unigenito, illi de ſacrificandis ſeptem tauris, totidemque arietibus. 3 Probatur ſecundo contra eos dicentes ſacrificia tantum permiſſa poſt conflatum Vitulum Aureum, clariſſimo Exodi 3. teſtimonio, ubi in illo Capite divina innoteſcit voluntas de Sacrificio ſibi à Populo Iudaico offerendo, ſicut in aliis ſequentibus, divinis Pharao reluctans Imperiis graviſſimas luit pœnas 4. Eadem inſinuatur veritas enumerando multos ritus, compluresque ceremonias à Deo traditas, antequam Idololatriæ Judæi manciparentur. 5 Etiam ſacrificia poſt Idololatricum Judæorum cultum ab ipſis exhibenda juxta Dei loquentis modum non nudam permiſſionem, ſed clariſſimum præſeferunt imperium 6. Accedit & ratio ad pleniorem veritatis hujus confirmationem deſumpta ex juris naturalis principiis.*

I. LEgenti antiquos Patres tam Græcos, quam Latinos, qui de Sacrificiis ſcripſerunt, non parva poteſt difficultas occurrere, quæ mentem perplexam teneat, ac veluti in partes ſcindat; aliqui enim eorum Deum ſolum Sacrificia permiſiſſe, non vero imperaſſe, aliqui vero & imperaſſe, & permiſiſſe affirmant. Utriuſque partis facilem, & planam conciliationem aggredimur, quo jacto fundamento, omnis in hac tam gravi controverſia perplexitas, omniſque errandi occaſio tolletur. Hoc autem ut facile fiat, prò certo ſupponimus, diſputationem non eſſe inter authores inſtitutam de Sacrificiis internis, aut Sacrificiis in genere, nempè de ſubiectione divinæ majeſtati in aliqua re ſenſibili expreſſa, cum hanc & natura ſuadeat, & Deus jure creationis, & conſervationis exigere videatur. Erit igitur controverſia tantummodo circa modum Sacrificiorum videlicet, an divina majeſtas Victimas, Hoſtias, & Holocauſta unquam præſcripſerit, an leges Sacrificiorum, ſacræque ceremoniæ fuerint permiſſæ tantum, an vero aliquo præcepto divino determinatæ. Nos Sacrarum Litterarum teſtimonio innixi aſſerere non dubitamus Sacrificiorum leges fuiſſe divino aliquo præcepto munitas, & Deum aliqua Sacrificia non ſolum permiſiſſe, ſed etiam imperaſſe.

II. Primò igitur in libro Job, qui adeò antiquus eſt, ut de ejus authore adhuc diſputetur, & quidam illum referant ad ipſum Job, alii ad amicos Job, alii ad Moyſen, alii ad antiquum aliquem Prophetam, & præcipuè Iſaiam, narratur capite ultimo verſu 7. & 8. quod Dominus dixit ad Eliphaz Themanitem: *iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Job, ſumite ergo vobis ſeptem tauros,*

ros, & ſeptem arietes, & ite ad ſervum meum Job, & offerte Holocauſtum pro vobis; Job autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia. Quæ verba clariſſimè oſtendunt hujus Sacrificii modum non ſolum à Deo fuiſſe permiſſum, ſed præſcriptum & determinatum.

Inſigne illud, ac memorabile Abrahami Sacrificium, quod Geneſis cap. 22. expreſſum eſt, nobis declarat non tacita tantum permiſſione, ſed abſoluto divinæ majeſtatis imperio proprii filii oblationem fuiſſe tentatam; nam ibidem ſic præceptum eſt: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in Holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Ex quo ſatis apparet Sacrificium non tantum à Deo præceptum, ſed materiam electam, locumque ipſius Sacrificii præſcriptum; quæ proprii filii oblatio, quamvis Deo impediente executioni non fuerit demandata, & ipſi Deo magis placuerit obedientia, quam Victima, nemo tamen negabit impoſitum fuiſſe Abrahamo præceptum offerendi, cui ille obtemperaverit, etiam ſi filium non occiderit, quia volebat occidere, cum Deus juſſit, nec ſe à Sacrificio retraxit niſi Deo imperante, & aliam Victimam novo prodigio ſubſtituente, quam idem Abrahamus eſſet oblaturus; verſu enim 13. legimus, *Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit Holocauſtum pro filio:* quis quæſo tale Holocauſtum præparaverat? quis arietem ad montem duxerat? quis tam fortiter vepribus alligaverat? certè non Abraham, non Iſaac, qui ligna tantum deferens, & nondum conſcius paterni animi dixerat verſu 7. *Ecce ignis, & ligna, ubi eſt Victima Holocauſti?* Succidanea ergo hæc Victima Aries inventus, divinæ voluntati debet attribui, noſque tuto aſſerere poſſumus Deum, qui imparavit, & impedivit Holocauſtum filii, voluiſſe Holocauſtum pro filio.

III.

III. Alterum teſtimonium, quod quidem infirmat ſententiam eorum, qui ſcripſere Sacrificia numquam à Deo fuiſſe præcepta, ſed permiſſa poſt conſtructionem Vituli Aurei: adeoque in pœnam Idololatriæ, deſumendum eſt à Capite 3. Æxodi verſu 18. ubi Dominus ita præcepit Moyſi: *Ingredierisque tu, & ſeniores Iſrael ad Regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit nos, ibimus viam trium dierum in ſolitudine, ut immolemus Domino Deo noſtro*. Si Deus populi Sacrificia noluiſſet, ſi tantum permiſiſſet, an Moyſen ad Pharaonem pro liberatione populi nomine ſuo miſiſſet? & ita Legatum ſuum inſtruxiſſet, ut inter præcipuas cauſas, quibus oportebat liberari à ſervitute populum, hanc aſſignaret, quod videlicet oportebat illum omni alia cura poſthabita ſummo Deo Sacrificia offerre? Non eſt Deus ut homo, qui mentiatur, nec umquam permittit, ut qui nomine ſuo mittuntur, aliquo mendacio homines decipiant, cum nec per ſe, nec per alium velit decipere. Hinc Prophetæ ut ſuis dictis, tamquam à Deo inſpiratis ſummã reverentiam, authoritatemque conciliarent, illis hunc titulum ſolebant apponere, *hæc dicit Dominus*. Quod vero enuncietur Pharaoni Sacrificiorum cultus, veluti unica, & præcipua cauſa eximendi populum à ſervitute, & reducendi in priſtinam libertatem, ex ipſo ſacro textu ſæpius colligitur, nam Exodi cap 5. verſ. 1. habetur quod, *Ingreſſi ſunt Moyſes, & Aarom, & dixerunt Pharaoni, hæc dicit Dominus Iſrael, dimitte Populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto*; Et cap. 7. verſ. 14 15.& 16. hæc Moyſis legatio, extraordinariis prodigiis munitur, nam dixit Dominus ad Moyſen *Ingravatum eſt cor Pharaonis, non vult dimittere populum, vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas, & ſtabis in occurſum ejus ſuper ripam fluminis, & virgam, quæ converſa eſt in draconem, tolles in manu tua, dicesque ad eum, Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te dicens, dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto, & uſque ad præſens audire noluiſti.*

ſit, hæc igitur Dominus dicit, in hoc ſcies, quod ſim Dominus, ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem. Cap. 8. divina Voluntas quo ad populi libertatem, & Sacrificia iterum intimatur Pharaoni, & Moſayca dicta novis prodigiis confirmantur, nam dixit Dominus ad Moyſen; *Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum, hæc dicit Dominus, dimitte Populum meum, ut ſacrificet mihi, ſin autem nolveris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis:* verſu vero 20. *hæc dicit Dominus: dimitte populum meum ut ſacrificet mihi, quod ſi non dimiſeris eum, ecce ego immittam in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muſcarum.* Nova pariter prodigia patrata ſunt, & enarrantur cap. 9. & 10. ejuſdem Æxodi facta in confirmationem divinæ voluntatis quoad emiſſionem populi ex Egypto, ut poſſet libere Sacrificia exercere. Miracula autem ſunt *quoddam velluti ſigillum Dei*, quo ipſe Prophetarum, & Legatorum ſuorum dicta ſolet munire, & fidem, atque reverentiam exigere: Hinc Joannis cap. 5. verſ. 36. dicebat Veritas Chriſtus; *Ego autem habeo teſtimonium maius Joanne, opera enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me;* & cap 10. verſ.25. *opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me;* & verſ. 38. *ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* Item ad Hebræos cap. 2. verſ. 4. dicitur Deus conteſtari ſignis, & portentis: Marci denique cap. 16. verſ. 20. de Apoſtolis narratur quod, *prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Cum igitur ſigna, & prodigia divina dicta confirment, & ſint quædam nota, quam Deus illis ſolet apponere, ut homines nullam poſſint excuſationem adhibere, ſi illis non credant, non obtemperent, cum ſupra indicatum ſit ſignificaſſe Deum per Moyſen Pharaoni voluntatem ſuam hanc eſſe, ut populus à ſervitute eximeretur, quo promptius, atque expedi-

peditus Sacrificiorum cultu eidem Deo authori ſuo famularetur, jam clariſſime patebit Sacrificia non tantum à Deo permiſſa, ſed etiam præcepta.

IV. Rurſus antequam ingratus populus ad Idololatriæ crimen prolaberetur, & cœleſtium beneficiorum immemor Vitulum Aureum conflaret, jam divini Numinis directione, atque imperio aliqui ei præſcripti ritus, aliquæ ſolemnitates deputatæ, inter quas ſolemnitas Phaſe Exodi 12., Primogenitorum Sanctificatio Exodi 13, Ablutio, & Sanctificatio populi Exodi 19. Item præter præcepta Moralia, de quibus capite 20. præcepta Judicalia cap. 21. & 22., multa cæremonialia data ſunt cap. 23. verſ. 14. ex quibus nemo eſt, qui non intelligat Sacrificia, & cæremonias originem ſuam ante Idololatriam habuiſſe, adeoque non ſubſiſtere opinionem eorum, qui exiſtimarunt Sacrificia à Deo non fuiſſe præcepta, ſed tantum permiſſa in pœnam Idololatriæ.

V. Quod ſi illa capita ſacri textus percurramus, in quibus expreſsè agitur de ſacrorum rituum, Sacrificiorumque inſtitutione, apparebit profecto in illis non tantum divina permiſſio, ſed præceptum, nam liber Levitici, qui totus & cæremonias ſacras, & Sacrificiorum leges exprimit, hac ſententia terminatur: *Hæc ſunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in monte Sinai.* Quicumque etiam legerit caput 9. ejuſdem libri, ſtatim animadvertet Aaronem ſacrificiorum primitias pro ſe ipſo, ac populo juſſu Domini obtuliſſe: *Tolle*, inquit, *de armento vitulum pro peccato, & arietem in Holocauſtum utrumque immaculatum, & offer illos coram Domino, & ad Filios Iſrael loqueris, Tollite hircum pro peccato, & vitulum, atque agnum anniculos, & ſine macula in Holocauſtum, bovem, & arietem pro pacificis, & immolate eos coram Domino;* & infra verſ. 5. & 6. *tulerunt ergo cuncta, quæ juſſerat Moyſes ad Oſtium Tabernaculi, ubi cum omnis multitudo adſtaret, ait Moyſes: Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus, facite, & apparebit vobis*

gloria

gloria ejus; ex quibus verbis concluditur præcepiſſe Deum Sacrificia. Quod autem eorum executionem gratam habuerit, & approbaverit, oſtendunt nobis verba ejuſdem capitis verſu ultimo, nempe. *apparuitque gloria Domini omni multitudini, & ecce egreſſus ignis à Domino devoravit Holocauſtum, & adipes, qui erant ſuper altare:* Ex libro pariter Exodi, cujus aliqua capita ad illius veritatis confirmationem ſupra retulimus, ultimo conſtat ædificationem Altaris, erectionem Tabernaculi Teſtimonii, multoſque ritus, ac cæremonias Deum Moyſi præcepiſſe, unde verſ. 14. ſubiungitur. *fecitque Moyſes omnia, quæ præceperat Dominus*

VI. Si vero rationem aliquam deſideramus ex juris naturalis principiis deſumptam ad hanc eamdem veritatem propugnandam, meminiſſe oportet Sacrificiis ſupremum Dei erga nos dominium recognoſci, illiſque indicari ſubiectionem Animæ noſtræ ſummo Numini, à quo conditi ſumus, & conſervamur, ut optimè notat Angelicus Doctor ſecunda ſecundæ quæſtione 85 art 1. Illa autem, quæ noſtri obſequii erga Deum manifeſta quædam ſigna ſunt, credendum eſt non ſolum permitti, ſed etiam imperari ab ipſo Deo, qui vult, ut ſibi obſequium debitum impendamus.

Hic explicanda eſſent illa Sacræ Scripturæ teſtimonia, quibus Deus videtur reprobare Sacrificia, quemadmodum, & authoritates SS. PP. qui videntur aſſerere Deum permiſiſſe, non autem præcepiſſe Sacrificia. Verum omnia fuſe jam ſunt explicata in cap. 1. Iſaiæ verſ. 11. & ſeq. quare, cum ea legere poſſis in Lucerna Prophetica Lect. 14. ſupervacaneum ducimus iterum jam dicta repetere.

DIS-

DISSERTATIO XXIII.

Antiquæ Legis Sacrificia, & Cæremoniæ & Chriſtum venturum, & Sacramenta, ſanctoſque Ritus Legis Evangelicæ figurabant.

CAPUT PRIMUM.

1. *Poſt laudatam Divinam Sapientiam, quæ omnia ordinatiſſimè diſponit, ſuæ rationes traduntur ad rectam ordinationem requiſitæ.* 2 *Multiplices tot veterum Sacrificiorum cæremoniæ non niſi unum novi Teſtamenti præfigurabant Sacrificium.* 3. *Cum proteſtetur Deus per os Malachiæ, omnibus poſthabitis antiquæ Legis Sacrificiis ſe unam tantum ſuſcepturum oblationem, quæ in omni loco offeretur, quæritur quænam illa ſit?* 4 *Quam convenientiſſima in veteri Lege Sacrificiorum multitudo, & quarè?* 5 *Quæ Sacerdotibus ſacrificaturis dabatur lex, ut prò ſuis prius peccatis offerrent, non obſcurè nobis inſinuat quantum inter noſtrum, & vetera Sacrificia intercedat diſcrimen, ſicut tanta etiam illorum multitudo propriæ inſufficientiæ clariſſimam reddit rationem.* 6. *Cruentum, & incruentum Chriſti Sacrificium præfigurarunt Abel agnum offerendo, Iſaias prævidendo, Joannes oſtendendo.* 7. *Advenıente novo Sacrificio vetera omnia ceſſarunt.* 8 *Cum una ad ſacrificandum præſcriberetur à Deo Hieroſolima, manifeſte apparet ad tempus tantum præſcripta Sacrificia.* 9 *Prima illa Jeruſalem, Militantis Eccleſiæ per Chriſtum extruendæ figura fuit.*

10

10 Quomodò juxta Aggai Prophetiam ſecunda domus noviſſima primam dignitate excellerit, & ad quam domum myſticè illa referenda ſit. 11. Templa nova veteri deſtructo, ipſamque ædificandam Eccleſiam teſtatur Zaccharias; hinc occaſione hujus textus explicandi plurima de æterna, & temporali Verbi generatione, & de myſtico Templo, in nobis per ipſum conſtructo afferuntur.

I. Poſtquam homines ab æterna juſtitia defecerunt, & infectis veneno culpæ animis optimus ordo rerum mutatus eſt, clementiſſimus Pater recordatus, quoniam pulvis ſumus, numquam deſtitit opportuna remedia noſtræ miſeriæ providere, & quemadmodum voluit, ut piorum hominum exempla mentes ad pietatem moverent, incenderent, inflammarent, quemadmodum per Prophetas ſuos locutus eſt, & veritatem de terra naſcituram quibuſdam umbris contexuit, ità voluit, ut antiqua Sacrificia, omnes ritus, ac cæremoniæ præludia quædam eſſent Legis Gratiæ, atque admirabilis illius Sacrificii, quod adveniente beata temporum plenitudine pro communi ſalute erat peragendum. *Omnia Deus in ſapientia fecit, & juſtitia Domini recta lætificantes corda, judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſa*, ut legimus Pſalmo 103. verſ. 24. & Pſalmo 18. verſ. 9, & 10., quæ quidem ſatis declarant non otioſos, ac temerè inſtitutos fuiſſe antiquos ritus, ſed ad aliquem finem ordinatos: quarè Divus Thomas prima ſecundæ quæſt. 102. ait: *Cum ſapientis ſit ordinare ea, quæ ex divina ſapientia procedunt, oportet eſſe ordinata, ut Apoſtolus dicit ad Romanos* 13. *Ad hoc autem quod aliqua ſint ordinata, duo requiruntur, primò quod ordinentur ad debitum finem, qui eſt principium totius ordinis in*

rebus

rebus agendis; ſecundò ut id, quod eſt ad finem, ſit proportionatum fini, ex quo ſequitur, quod ratio eorum, quæ ſunt ad finem, ſumitur ex fine: manifeſtum eſt autem quod præcepta cæremonialia, ſicut & omnia alia præcepta Legis ſunt ex divina ſapientia inſt[illegible]a, undè dicitur Deuteronomii 4. verſ 6. Hæc eſt veſtra ſapientia, & intellectus coram populis: undè neceſſe eſt dicere, quod præcepta cæremonialia ſint ordinata ad aliquem finem, ex quo eorum rationabiles cauſæ aſſignari poſſint.

II. Inter fines autem, ob quos tanta cæremoniarum varietas, tanta Hoſtiarum genera inſtituta ſunt, ille primum à Patribus conſideratur, quod iis Hoſtiis, ac cæremoniis voluerit Deus illam unam, atque immaculatam Hoſtiam adumbrare, à cujus oblatione, ac pretio omnis noſtra ſalus dependebat, quare D. Auguſtinus in Pſalmum 74. inquit: *Sacrificium Victimarum, & pecudum, magnum habet Sacramentum, ſed in omnibus illis generibus intelligitur unum illud Sacrificium, & unica Victima in Cruce Domini, prò quibus omnibus Sacrificiis, unum nos habemus:* Et profectò non aliam ob cauſam tanta Sacrificiorum copia in Lege antiqua uſurpata eſt, quàm ut multis rebus res una, atque eadem ſignificaretur, utque homines ſenſibilibus aſſueti per multa ſenſibilia ſigna ad myſterium omnium ſignorum impletivum veluti manu ducerentur, undè idem Auguſtinus libro 20. de Civitate Dei cap. 20 ait: *Hujus veri Sacrificii multiplicia, variaque ſigna erant Sacrificia priſca ſanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut ſinè faſtidio multum figuraretur: huic ſummo, veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falſa ceſſerunt.*

III. Illam veteris Legis Sacrificiorum multiplicitatem unius novi Sacrificii puritate, ac majeſtate delendam prænunciavit Deus per os Prophetæ ſui Malachiæ cap 1. verſ. 11. cum ſcilicet declaravit ſe de manu illorum Sacerdotum munera non amplius ſuſceptuum in beata temporum pleni-

nitu-

nitudine, in qua apud omnes gentes divini nominis magnirudo celebraretur, & ſancta, impollutaque Hoſtia in ejus honorem ubique offerretur. *Manus*, inquit, *non ſuſcipiam de manu veſtra, ab ortu enim Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda:* Quæ quidem verba ad incruentum novæ Legis Sacrificium referri omnium veterum figurarum impletivum & Patres, & Concilia teſtantur; in eo enim recolitur memoria illius cruenti Sacrificii, quo unigenitus Dei Filius carne noſtra indutus nos Deo Patri reconciliavit, & prò nobis pleniſſimè ſatisfecit. Et quænam purior, ac dignior oblatio illa, in qua non ſanguis taurorum, aut hircorum, ſed ſub ſpeciebus panis, & vini Caro, & Sanguis immaculati Agni Dominatoris Terræ, quem venturum exoptabant Prophetæ, ubique, & quotidie offeruntur?

IV. Cum nondum advenîſſet ad Templum ſanctum ſuum Dominator Dominus, & Angelus Teſtamenti, quem damnata æternæ morti Adami poſteritas requirebat, congruum erat ut Sacrificiorum multitudine ad futurum ſacroſanctum Sacrificium illa duceretur, & ſub illis umbris altiſſima myſteria veneraretur, ſpetans aliquando eventura, quæ ejuſdem Malachiæ cap. 3. prædicebantur, purgandos videlicet filios Levi, novum, ac regale Sacerdotium inſtituendum, præſtantiſſimum Sacrificium inveniendum, quod Deo ita placeret, ac ſi in primævo, ac beatiſſimo Innocentiæ ſtatu homines viverent, ac ſi Abelis, Noe, Abrahami præclariſſimis dotibus ornarentur.

V. *Et purgabit*, inquit Propheta verſ. 3. & 4., *filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes Sacrificia in juſtitia, & placebit Domino Sacrificium Juda, & Jeruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui:* Quæ verba exponens Divus Auguſtinus libro 10 de Civitate Dei cap. 26. inquit: *Intelligi poteſt fruſtra ſibi Ju-*

dæos ſecundum Legem veteris Teſtamenti Sacrificiorum ſuorum præterita tempora polliceri, non enim tunc in juſtitia, ſed in peccatis Hoſtias offerebant uſque adeo, ut Sacerdos ipſe, quem debemus utique credere cæteris fuiſſe juſtiorem ſecundum Dei mandatum, ſoleret primum pro ſuis offerre peccatis, deindè pro populi, qua propter exponere nos oportet, quomodo ſit accipiendum, quod dictum eſt, ſicut diebus priſtinis, & ſicut annis prioribus, fortaſſis enim tempus illud commemorat, quo primi homines in Paradiſo fuerunt, tunc enim puri, atque integri ab omni ſorde, ac labe peccati ſe ipſos Deo mundiſſimas Hoſtias offerebant. Ad illius expoſitionis confirmationem adducit Sanctus Doctor verba Iſaiæ cap. 65. verſ. 22. nempè, *Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei.* Quo vaticinio regeneratorum per Chriſtum felicitas, Sacrificiorum ſanctitas beatiſſimo Innocentiæ ſtatui comparantur. In ipſa antiquorum Sacrificiorum varietate, ac multiplicitate voluit Deus, ut occulta myſteria laterent, cum enim nec una Victima, nec Hoſtia ſufficeret, ſed Sacrificiorum multitudo exigeretur, hoc non obſcurè ſignificabatur inefficaces eſſe veteres ritus, unum eſſe Sacrificium deſiderandum, quod prò omnibus ſufficeret, quod genus humanum Deo Patri reconciliaret, hinc Wullielmus Pariſienſis libro 2. de Sacramentis cap 3. inquit. *Sciendum enim quod ideo Deus tam multa Sacrificia dedit in lege, ut nullum eorum ſufficiens eſſe oſtenderet, quia cætera eſſent ſuperflua, ſi unum ſufficere poſſet, ut unum ſuum ſufficiens magis deſideraretur.* Innuebat nobis benignus author, ac miſericors Pater augendam nobis gratiam, ſed Sacrificiorum multiplicitatem delendam, ut unico, atque efficaci Sacrificio occupati, unico Sacerdoti adhærentes cœleſtium beneficiorum copia locupletaremur: *Non ſolum*, inquit ibidem laudatus author, *pius Dominus umbras, & figuras veteres, & ſuperfluas ſuperveniente novitate, & veritate ſui Sacrificii diſpulit, ſed & multiplicitatem Sacrificiorum veterum ſingularitate ſui Sacerdotii*

dotii abbrevians occupationem exteriorem nobis minuit, beneficiorum nobis gratiam multiplicavit, uno unico ſuo Sacrificio redemptionem, remiſſionemque peccatorum faciens, profectuque fidei, cæterarumque virtutum ad vitam æternam perducens.

VI. Cum nulla fuerit ætas, in qua aut ſignis, aut figuris cruentum, & incruentum Chriſti Sacrificium non exprimeretur, utique dubitare non debemus Deum voluiſſe corda hominum ad Redemptoris amorem excitare, erigere nos in ſpem futuri remedii, & memoria ſummi beneficii, quod erat nobis conferendum, paulatim nos à caducis, atque carnalibus revocare. Agnum primorum hominum geſta; Agnum Prophetarum vaticinia nobis ſæpè ſæpius exprimebant, non ut crederemus occiſorum animalium ſanguine, aut nidore Victimarum Deum delectari, ſed ut converteremus animum ad immaculatiſſimum Agnum, qui in Ara Crucis prò ſalute hominum erat offerendus. *Quam diverſis temporibus Abel, Iſaias, & Joannes apparuerunt,* inquit Magnus Gregorius libro 28. moralium cap. 16. *diviſi quidem fuerunt tempore, ſed non prædicatione; nam Abel Redemptoris noſtri paſſionem ſignificans Agnum in Sacrificio obtulit, de cujus Paſſione Iſaias ait, ſicut Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum, de quo Joannes quoque ait, ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ecce diviſis quidem temporibus miſſi, & tamen concorditer de Redemptoris noſtri innocentia ſentientes, eumdem Agnum Joannes oſtendendo, Iſaias prævidendo, Abel offerendo locutus eſt, & quem Joannes in oſtenſione, quem Iſaias in locutione, hunc Abel ſignificando in manibus tenuit.*

VII. Sed quemadmodum adveniente Sole neceſſe eſt, ut umbræ recedant, ita poſtquam viſitavit nos Divinus Sol oriens ex alto, atque æterno ſuo ſplendore profundam mentium caliginem diſpulit, tenebras diſcuſſit, in quibus miſerrimè, verſabamur ceſſarunt omnes umbræ veterum cæremoniarum, & ablatæ ſunt tantorum Sacrificiorum figuræ,

& uni efficaci, & admirabili Legis Gratiæ Sacrificio vetera omnia ceſſerunt. Quare Leo Magnus ſermone 8. de Paſſione inquit: *Nunc etiam carnalium Sacrificiorum varietate ceſſante omnes differentias Hoſtiarum una Corporis, & Sanguinis tui implet oblatio, quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te univerſa perficis myſteria, ut ſicut unum eſt pro omni Victima Sacrificium, ita unum de omni Gente ſit Regnum.*

VIII. Cum in toto Chriſtiano orbe immaculatum Sacrificium ubique peragatur, cum Deus Judaico Populo unum Templum, unamque Urbem Jeroſolymam nempè ad Sacrificandum præſcripſerit, manifeſtum eſt illa antiqua Sacrificia ad tempus tantum conceſſiſſe, ſcilicet quò ad uſque adveniſſet ad Templum ſanctum ſuum Dominator Dominus; quo quidem Templo everſo, capta urbe, diſperſis Judæis incontaminati Sacerdotii majeſtas ubique dominaretur, celebraretur juge Sacrificium, & toties immaculati Agni prò nobis occiſi memoria renovaretur, quoties veram Carnem, & Sanguinem ipſius ſub ſpeciebus panis, & vini ſumeremus. *Adventu ſuo*, inquit D. Joannes Chryſoſtomus homilia quod Chriſtus ſit Deus, *cultum Victimarum rejecturus erat, ut ne amplius ille acceptus eſſet, ſed noſtrum illud Sacrificium admitteretur. Accipe quomodo & hoc prædictum ſit: Sacrificium, & Oblationem noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi, nam per Corpus, & obedientiam noſtram inſtituturus erat cultum novum, ideoque dicit, corpus autem perfeciſti mihi; quod & alibi manifeſtans dicebat; populus, quem non cognovi ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi, non videns mare ſciſſum, non petram ruptam, ſed audiens meos Apoſtolos, & ubi corpus perfeciſti mihi tunc dixi ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me. Duo autem hæc manifeſtavit, & quod adfuturus ſit tunc quando ceſſabunt Sacrificia, quod & factum principatu ad Romanos tranſeunte, & quod de adventu ſuo, antequam adveniret, prædictum ſit.*

Quo-

Quomodo autem ſcriptum de eo quod oderit, diximus, quod Baruch dicit, in terris· viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, dicit autem & Moyſes; ſic Prophetam vobis excitabit Dominus Deus de fratribus noſtris, ſicut me ipſum audietis, & erit omnis anima, quæ Prophetam illum non audierit, exterminabitur de populo ſuo. Vides hoc in nullo impletum, quam in hoc ſolo, etenim multi Prophetæ ſurrexerunt, & omnes parum auditi ſunt, attamen propterea Judæi nihil ſunt paſſi. Hunc autem quia non audierunt vagantur erratici, fugitivi, & exules aberrantes, ubique excluſi à ſua civitate, & à paternis legibus, & conſuetudinibus in ignominia, & ultionis pœna.

IX. Prima illa Jeruſalem, quam Deus præ cæteris urbibus ſelegerat, ut ibi ſacrificia inſtituerentur, utque homines ſub viſibilibus ſignis in unum nomen Religionis convenirent, imago quædam fuit Militantis Jeruſalem per Chriſtum extruendæ, in qua verum ſacrificium celebraretur, decoraretur melioribus titulis dignitas Sacerdotii, populique fideles, quos ſanguis immaculati Agni liberaliter conſperſus initiaverat ſub uno capite, tamquam membra unirentur, eadem eſca fruerentur habentes pignus gloriæ, poſſidentes theſaurum gratiæ in eo ſacrificio, quod vetera figurabant. Hujus admirabilis civitatis gloriam prævidit Regius Pſaltes cum cecinit Pſalmo 121. *Jeruſalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum, illuc enim adſcenderunt Tribus Tribus Domini teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.* Unde D. Joannes Chryſoſtomus in Matthæi caput 19. hæc eadem verba exponens ait· *Si ergo Jeruſalem, quæ ædificatur, Eccleſia eſt ſine dubio quæ aſcenderunt illuc Tribus Chriſtianorum ſunt Tribus, & ſedes quæ ſederunt illic, Apoſtoli ſunt. Apoſtoli enim ſedes Dei ſunt, nec modica gloria eſt Apoſtolorum, ut ſermones eorum ſedeant in hominibus fidelibus, ſicut Chriſti ſermones, & in ſermonibus eorum vita omnium conſiſtat, ſicut in ſermonibus Chriſti.*

 X.

X. Salomonicum Templum, quod Deus divina ſua majeſtate repleverat, ſuperandum ab altero Templo poſt tranſmigrationem Babylonicam à Zorobabelle conſtructo, prædicit Aggæus capite 2 v. 7. & 8 & ſequentibus, legimus enim. *adhuc unum modicum eſt, & ego commovebo Cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes Gentes & veniet deſideratus cunctis Gentibus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus Exercituum; magna erit gloria Domus iſtius noviſſimæ, pluſquam primæ:* quæ verba innuunt noviſſimam hanc domum ſummi, atque divini Sacerdotis præſentia illuſtrandam, quo ſemel pro omnibus ſacrificium peragente debebant antiqua abrogari. Propheticum vaticinium nemo judicabit in alienum ſenſum à nobis detortum, ſi diligenter conſiderare voluerit, quænam fuerint illa Templa, quæ inter ſe ſe comparantur, & in quo noviſſima domus primam exceſſerit. Primum Templum fuiſſe Templum Salomonicum nemo negabit, per noviſſimam autem domum intelligi Templum, quod è Babylonica captivitate reduces Hebræi ſub Zorobabelle ſuo Duce conſtruxerunt, idem ſacer textus nobis declarat in capite jam citato verſu 2. & ſequentibus. Myſterium autem repoſitum eſt in eo, in quo iſta ſecunda domus primam domum ſuperavit, nam ſecunda domus, ſi materialiter conſideretur, non ſolum Salomonicum Templum non excelluit, ſed longe inferior ipſo debuit judicari, nam verſu 4. ejuſdem citati capitis legimus: *quis in vobis eſt derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis banc nunc? numquid non iſta eſt quaſi non ſit in oculis veſtris?* Quod quidem affirmari non poteſt de prima domo, cujus magnificentiam, & ſplendorem Sacræ nobis Litteræ commemorant; *in ea enim*, ut legitur ſecundo Paralipomenon cap. 7. *mactavit igitur Rex Salomon Hoſtias boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia:* verſu primo, & aliis præcedentibus narratur quod *majeſtas Domini im-*

ple-

plevit domum, nec poterant Sacerdotes ingredi domum, eo quod impleſſet majeſtas Domini Templum Domini. De ſecunda domo hæc non proferuntur, ſed ſolum dicitur primo Eſdræ, cap. 6. quod in dedicatione Domus Dei obtulerint vitulos 100. arietes 200. agnos 400. hircos caprarum 12. En ergo quod domus hæc ſecunda primam non exceſſit magnificentia ſtructuræ, non exceſſit victimarum multitudine, non exceſſit ſolemnitate dedicationis. Si autem Propheta conſtanter affirmat quod *magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, plus quam primæ*, procul dubio aſſerere debemus altiſſimum in ejus verbis latere myſterium, & hanc noviſſimam domum ideo primam ſuperaſſe, quia videlicet hanc noviſſimam domum Meſſias ingreſſus eſt, quod prædicebat Malachias cap. 3. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad Templum ſanctum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti, quem vos vultis*. Angelus iſte eſt Joannes Baptiſta, qui in deſerto clamabat: *parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri*; de quo in Cantico Zachariæ dictum eſt *Et tu Puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*: Angelus quia nuncius divini adventus, Angelus, quia pluſquam Propheta, & quia hominibus excellentior. Hoc Angelo præcedente venit ad Templum ſanctum ſuum Dominator Dominus Rex Regum, & Dominus Dominantium, accepit eum Simeon in ulnas ſuas, & prædixit paratam eſſe ſalutem ante faciem omnium populorum.

XI. Hoc multo ante prænunciaverat Deus per os Prophetæ ſui Iſaiæ capite 52. v. 6. videlicet *propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum*: videlicet, ego ipſe, qui multifariè, multiſque modis olim loquebar Patribus in Prophetis, jam præſens ſum, jam viſito Templum, in quo volui, ut ſacrificia omnia celebrarentur lege præſcripta Deutero-

nomii 12. v. 4. ſecundo Paralipomenon cap. 8 v. 13 nec ſine myſterio, ut omnes intelligerent, quod adveniente Domino ad Templum, & hoc non multo poſt deſtructo, debebant omnia Sacrificia ceſſare, quæ uni Templo, atque urbi erant affixa, atque ad offerendam ubique unam, & immaculatam Hoſtiam multa erant Templa ædificanda, unumque Templum ſpirituale erigendum, nempe Eccleſia, ad quam omnes populi confluerent, & ſanctiſſimo vinculo pacis confœderarentur. Hoc nobis promiſſum erat per os Prophetæ Zachariæ capite 6 v. 12. & 13 legimus enim: *Hæc ait Dominus Exercituum dicens, ecce vir Oriens nomen ejus, & ſubter eum orietur, & ædificabit Templum Domino*. Et quis eſt iſte Vir, cui nomen Orientis aptetur, niſi Chriſtus Dominus verus Meſſias, qui per viſcera Miſericordiæ ſuæ viſitavit nos Oriens ex alto. Qui cum ſit ſecundum divinam Generationem æterni Patris Filius, verè oriens eſt, quia Deus de Deo, lumen de lumine; Iſte eſt, de quo prædixit Iſaias cap 9. verſ. 2. *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam habitantibus in regione umbræ mortis, Lux orta eſt eis*, Iſte juxta Joannem cap. 1. *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. David Pſalmo 96. verſ. 11. *Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia*; & expreſsè ad myſterium noſtrum Pſal. 103 verſ. 22. *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur*: Malachiæ cap. 4. verſ. 2. *Orietur vobis in mentibus nomen meum ſol juſtitiæ, & ſubter eum orietur*; quia videlicet quamvis teſtimonio Micheæ *egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis*, tamen minor eſt æterno Patre propter humanam, ac temporalem nativitatem; undè Apoſtolus ad Philippenſes ſecundo verſ 6 ait: *Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus eſt ut homo, humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem autem mortem Crucis.*

Et

Et ædificabit Templum Domino· Templum non ſolum materiale in omni ferè totius Orbis regione, urbe, ac loco, ut promittitur Malachiæ primo, ſed Templum ſpirituale, vel in ſe, quia ut ſcribit Apoſtolus ad Coloſſenſes 2. verſ. 9. *In ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, vel in nobis, quatenus amando nos, immo præveniendo omnem affectum noſtrum, conferendo Gratiam, qua eum diligeremus, etiam effecit, ut Templum ſuum deputaremur, quoties in nobis divinæ Charitatis ignis arderet, & in ſupremæ Majeſtatis honorem devotæ orationis incenſum offerremus, & præ oculis denique haberemus ipſa cæleſtia mandata *ſiquis diligit me*, inquit Chriſtus Joannis 13. verſ. 23. *ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Quod ſi juxta Apoſtolum prima ad Corinthios cap. 8. verſ. 2. *Charitas ædificat*, animas Fidelium per charitatem Templa ſua efficit Chriſtus. *Deus Charitas eſt*, inquit Joannes Epiſtola prima cap. 4. *& qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Animæ igitur redemptæ à Chriſto ædificante Charitate, & Deum inhabitant, & à Deo inhabitantur; quæ omnia optime conveniunt illi myſtico Templo, quod erat per Meſſiam conſtruendum, ut loco jam citato prædixerat Zaccharias.

CAPUT SECUNDUM.

Enumerantur aliqui antiquæ Legis ritus, & oſtenditur illos fuiſſe figuram aut ipſius Chriſti venturi, aut Sacramentorum, quæ ille inſtituit.

1. A*Blutiones illas, quæ in veteri Lege fiebant ſanguine, Sacrificii illius, quod ſemel in Ara crucis per proprium*

uni ſanguinem obtulit Chriſtus Dominus, figuras fuiſſe, & Sacrarum Scripturarum oracula, & SS. Patrum confirmant teſtimonia. 2. Quam faciles eſſent Homines in Sacrificiis Sanguinis effuſione peragendis, præter alia, quæ afferri potuiſſent, celebris apud Gentiles Taurobolii ceremonia demonſtrat. 3. Antiquæ Legis in ſanguine ablutiones, non riſu, ſed veneratione excipiendæ, cum cruentum Chriſti Sacrificium adumbrarent. 4 Vetus mundandi leproſi ritus in Levitico deſcriptus in medium affertur, & allegorica hujus ad Chriſti Paſſionem interpretatio juxta mentem Theodoreti traditur, accedit & alia explicatio de lana coccinea, quæ ad Chriſti Humanitatem tam innocentiæ candore, quam ſanguine pro nobis effuſo reſperſam ex Iſaia cap 63 minimus referendam. 5. Per duos paſſeres, quorum unus mactabatur, vivus alter ſervabatur, indicatur ex D. Thoma Chriſti Humanitas, & Divinitas. 6. Per cedrũ Crucem ſignificari Eccleſiæ verba ſ adent. Per hanc etiam Chriſtum indicari habetur ex Ezechiele, qui cap 17. ſub cedri allegoria ipſum prædicit ventu um. 7. Primo ſupradicta Ezechielis verba ad trutinam revocantur, quorum alia ad Chriſti Progenitores ſecundum carnem, alia ad ipſummet Chriſtum dicimus pertinere, ſecundo ſeptem lotiones immundo à Lege præſcriptas umbras oſtendimus fuiſſe ſeptem Sacramentorum, quæ pretio Sanguinis ſui ob id ſepties effuſo Chriſtus inſtituit 8 Textus Levitici affertur, in quo ſermo eſt de Capro Emiſſario. 9. Ceremoniæ illius ritus, rationes, tempuſque fuſius explicantur 10 Cum per Caprum Emiſſarium Chriſtum Jeſum denotari communiter opinentur SS. Patres, proponitur, ſimulque diluitur non contemnenda difficultas, cum ſcilicet Chriſto Domino, qui innocentiſſimus Agnus dicitur, hirci etiam nomen poſſit per Scripturam aptari. 11. Quam plures etiam fuiſſe circa Caprum Emiſſarium ceremonias in Levitico numquam expreſſas D. Barnabæ authoritas teſtatur, quas omnes in Chriſto omnino impletas patet ex Tertulliano. Hinc eſt quod

mul-

multas apud Judæos traditiones extitiſſe cum Philone, & Hilario ſentimus. 12. *Caprum Emiſſarium Victimam nullo modo fuiſſe Deo Averrunco oblatam, ut præ cæteris ſentiebat Julianus, multis refellit validiſſimis argumentis Cyrillus Alexandrinus, qui tandem concludit per caprum illum, qui mactabatur, Chriſtum Dominum indicari ſecundum humanam naturam pro nobis morti cedentem. Per alterum vero Emiſſarium ipſummet Chriſtum denotari de morte jam triumphantem, cui poſteriori interpretationi ſubſcribit etiam Theodoretus* 13. *Multæ conglobantur rationes cum Willelmo Pariſienſi, ut tandem perſpicuum fiat, quam ob cauſam voluerit Deus Caprum Emiſſarium ad loca deſerta deduci.* 14. *Ægyptiorum ritus narratur, qui immolandorum animalium capiti excerabantur.* 15 *Cum Sacrificia Luſtrorum in privata, civica, & in ſolemnia dividantur, oſtenditur quænam illa ſint, & quo nam tempore, quibuſque perſonis peragi ſolerent.*

1. OMnes Ablutiones, quæ in lege antiqua adhibebantur, omneſque Aſperſiones aquæ fuiſſe figuram ſalutiferi lavacri in lege Gratiæ promiſſi, nempè aquarum prodeuntium ex fontibus Salvatoris, fusè probavimus in Lucerna Prophetica Lect. 24. ad cap. 4. Iſaiæ verſ. 4. Ideò hic, ut oſtendamus Ablutiones fuiſſe figuram myſtici lavacri in temporum plenitudine promiſſi, ſolum agemus de Ablutionibus, quæ ſanguine peragebantur, cum de iis nihil à nobis dictum ſit in ſupradicto cap. quæ omnia, ut clarius, atque manifeſtius intelligantur, neceſſe eſt, ut à Lectore noſtro inter ſeſe concilientur. Quemadmodum igitur Ablutiones aquæ divinos Salvatoris fontes præfigurabant, ita & illæ peracti in Cruce prò nobis Sacrificii dignitatem, ac valorem adumbrabant, ducentes nos ad illud magnum Myſterium, de quo Paulus diſertiſſimè ſcribit ad

Hebræos cap. 9. nempè: *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum, ideſt non hujus creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinẽ introivit ſemel in ſancta æterna redemptione inventa.* ideſt, quod quemadmodũ è Stirpe Aronica Pontificibus ſemel quotannis in ſanctiorem Templi partem per occiſorum animalium ſanguinẽ dabatur aditus, ita Chriſtum, ut veritate umbras expelleret, diſcuteret, ſemel per proprium ſanguinem fuiſſe in Santa cœleſtia ingreſſum, tamquam ſummum futurorum bonorum Pontificem, & Redemptionis noſtræ Authorem. Subdit Gentium Doctor *Et omnia penè in ſanguine ſecundũ Legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari, ipſa autem cœleſtia melioribus Hoſtiis, quam iſtis, non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit exemplaria verorum, ſed in ipſum Cœlũ, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, neque ut ſæpè offerat ſemetipſam, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine Mundi, nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtitutionem peccati per Hoſtiam ſuam apparuit.* Quaſi dicat; Terrena illa Sancta, quæ erant imago quædam, atque umbra cœleſtium, Sacrificio pecudis expiabantur. Ut pateret nobis aditus ad Sancta cæleſtia, majus, & longe efficacius Sacrificium exigebatur, hoc ſemel peregit Chriſtus, & proprium fundens ſanguinem pro nobis introivit ſemel in Sancta, apervit portas Cœli, quas primorum hominum culpa concluſerat; immaculatus effuſus eſt ſanguis, qui ſanctitatem non ſibi haberet ſoli, ſed in omnes diſpergeret, & limpidiſſimo ſuo fonte univerſum Orbem irrigaret, cum Crux velut Ara extiterit Mundi, in qua univerſa Fidelium Eccleſia ex omnibus terrarum tractibus, ex omnibus ſæculorum ætatibus conglomerata in Capitis ſui Sacramento Deo offerebatur. *Crux ergo Chriſti*, inquit Leo Magnus

ſer-

ſermone 4. de Paſſione, *Sacramentum veri, & prænunciati habet Altaris, ubi per Hoſtiam ſalutarem naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi ſanguis immaculati Agni antiquæ prævaricationis pacta delebat, ibi tota Diabolicæ Dominationis conterebatur adverſitas, & de elatione ſuperbiæ victrix humilitas triumphabat, cum tam velox eſſet fidei effectus, ut de crucifixis cum Chriſto Latronibus, qui in Chriſtum Filium Dei credidit, Paradiſum juſtificatus intraverit*. Sermone verò 8. de Paſſione Chriſti alludens ad veteres cæremonias, quibus agnus immolabatur, oſtendit nos per ſanguinem immaculati Agni, nempè Chriſti reconciliatos fuiſſe æterno Patri: *Siquidem*, inquit ibidem, *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, qui ſe novum, & verum reconciliationis Sacrificium afferens Patri non in Templa, cujus jam erat finita reverentia, nec intra ſepta civitatis ob meritum ſui ſceleris diruendæ, ſed foris, & extra caſtra crucifixus eſt, ut veterum victimarum ceſſante myſterio nova Hoſtia novo imponeretur Altari, & Crux Chriſti non Templi eſſet Ara, ſed mundi*. Effuſus in antiqua Lege tantarum Victimarũ ſanguis illud admirabile Sacrificium nobis exprimebat, in quo non pecus, ſed Virtus, non alienus ſanguis, ſed Pietas, non nidor, ſed Humilitas, & Patientia invicta, non incenſum, ſed divinatum Virtutum ſuaviſſimus odor, ac denique veri, & immaculati Agni ſanguis pro nobis offerebatur. Præclarè Auguſtinus Libro 20. contra Fauſtum Capite 18. inquit: *Hebræi in victimis pecudum, quas offerebant Deo multis, & variis modis, ſicut re tanta dignum erat, Prophetiam celebrant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit; unde jam Chriſtiani peracti ejuſdem Sacrificii memoriam celebrant Sacroſancta Oblatione, & participatione Corporis, & Sanguinis Chriſti*. Non diſſimilia dixerat Ambroſius, qui exponens Pſal. 43. inquit: *Facti ſumus ſicut Oves eſcarum; Bonus Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quia factus eſt Ovis epulationis noſtræ. Quæris quomodò factus ſit? audi dicentem; Paſcha noſtrum immolatus eſt*

Chri-

Chriſtus, & conſidera quemadmodum Parentes noſtri in figura diripientes agnum manducabant ſignificantes Domini Paſſionem, cujus quotidie veſcimur Sacramento.

II. Quam proclive fuit humanum Genus ad effundendum in Sacrificiis ſanguinem, quo delictorum maculas credebat abſtergi, tam altè inſita eſt mentibus noſtris unius veri Sacrificii neceſſitas, quo omnium peccata delerentur, neque enim irrationabilibus Victimis indigebat Deus, neque earum ſanguis erat apta materia, qua homines abluerentur, inſtitutæ tamen ſunt ut expectati Sacrificii dignitatem, & effundendi ſanguinis pro nobis valorem, & efficaciam indicarent. Ad hoc Divinum Myſterium cum non adverterent homines, quorum animi à vera juſtitia, & ſapientia aberrabant, ſub Religionis ſpecie in ſuperſtitionem turpiſſimè lapſi ſunt, aut humanas Hoſtias offerendo, aut ſe ab omni ſcelere puros, liberoſque reputando, ſi prò commiſſis delictis victimarum ſanguinem obtuliſſent.

Ne multa, quæ jam dicta ſunt, repetere cogamur, videnda non minus, quam celebris erat illa cæremonia apud veteres, quam Taurobolium appellabant. Hujus inter cæteros meminit Ælius Lampridius in vita Antonini Heliogabali, de quo hæc refert. *Matris etiam Deum ſacra accepit, & Tauroboliatus eſt, ut typum eriperet, & alia ſacra, quæ penitus habentur condita.* Tauroboliari, ut hic interpretatur Salmaſius, eſt Taurobolium accipere. Qualis autem fuerit hic ritus, paucis exponam. Defoſſa humo tantum ſpatium relinquebatur, quo hominem commodè jacentem capere poſſet, tum ſpatium illud tabulis perforatis deſuper cooperiebatur, ibique in honorem Matris Deum mactabatur Taurus, à quo ſanguis magna copia erumpens, & ſuppoſita foramina pervadens, omnes jacentis partes abluebat. Is verò magnis adſtantium gratulationibus extractus ab omni labe purus æſtimabatur, adeò, ut hanc commemoratam cæremoniam repetere non liceret, niſi quatuor luſtris com-

ple-

pletis; hinc Prudentius in Romano elegantiſſimis carminibus cecinit:

Hunc inquinatum talibus contagiis
Tabo recentis ſordidum piaculi
Omnes ſalutant, atque adorant eminus,
Vilis quod illum ſanguis, bos mortuus
Fœdis latentem ſub cavernis laverint

Plures ſunt antiquæ ſcriptiones, quibus Taurobolica hæc cæremonia refertur, quæ videri poſſunt apud Salmaſium; inter cæteras hæc Romana.

Vectio Agorio Prætextato V. C.
Pontifici Veſtæ,
Pontifici Solis,
Quindecim Viro,
Auguri,
Tauroboliato,
Curiali,
Neocoro,
Hierophantæ,
Patri Sacrorum,

III. Quamvis autem hanc Gentilium cæremoniam, cæteraſque hujus generis riſu dignas exiſtimemus, eaſque contemnamus, non propterea aſſeremus antiquæ Legis Ritus, in quibus aſperſio ſanguinis adhibebatur, ſua fuiſſe ratione deſtitutos; cum ideò fuerint rudi populo præſcripti, ut ille futurum Myſterium per umbras diſponeretur, & in ſanguinis aperſione Redemptionem per ſanguinem effundendum ſperaret. Aliquæ hic cæremoniæ indicabuntur, quarum explicatio id nobis præſtabit, ut intelligamus, quam variis modis cruentum Chriſti Sacrificium fuerit in illa Lege adumbratum.

IV. Celebris eſt ille ritus, quem in purificatione Leproſi legimus inſtitutum Levitici cap. 14 cum videlicet juſſit Deus, ut duo paſſeres ſumerentur, unus, qui immolaretur, alter, qui cum ligno cedrino, cocco, & hyſſopo intingeretur

retur ſanguine paſſeris immolati, ut ſepties aſpergeretur, qui erat mundandus. Quanta autem myſteria hæc ceremonia contineat, facilè intelligemus, ſi ad Sacrarum Litterarum Interpretes recurramus. Theodoretus quæſt 19. in Leviticum: *Duo paſſeres*, inquit, *qui in purificatione Leproſi offeruntur, ſalutaris Paſſionis typum continent. Nam quemadmodum ex paſſeribus illis alter mactabatur, alter ſanguine mactati tinctus dimittebatur; ita Dominus Chriſtus, pro humanitate lepræ inquinata crucifixus eſt, carne quidem perferente mortem, Divinitate vero Paſſionem Humanitatis ſibi accomodante. Jam verò ſicut Leproſus reddebatur ſplendidus, & purus, ubi aſperſus fuiſſet ſanguine paſſeris immolati, ſparſo aqua pura cum ligno cedrino byſſopo, & cocco retorto; ita qui credit Chriſto Salvatori, Sacroſancti Baptiſmatis aqua luſtratus peccatorum maculis abſtergitur. Porra lignum cedrinum, quod corruptioni minime eſt obnoxium, repreſentat Divinitatem Paſſionis expertem. Coccinum vera retortum humanitatem ex Anima, & corpore conſtantem: byſſopus autem calorem, & ſuavem odorem Sancti Spiritus, per hæc enim qui baptizantur, ab Animæ lepra liberantur.*

Hactenus Theodoretus, cujus explicatio tam clara eſt, ut non multa illi addere poſſimus; ſed quoniam multæ, variæque res unum, idemque myſterium variè poſſunt ſignificare, ita varia unius ritus materia per diverſas ſui conſiderationes nos poterit manu ducere ad id, cujus gratia fuit inſtituta. Juxtà igitur aliquorum Interpretum opinionem per lanam coccineam poteſt allegoricè intelligi Chriſti Humanitas, candida quidem Innocentiæ, ac virtutum omnium candore, ſed rubra conſperſione ſanguinis pro nobis effuſi; unde Iſaiæ cap 63. legimus: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ: Ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torcula-*

culari? Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.

V. Per duos paſſeres, ut inquit Angelicus Doctor prima ſecundæ quæſt. 102. art. 5. ſignificantur Divinitas, & Humanitas Chriſti, quorum unus, ſcilicet Humanitas immolatur in vaſe fictili ſuper aquas viventes, quia per Paſſionem Chriſti aquæ Baptiſmi conſecrantur, alius autem; ſcilicet impaſſibilis Divinitas, vivus remanebat, quia Divinitas mori non poteſt, & evolabat, quia Paſſione adſtringi non poterat.

VI. Per Cedrum poteſt etiam intelligi ſalutiferum Crucis lignum, in quo pependit Redemptor noſter, crucem enim ex cedro formatam communis opinio eſt, unde canit Eccleſia; *ſuper omnia ligna cedrorum tu ſola excelſior*. Commodè etiam per Cedrum ipſe Chriſtus ſignificatur, & præfiguratur, qui eſt Sapientia ex ore Altiſſimi prodiens, & primogenita ante omnem creaturam, de qua Eccleſiaſtici 24. dicitur, *quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano;* unde Ezechiel cap. 17. verſ. 22. ſub allegoria Cedri ex Stirpe Davidica naſciturum Chriſtum prædixit, & totius Orbis mirabilem ad eum converſionem, legimus enim: *Hæc dicit Dominus Deus, & ſumam ego de medulla Cedri ſublimis, & ponam de vertice ramorum ejus, tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum, & eminentem; in monte ſublimi Iſrael plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt ſub ea omnes volucres, & univerſum volatile ſub umbra frondium ejus nidificabit.*

VII. *Medulla Cedri ſublimis* eſt Regia Davidis Familia; *vertex ramorum* ſunt Filii, ſeu Nepotes Jeconiæ, *ramus tener diſtinctus* fuit Zerobabel exaltatus in Monte Sion, ideſt Jeruſalem ad Judeæ præfecturam. Hæc Propheta ad litteram, ſed principaliter, ut in hoc capite cum ſacris Interpretibus obſervat Tirinus, intendit deſignare Meſſiam Jeconiæ Filium,

cui ſoli hæc tam ampla promiſſa aptari poſſunt; cum enim inquit, *erit in Cedrum magnam*, præbet nobis ſymbolum Regiæ dignitatis Chriſti, cum hæc Cedrus proceritate cæteras arbores antecellat, ſicut odoris fragrantia ejuſdem gloriam, & nominis celebritatem ſignificat, & incorruptione ſua æternitatem repræſentat. Cum vero ait, *& univerſum volatile ſub umbra frondium ejus nidificabit*, intelligit omnem Fidelium cætum ſub Chriſto congregatum, quem Pater Æternus dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, intelligit omnes Nationes ad Chriſtum venturas, quod prænunciatur Pſalmo 2. nempe, *poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Hinc Tertullianus Capite 12. adverſus Judæos, *aſpice*, inquit, *Univerſas Nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum Creatorem, & ad Deum Chriſtum ejus, & ſi audes, nega Prophetatum, ſtatim tibi promiſſio Patris occurrit in Pſalmis dicens, Filius meus es tu, ego hodie genui te, pete à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, nec poteris eum magis David Filium dicere, quam Chriſtum, aut terminos terræ David potius promiſſos, qui intra unicam Judæam regnavit, quam Chriſto, qui totum Orbem jam Evangelii ſui fide cepit.* Vide jam ſub ramis iſtius myſticæ Cedri, ut requieſcant aves, nempe Animæ fideles, quæ duarum alarum miniſterio, videlicet Intellectus, & Voluntatis, ad Deum Summum Verum, & Summum Bonum per cognitionem, atque amorem eriguntur. Vide, quam multo ante prænunciata fuerint, quæ adimpleta ſunt, & quæ de ſe prædixit Chriſtus Joannis 3. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum*. Quod verò ſepties eſſet aſpergendus ſanguine, qui immunditiem in lege contraxerat, hoc referendum eſt ad immaculatum Chriſti ſanguinem, qui efficaciam, ac virtutem præbet ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, & hinc non ſine myſterio ſepties effuſus eſt; nempe in Circumciſione,

in Horto, in Flagellatione, in Coronatione Spinarum, in Fixione manuum, in Fixione pedum, in Apertione lateris.

VIII. Inter cæteras autem cæremonias, quæ effuſo ſanguine peragebantur, & quæ Chriſti Domini Paſſionem indicabant, non ultimum locum obtinet illa, quam Levitici Capite 16. verſ. 7 præceptam eſſe legimus, nempe: *duos Hircos ſtare faciet coram Deo in Oſtio Tabernaculi Teſtimonii, mittenſque ſuper utrumque ſortem, unam Domino & alteram Capro Emiſſario, cuius exierit ſors Domino, offeret illum pro peccato; cuius autem in Caprum Emiſſarium, ſtatuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces ſuper eo, & emittat eum in ſolitudinem.*

IX. Hanc cæremoniam ut intelligamus, ſupponere oportet, quod in ſeptimo menſe Tiſri, qui noſtro Septembri reſpondet, & in menſem Octobris etiam incurrit, erat Feſtum Kippurim, ſive expiationis, & celebrabatur die 10. in qua pro expiatione peccatorum toto anno commiſſorum debebat populus in communi, & ære publico deferre ad Pontificem duos hircos, ſive capros, qui miſſa ſuper utrumque ſorte, ille, cujus ſors Domino obtigerat, immolabatur Deo pro peccato, ſuper alterum verò, in quem ſors Capri Emiſſarii ceciderat, confitebatur Pontifex omnes iniquitates Filiorum Iſrael, tunc peccatorum pœnas imprecabantur publice capiti hirci devovendo illum ſupplicio omnibus debito, Deumque orando, ut exitum illius pro populi exitio admittere vellet: denique per Miniſtrum ad hoc peculiare munus deputatum hircus luiturus omnium pœnas, quaſi publicum anathema extra caſtra in deſertum adducebatur, ut ibi à Feris devoraretur. Alii ritus, qui hanc ſolemnitatem ſubſequebantur in dicto Capite 16. diſtincte exprimuntur, ibique obſervari poſſunt.

X. Hanc Hirci Emiſſarii cæremoniam præfiguraſſe Chriſtum Dominum, in quo, ut Iſaiæ Capite 53 verſ. 6 legimus, *Poſuit Dominus iniquitatem omnium noſtrum*, commu-

nis SS Patrum, atque Interpretum opinio eſt; nec mirum videri debet Chriſtum Dominum, qui ob innocentiam Agnus in Sacris Litteris plerumque nominatur, hic ſub nomine hirci denotari, quod nomen reorum, atque peccatorum ſymbolum eſt; nam ſolet Scriptura unum, idemque vocabulum uſurpare ad diverſa, immo contraria ſignificanda, pro ut illud diverſas habet proprietates. Sic Apoc 5 Chriſtus dicitur *Leo de tribu Juda*, prima autem Petri Diabolus dicitur *Leo rugiens*, ſic Electi per oves denotantur Matthæi 25. *Oves autem à dextris*, ob fœcunditatem virtutum, & ob fructus, quos viventes præſtarunt, & exprimuntur his verbis, *eſurivi, & dediſtis mihi manducare*, nihilhominus reprobi etiam, qui bene uti ratione noluerunt, ovibus aſſimulantur, unde Propheta Pſalmo 48. de ipſis ait, *ſicut oves in Inferno poſiti ſunt*. Quamvis ergo Chriſtus ſit innocentiſſimus Agnus, & hirci vocabulo Peccatores denotentur, tamen, quia hoc idem vocabulum illum exprimebat, cui omnium iniquitates imponebantur, Chriſtum etiam potuit indicare, qui cum eſſet omnis culpæ expers, languores noſtros tulit, & noſtrorum ſcelerum pœnas perſolvit.

XI. D. Barnabas in ſua Epiſtola Catholica Editionis Coteleriana cap. 6. Hirci Emiſſarii cæremoniam typum fuiſſe Chriſti multis exponit, & præcipue cum inquit, *quomodo igitur præcepit attendite: ſumite duos hircos bonos, & ſimiles, & offerte, & accipiat Sacerdos unum in Holocauſtum, de altero quid faciet? Maledictus, inquit, unus attendite quo pacto figura Jeſu manifeſtetur: & conſpuite illum omnes, & lancinate, & imponite lanam coccineam circa caput ejus, & ſic in deſertum mittatur*. Ex quibus Barnabæ verbis colligitur aliquos ritus fuiſſe adhibitos in Hirco Emiſſario, qui non ſunt expreſſi in citato capite Levitici, nempe *conſpuite, lancinate, & imponite lanam coccineam circa caput ejus*. Quin & Tertullianus libro primo contra Judæos, & libro

bro 3. contra Marcionem ſic ait: *unus autem eorum circumdatus coccino, maledictus, & conſputatus, & convulſus, & compunctus à populo extra civitatem abiiciebatur in perditionem manifeſtis notatus inſignibus Chriſti Paſſionis, qui coccinea circumdatus veſte, & conſputatus, & omnibus contumeliis afflictus extra civitatem crucifixus eſt.* Aliquæ igitur cæremoniæ circa Hircum Emiſſarium ex traditione veterum conſtabant, quamvis non eſſent in Levitico expreſſæ. Neq; Patres, qui ex profeſſo adverſus Judæos diſputabant, illis uterentur ad probandum Chriſti veri Meſſiæ adventum, & Paſſionem, ſi certi non fuiſſent tales ritus extitiſſe, & olim fuiſſe adhibitos. Habuiſſe autem Judæos præter Legem ſcriptam, in qua cæremoniæ, & præcepta continebantur, etiam aliquas traditiones non ſcriptas textis eſt Philo Judæus libro de Circumciſione, ubi ait: *Hæc igitur pervenerunt ad noſtras aures per manus a ſanctis viris traditione accepta, qui ſcripta Moyſis non oſcitanter ſunt interpretati.* Videatur S. Hilarius in Pſalmum 2. ubi ait: *erat autem jam à Moyſe antea inſtitutum in Synagoga omni, ſeptuaginta eſſe Doctores, nam idem Moyſes quamvis veteris Teſtamenti verba in litteris condidiſſet, tamen ſeparatim quędam ex occultis Legis ſecretiora Myſteria ſeptuaginta ſenioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat.* Similia habet D. Hieronymus in cap. 45. Ezechielis.

XII. Quia vero plerumque ex prava Sacrarum Scripturarum interpretatione ſolent hæreſes oriri, multique errores excitari, ita non nulli pro libito ſuo exponentes verba, quæ in Levitici capite 16 jam citato continentur, exiſtimarunt hircum illum, ſuper quem ſors Capri Emiſſarii cadebar, & qui in deſertum adducebatur, fuiſſe victimam cuidam Averrunco Deo, vel Dæmoni deputatam, quem errorem validiſſimis rationibus impugnabat Sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 9 adverſus Julianum, & in Epiſtola de Capro Emiſſario inſcripta, & directa ad Achacium

Melitinæ Epiſcopum, quæ extat Capite 36 Concilii Epheſini. *Sortes verò*, inquit loco citato adverſus Julianum, *& nomina hircis uni quidem Dominus, alteri vero Emiſſarius; non enim, ut ait præclarus ille Julianus, cuidam Averrunco, & depulſori malorum Dæmoni dimitti juſſit eum, qui non eſſet immolatus, ſed ipſe potius dictus eſt Emiſſarius, quod nimirum a mactatione dimiſſus, quemadmodum Dominus dictus eſt ille, qui immolatur. deſcriptus autem eſt per utrumque Chriſtus unus, & moriens pro nobis ſecundum carnem, & mortem ſuperans ſecundum divinitatis naturam, emittebatur autem in deſertum, qua ſolitudine, & inculto ſolo deſignatur Gentium ſterilitas.* Hoc idem deducit S. Doctor, quia multo plures fuerunt, qui crediderunt ex Gentibus, quam qui ex Synagoga Judæorum juxta prædictionem capitis 54 Iſaiæ, videlicet, *multi filii deſertæ, magis quam ejus, quæ habet virum*. In ſupracitata autem Epiſtola ad Achacium clariſſimis rationibus oſtendit, quantum erraverint illi, qui putaverunt Caprum Emiſſarium fuiſſe Dæmoni deputatum, *nam quomodo*, inquit, *univerſorum Opifex, qui omnem mentem, ac ſermonem excedit, ſoluſque eſt ſecundum naturam Deus, & Dominus Sathanam Apoſtatam Regni ſui, ac gloriæ veluti ſocium, conſortemque admiſiſſet? Cum per quemdam Sanctorum Prophetarum illum clare pronunciare audiamus, gloriam meam alteri non dabo. Quod ſi lex per ſapientiſſimum Moyſen præcipit, ut quæcumque offerre quis voluerit, ea ſoli Deo offerat, poſtea idem ipſe, qui legem hanc tulit, manifeſto oraculo ſanxerit, ut gloria, quæ ipſi ſoli maxime convenit, immundis ſpiritibus deferatur, qui fieri poteſt, ut non ſuis ipſe verbis contrarius manifeſte deprehendatur, cum hoc ipſum, quod inhibuerat, fieri jubeat. Eſſet porro divina illa, inculpataque voluntas haud mediocriter culpabilis, ſi poſtquam illos è medio ſubſtulerat, qui Deos alienos adoraverant, Deus ipſe rurſum, qui ſuis deſertoribus ſuccenſuerat, pravam illam, adverſariamque poteſtatem*

ſtatem

ſtatem donis, ſacrificiiſque honorari juſſiſſet. Poſt multa demum concludit; *nomen itaque capro immolato erat Dominus, ſorteque mactabatur, & ſancta erat, ſacraque victima in typum Chriſti, qui non pro ſe ipſo, ſed pro nobis mortuus eſt, ſanguineque ſuo Eccleſiam ſanctificavit. In altero quoque, hoc eſt in vivo, & dimiſſo hirco eumdem ſpectemus, dum in eo quod ſecundum humanam naturam patitur, non patitur ſecundum divinam, & dum carne moritur, mortis victor evadit*. Theodoretus quæſtione 20. in numeros emiſſionem Capri in deſertum ad Chriſti Domini libertatem à mortis vinculis refert, atque in hoc ſenſu vult eſſe intelligenda verba Pſalmi 67. v. 8. *Deus cum egredereris in conſpectu Populi tui cum pertranſires in deſerto, terra mota eſt, etenim Cæli diſtillaverunt*, unde infert, *dum Chriſtus crucifigeretur, novimus terram eſſe commotam, & petras confractas, Cælum autem per ſolis obtenebrationem declaravit impietatis exceſſum, deſertum verò mortis erat figura, ob id enim dixit, dum tranſires in deſertum*.

XIII. Si verò curioſius inquiratur, cur non ad alia, quam ad deſerta loca mitteretur Hircus ille, cui totius populi peccata imponebantur, & veluti publicum anathema cenſebatur, reſpondere poſſumus cum Willielmo Pariſienſi in libro de Legibus capite 9. quod in deſerta loca plerumque Dœmones relegabantur, ut videre eſt Job cap. 8. v. 3. & in iis credebantur inhabitare; & hinc Lucanus de Luco ad Marſiliam ſito cecinit libro 3.

Non illum cultu Populi propriore frequentant
Sed ceſſere Deis medio cum Phœbus in Axe eſt,
Et Cælum nox aſtra tenet, pavet ipſe Sacerdos
Acceſſus, Dominumque timet deprehendere Luci

volebat autem Deus ut inquit Willielmus ſupracit. non quod Hircus Dœmoni conſecraretur, ſed quod loca, in quibus Dœmones habitare credebantur, horrenda, atque abominabilia fierent, cum ad ea, veluti ad propriam ſedem, im-

munditiæ peccatorum deportarentur, quaſi diceretur Hirco, illuc vade, illuc porta immunditias peccatorum, ubi prius locus eſt earum. Voluit etiam in hoc eis oſtendere, quod peccatores, & peccata pars Dæmonum ſunt, juxta illud Pſalmi 62. *partes vulpium erunt*. Voluit etiam eodem ritu oſtendere non eſſe locum peccatis, niſi deſertum, ut ex hoc agnoſceret populus Iſrael, & non eſſe admittenda peccata in Caſtris populi Dei, & ipſa peccata cauſas eſſe, quare ipſa loca populoſa, aut culta per iram Dei deſerta fierent. Voluit etiam inſinuare Deus in Hirco Emiſſario, ut quemadmodum Hircus Emiſſarius abſque cuſtode relinquebatur in deſerto expoſitus beſtiis deſerti ad devorandum propter peccata, quæ in figura portabat; ſic populus gravatus peccatis à Deo cuſtode, ac defenſore ſuo derelictus beſtiis malorum regnorum, ſeu Principum inimicarum Nationum, quaſi quibuſdam beſtiis diripiendus, ac dilacerandus exponendus eſſet, & in hoc prudenter eos admonebat, ut declinarent immunditias peccatorum, ſi Deum habere vellent cuſtodem, ac defenſorem, juxta illud Deuteronomii 32. *dentes beſtiarum immittam in eos*. Si quis plura deſiderat circa hanc cæremoniam videat Natalem Alexandri in Hiſtoria Eccleſiaſtica veteris Teſtamenti art. 4. §. 6., Lorinum in caput 16. Levitici, Maluendam, & Cornelium a Lapide.

XIV. Hunc ritum Ægyptios fuiſſe imitatos refert Herodotus libro 2. capite 39. tradit enim quod animalium mactandorum capitibus omnia mala execrantur, ut ab illis populi liberentur: *Execrantur autem*, inquit, *capiti in hæc verba, ut ſi quid mali, aut ipſis immolantibus, aut toti Ægypto futurum ſit, id in hoc caput convertatur*. Ad hanc cauſam refert quod Ægiptiis interdictum ſit de immolatorum animalium capitibus veſci. Videatur etiam quæ circa depulſoria ſacra tradit Lilius Gregorius Giraldus Syntagmate primo de Diis Gentium.

XV.

XV. Quia verò egimus de Feſto Xippurim, ſive Expiationis, quod in Levitici capite 16. expreſſum eſt, ad eruditionem eorum, quibus hæc noſtra ſcripta traduntur; hic etiam commemoramus Sacrificia illa Luſtrorum, quæ notiſſima erant apud Antiquos, & de quibus mentio fit in Codice Theodoſiano Lege Comperimus, de Luſtrorum Sacrificiis, ubi doctiſſimi Interpretes exponunt, quod alia erant privata Luſtra, quæ ſinguli Patres familias circum arua celebrabant, ut averteretur ab eis mors, labes, nebula, impetigo, peſeſtas, ideſt peſtilentia, alia, quæ quinto anno peracto, & percepto à Civibus cenſu ſuovetaurili Sacrificio agebantur, alia publica, & ſolemnia Luſtra, quæ circa Pomærium urbis, agroſque fiebant, ductis victimis, dictis carminibus, convivio ſolemni, quæ ob varias cauſas indicebantur, ut pro fæcunditate agrorum, ſive pro frugibus, deinde inſpectis libris Sibyllinis, & lectiſternio facto pro prodigiis expiandis, & pro expoſcenda Deorum pace, ad quæ alludere videtur Lucanus libro primo v. 592.

Mox jubet, & totam pavidis à Civibus urbem
Ambiri, & feſto purgantes mænia Luſtro
Longa per extenſos pomæria cingere fines.

Videatur Julius Capitolinus in Vita Marci Imperatoris, & Vopiſcus in Vita Aureliani,

FINIS.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Volumine continentur.

A

ABel cruentum, & incruentum Sacrificium præfiguravit. 387.
Ablutiones ſanguinis cruenti ſacrificii figura extiterunt. 395.
Ablutionum ritus magnum myſterium indicant. 360.
Acedia quid apud D. Bernardum. 237.
Acedia nulla major, quam ea negligere, quæ pertinent ad ſalutem. 222.
Adam ad Chriſtum refertur. 303.
Adam an Sacrificium obtulerit in ipſo ſitæ creationis loco. 368.
Adamitarum errores circa vagum Concubitum. 38.
Adonidis fabula. 79.
Adonidis planctus quomodò celebraretur. 77.
Adoratio quid ſit. 108.
Adoratio civilis, & ſpiritualis. 110.
Adoratio alia abſoluta, alia reſpectiva. 118.
Adulterarum pœnæ, non ſolum nuptæ, ſed etiam virgines erant ſubjectæ 339.
Aggæi Prophetia de prima, & noviſſima domo quomodò intelligatur. 390.
Amor ut ſit verus, & conſtans, neceſſe eſt, ut fides ſit recta. 244.
Amoris Dei actus debent eſſe frequentes. 195. uſq. ad 197.
Amoris actus quandò elici debeant. 207 uſq. ad 212.
Anabaptiſtarum errores circà vagum Concubitum. 38
Angeli ſunt colendi, & invocandi. 121.

An-

Angeli lætantur cum vident numerum ſuum augeri. 124.
Angeli ſaluti noſtræ invigilant 126.
ex Angelis, & hominibus unus grex componitur. 124
Angelorum cultus non prohibetur, ſed damnatur tantummodo ſuperſtitio, quæ in Geniorum cultu adhibebatur. 131.
Angelus cur noluit adorari a Joanne. 128.
Animi an poſſint excitari ad amorem magicis artibus. 55
Animi mundities requiſita Sacra facturis. 369.
Annæ votum quale fuerit. 287.
Apotheoſis non eſt privati hominis officium. 148. & 150.
Archangelus Michael cur altercaretur cum Diabolo de Moyſi corpore. 168.
Aſtarth, ſive Aſtaroth quale Idolum. 89.
cur appelletur Lucus. 90.
Ad Aſtarthem, quæ numina referantur. 92.
Aſtarthes an omnium Deorum formam contineret. 93.
Aſtrologia Judiciaria omnino reprobatur. 66.
Authoritas loquentis in quo conſiſtat. 242.
Azima quale Idolum. 93.

B

BArba intonſa apud antiquos. 276.
Beelphegor quare dicatur Idolum Turpitudinis. 84.
Beelzebub quare Princeps Dæmoniorum 81.
à quibus Gentibus pro Deo habitus. ibid.
Beelzebub etymologia, & variæ hujus Idoli acceptiones. 82. ſeq. ad 84.
Benedictio accipitur aliquando pro blaſphemia. 35.
Benoſus quibus Conciliis damnatus. 304.
Blaſphemia quam deteſtabilis apud antiquos. 35.
Blaſphemantium pœna ex jure Divino, & Canonico. 36.

CÆ-

C

CÆremoniæ antiquæ unum, & immaculatum ſacrificium novæ legis præfigurabaat. 383. & 384.
Catholicorum ſententiæ circa votum Jephte. 287.
Capri Emiſſarii cæremonia. . 403. uſque ad 405.
Cedrus expreſſio Crucis Chriſti. 401.
Cerdonis errores circa bonitatem Legis. 21.
Chama quale Idolum. 93.
Charitatis præceptum debet frequenter obſervari, etiam ut alia præcepta obſerventur. 206.
Chriſti Crucis expreſſio Cedrus. 401.
Chriſti temporalis Nativitas æternam indicat. 301.
Chriſti Nativitas è Virgine Bonitatem, Sapientiam, atque Juſtitiam Divinam commendat. 303.
Chriſti Nativitas de Virgine Deſponſata quomodo abſcondita Diabolo. 333.
Chriſti fratres quales fuerint, & cur ita dicti. 310.
Chriſto nulla fit injuria, ſi etiam Sanctos Mediatores appellemus. 139. & 140.
Chriſtum decuit è Virgine naſci, & quare. 302.
Chriſtum naſci de Virgine Deſponſata quã conveniens fuit 337.
Chriſtus voluit naſci de Virgine Deſponſata multis de cauſis 332.
Chyromantia probibita. 66.
Colonia apud antiquos dicta Sicca Veneria. 92.
Coma intonſa apud veteres. 276.
Concilii Laodicenſis Canon difficilis, explicatur. 131.
Concilium Francfordienſe an damnaverit Imagines. 131.
Concilium Toletanum quartum, & octavum quid decreverint circa pueros oblatos Monaſteriis à parentibus fuit 280.
Concubitus vagus damnatur lege naturali, & divina. 38.
Conſilium quomodò diſtinguatur à præcepto 197. & 230.
Converſio periculoſa, quæ protrahitur ad ægritudinem. 226.

Con-

Converſionem qui differt, irrogat injuriam divinæ majeſtati. 219.
ad Converſionem expectare tempus mortis error eſt impiorum. 225.
Converſionis dilatio quamvis augeat peccatum, non eſt tamen qualibet dilatio novum peccatum. 237.
Cor humanum non abſque myſterio exiſtimavit Plato præditum eſſe duabus alis. 188.
Corporis mundities requiſita Sacra facturis. 369.
Craſtinum numquam Deus promiſit pœnitentiæ. 226.
Creatura ſola rationalis verè, & propriè eſt particeps Legis æternæ. 7.
Creaturæ rationales per regulam rationis moventur. ibid.
Irrationales per impulſum, & impetum. ibid.
Crines cur præſcinderentur Nazaræis. 276.
Cultus extraneus qualis fuerit, & qua ratione interdictus. 32.
Cultus Sacer illis tantum debetur relatis à S. Sede in numerum Sanctorum. 147.

D

Dagon idem, ac piſcis ad Idolum Veneris eſt reducendum. 93.
Dæmones an incolerent deſerta. 407.
Dæmones nocere cur Deus permittat. 57.
Dæmonum mendacia quomodò vitanda. 63.
Dæmonum Princeps quare Beelzebub. 81.
Dea Siria ad Aſtarthem refertur. 92.
Decalogi præcepta Trinitatem adumbrant. 42.
Decalogum quid, & ejus etymologia. 41.
Decima à Jacobo promiſſa. 269.
Decreta Summorum Pontificum circà pueros oblatos Monaſteriis. 282. & 283.

Deiſtæ quales fuerint. 415
Deo quæ ſemel ſunt promiſſa, non poſſunt propria authoritate permutari, niſi in evidenter melius. 241.
in Deo datur perfectiſſimum dominium. 354.
Deorum cultores, qui primi fuerint. 1.
Deorum genna incerare quid ſit. 34.
Deorum omnium forma an fuerit Aſtarthes. 260.
Deum fuiſſe Animam Mundi Pythagoreorum, ac Platonicorum dogma. 93.
Deum plura revelaſſe præter exiſtentiam ſuam eſt prudenter, evidenter credibile. 4.
Deus author legis ignorari non poteſt. 245.
Deus cur permittat Dæmones nocere. 57.
Deus cur voluit latere Sepulchrum Moyſis. ibid.
Deus non poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt Iuris naturalis. 168.
Deus quomodò abſque læſione præceptorum naturalium præceperit Abrahamo immolationem filii. 17.
Deus prius quærere non eſt grave jugum. 18.
Diaboli principatus in homines an fuerit juſtus. 205.
Diabolus quomodò detineret homines ſub ſua poteſtate. 335. & 336.
Dii Agricolarum. 334.
Dii Conſentes. 258.
Dii Indigetes. 257.
Dii Majores. ibid.
Dii Maris. 257.
Dii Medicinæ. 258.
Dii Morales. 259.
Dii Nationum. 258.
Dii Nuptiales. 257.
Dii partium humani corporis. 259.
Dii Selecti. 258.
Dilatio converſionis an novum peccatum. 257.
Dilectio finis eſt divinæ legis. 237.
Dilectionis Dei modus duplex. 244.
203.

Di-

Divinatio per ſomnia quæ, & quomodò prohibeatur. 67.
Divinitatis nota Prophetia eſt. 130.
Dominii divini proprietates. 1.
Donaria apud Latinos res templa oblatæ. 262.
Dulia qualis cultus. 111.

E

Eccleſia non poteſt errare in Canonizatione Sanctorum. 147.
Eccleſia quomodò procedat in Canonizatione Sanctorum. 151. & 152.
Eccleſiæ militantis typus fuit illa prima Jeruſalem. 389.
Elementa an poſſint turbari magicis artibus. 55.
Eva ad Mariam refertur. 303.

F

Fariſæi cur appellati hiprocritæ, dum ædificabant Sepulchra Prophetarum, & ornabant monumenta juſtorum. 169.
Flamines undè dicti. 271.
Flamines Diales quales fuerint. ibid.
Fides noſtra nititur teſtimonio Dei loquentis. 241.
Fides recta ad hoc ut amor ſit verus, & conſtans. 244.
Filii nuncupantur etiam Semen. 72.
Filiorum immolatio apud quas gentes eſſet in uſu. 73. & 75.
Fœcunditas cur tanto in honore apud Judæos. 318.
Fornicatia appellatur Idololatria. 73.

G

Gad Idolum quod Bona Fortuna interpretatur. 93.
Gaſtremantia damnata. 62.
Gentiles ſuis fabulis convincuntur. 8. Gre.

S. Gregorius Magnus numquam prohibuit Imagines 117.
Grex unus componitur ex Angelis, & hominibus 124

H

HAlma virginem ſignificat 291.
Hecatombe Sacrificium quale 266.
Helvidij argumenta confutata 306. & 307.
Helvidius quibus conciliis damnatus 304.
Hiperdulia qualis cultus 111.
Holocauſtum quod, & quomodò differret a Victima & Hoſtia 359.
Homines cur non debeant permanere in ſtatu peccati 231.
Homines non poſſunt ſalvari in qualibet Secta, adeoque in una tantum eſt repoſita ſalus 248.
Hominibus non imponitur grave jugum, cum ipſis imponitur, ut prius quærant Deum 205.
Hominis vita religio eſt 186.
Hominis creatio oſtendit illum debere eſſe intentum divino famulatui. 187.
Homo quibus modis ſe habeat ad alium 43.
Homo ad ejuſdem rei obſervantiam obligari poteſt pluribus titulis 270.
Hoſtia quæ, & quomodo a Victima, & Holocauſto differret 359.
Hoſtiæ Bidentes undè dictæ 360.
Hoſtiæ Eximiæ quare dictæ ibid.
Hoſtiæ humanæ oblatæ Saturno 75.
Hoſtiæ Precidaneæ quæ 360.
Hoſtiæ Succidaneæ quæ ibid.

I

JAcob quomodò potuit vovere ſe habiturum Deum in Deum 269.
Jacobi promiſſio Decimarum ibid.
Jacobi votum habuit pro materia quoſdam actus externos ibid.
Jacobus, & Joſeph, ſive Joſet quomodo appellârentur fratres Domini 311.
Idololatria Magica, & ejus diviſiones 49 uſq. ad 53.
Idololatria appellatur fornicatia 73.
Idololatria varia ſpecies 47.
Idolum quid, & unde ejus origo 45.
Idolum Aſtaroth 89.
Idolum Azima 93.
Idolum Bona Fortuna ibid.
Idolum Chama ibid.
Idolum Gad ibid.
Idolum Moloch 71.
Idolum Nabo 94.
Idolum Remmon 95.
Idolum Sucoth Benoth 92.
Idolum Tamuz 77
Idolum Turpitudinis 84.
Idolum Veneris 93.
Jephte quale votum emiſerit 285
De Jephte voto Catholicorum ſententia 287.
Jephte voti materia non fuit indifferens 288.
Jephte non temerè vovit, ſed divino quodam inſtinctu ibid.
Jephte filia cur poſtulaverit ſpatium ad deplorandam ſuam virginitatem 286.
Jeruſalem illa prima fuit typus militantis Eccleſiæ 389.
Imagines a quibus oppugnatæ 96.
Imagines an damnatæ a Concilio Francfordienſe 115.

Imagines numquam prohibitæ a S. Gregorio Magno 117.
Imagines Sanctorum, cur primis Eccleſiæ temporibus non exponerentur 106.
Imaginum perſecutio ſub Leone Iſaurico 97.
Imaginum cultus non adverſatur primo Præcepto 101.
Imaginum cultus omnis, ac uſus, an interdictus Judæis 100.
Imaginum prohibitio, ſiqua apud Hebræos fuit, hæc non derogat illarum cultui 113.
Imperatores quomodò Pontifices appellarentur 373.
Indifferentes quales fuerint 241.
Indulgentiam non craſtinum Deus pænitentiæ promiſit 226.
Infantes oblati Religioni a parentibus ſuis, quomodo tenerentur vitam Monaſticam profiteri 280.
Infidelium opera, quamvis aliquandò bona non tamen merentur æternam ſalutem 250.
Joſeph ſemper fuit virgo 308. & 309.
Joſephi juſtitia validum pro virginitate Mariæ argumentum 304.
Joſephum habuiſſe filios, qui nam exiſtimaverint 309.
Jovinianus quibus Conciliis damnatus 304.
Ira divina quomodò dicatur approximare peccatori 220.
Iſaias cruentum, & incruentum Sacrificium præfiguravit 387.
Judæi cur fæcunditatem honorarent 318.
Judæi lege etiam naturali obligabantur 31.
Judæi malè interpetrantes vaticinium Iſaiæ cap. 7. refelluntur 295
Jus naturale quid ſit, & variæ illius acceptiones 6.
Jus naturale eſt commune omnium Nationum, quamvis aliquæ gentes barbaris legibus uſæ ſint 11.

L

LAtria qualis cultus 111.
Legiſlatoris bonitatem mandatorum facilitas oſtendit 22.

Legis naturalis præcepta ſunt invariabilia 5
Legis divinæ finis eſt dilectio 244.
Lex æterna quid ſit 3
appellatur communis omnium creaturarum, & a Gentilibus ſuit cognita 4
Lex humana non poteſt mianere ea, quę ſunt Iuris naturalis 15
Lex a Deo fuit data 21.
Lex ſcripta qua de cauſa promulgata 27. & 28.
cur non ſtatim poſt peccatum 29.
cur data ſolis Iudæis ibid.
Lex quæ hominem ad Deum ordinat, vitra intellectus, & voluntatis excludit 245.
Lepros mundandi ritus, figura fuit cruenti Sacrificii 399.
Libertini quales fuerint 241.
Libitina ad Aſſarithem refertur 92.
Loquentis authoritas in quo conſiſtat 242.
Luſtrorum Sacrificia privata, civica, & ſolemnia 409.

M

Magia Divinatrix quæ 54.
Magia Origo, & definitio ibid.
Magica Idololatria, & ejus diviſiones 49 & ſq. 53.
Magica inſtrumenta omnia damnantur 62.
Magicæ ſuperſtitionis effectus 55.
Magicis artibus an poſſint animi ad amorem excitari ibid.
Magicis artibus an poſſint turbari Elementa ibid.
Magicis artibus quomodo mentes turbari poſſint 57.
Magorum auxilium implorare graviſſimum peccatum eſt 65.
Mandata divina, quare appellentur viæ duræ 25.
Mandatorum facilitas bonitatem Legiſlatoris oſtendit 22.
Manichæorum errores circà bonitatem legis 21.
Manum oſculari ſumitur pro Adoratione 110.

Ma-

Marcionis errores circà bonitatem Legis. 21.

Maria an prima fuerit, quæ Deo ſuam virginitatem conſecraverit. 316.

Maria potuit ſe voto obſtringere abſque violatione divini præcepti. 317.

Maria etiam poſt partum Virgo. 304.

Mariæ integritas vaticiniis Prophetarum propugnatur. 294.

Mariæ partus admirabilis multis Teſtamenti veteris figuris indicatur. 296.

Mariæ perpetua Virginitas probat votum ab ea emiſſum. 312.

Matrimonii eſſentia in voto Virginis retenta, & conſervata. 322. & 325.

Matrimonium inter Mariam, & Joſephum fuit verum matrimonium abſque violatione voti virginalis 321. *uſq, ad* 330.

Matthiæ electio quomodò rectè fieri potuerit per ſortes. 61.

Mentes an poſſint turbari magicis artibus. 57.

Miracula quædam ſunt ad exercitium fidei, quædam ad confirmationem. 339.

Moloch quale Idolum fuerit, quænam victimæ eidem oblatæ, qua forma conſtaret. 71. & 72.

Moloch ad Baal, ad Solem, & Saturnum refertur. 75.

Monacho non licet vovere abſque Abbatis licentia. 351.

Moyſis ſepulchrum cur Deus voluit latere. 168.

Mulier non poteſt vovere abſque conſenſu viri, quod ſi ille permiſit, poſtea prohibuit, votum ſervare non tenetur. 351.

Milytta refertur ad Aſtarthem. 92.

N

NAbo quale Idolum. 94.

Nazaræi etymologia. 272.

Nazaræis cur vini uſus interdictus, cur uvæ recentes, & paſſæ. 276.

Nazaræis cur crines præſcinderentur. 276.
Nazaræis cur non liceret mortuorum funeribus intereſſe, nec cadavera tangere. 277.
Nazaræorum cæremoniæ præfigurabant Religioſos novi Teſtamenti. ibid.
Nazaræorum genus duplex. 271.
Nicolaitarum errores circà vagum concubitum. 38.
Numa quales Sacerdotes inſtituerit. 374.

O

OCozias cur miſerit nuncios ad conſulendū potius Beelzebub, quam alia Idola 81.
Oſſa Joſephi quomodò dicantur prophetaſſe. 158.

P

PApyri uſus, & inventio. 78.
Paſſeres, qui adhibebantur ad mundandum leproſum, quid ſignificarent. 401.
Peccatorem non teneri ſtatim poſt peccatum quærere medium ſuæ juſtificationis qui docuerint. 216.
Peccatores a Deo percuti cum devenerint ad certum numerum peccatorum, nec amplius tolerari D. Auguſtini ſententia. 236.
Peccatori quomodò dicatur approximare ira divina. 220.
Peccatum depravat hominis intellectum. 232.
Permanere in peccato eſt eſſe in periculo mortis temporalis, & æternæ. 234.
Philoſophi quid docuerint de pulchritudine, ac pulchro 188.
Philoſophorum ſententiæ de amore pulchritudinis. 189. & 191.
Pœnitentiæ præceptum eſt naturale. 219.
Pœnitentiæ indulgentiam Deus promiſit, non craſtinum. 226.
Pontificis nomen undè. 373.

Pon-

Porta, qua ducit ad Vitam, cur anguſta dicatur. 25.
Præcepta prima Tabulæ quæ nam ſint, & cur ita appellentur. 341.
Præcepto primo non adverſatur Imaginum cultus. 201.
Præceptum quomodo diſtinguatur a conſilio. 197. & 235.
Priapus idem ac Beelphegor. 186.
Primogenitus quis dicatur. 307.
Procraſtinare graviſſima culpa eſt. 222.
Procraſtinantes converſionem juſtè puniuntur a Deo. 221.
Prophetæ quid ſit, & quibus modis ſumatur. 162.
Prophetia teſtimonium Jeſu, & nota quædam eſt divinitatis. 130.
Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. circa amorem Dei. 195
Proſelyti quales fuerint. 31.
Proſelyti Domicilii, & Originis. ibid.
Proſelytorum præcepta qualia. ibid.
Providentia futuri eſt maximè neceſſaria cum agitur de negocio ſalutis. 224.
de Pulchritudine, ac Pulchro Philoſophorum doctrina. 188. *& ſq. ad* 191.
quæ SS. PP. ſententiæ. 191.

R

Redemptionis myſteria, quam rectè aſſerverint SS. PP. fuiſſe abſcondita Diabolo. 340.
Religio quam variè in ſacris litteris ſumatur. 181. & 182.
Religio undè dicta. 182.
Religionis definitio ex Clemente Alexandrino. ibid.
Religio eſt vita hominis. 186.
Religioſi novi Teſtamenti præfigurati Nazaræorum caremoniis. 277.
Reliquiæ Sanctorum cur fuerint majori in honore in novo Teſtamento, quam in veteri. 169.

Reliquiis Sanctorum debetur honos, & cultus. 156, & 161.
Remmon Idolum vel ad Solem, vel ad Lunam refertur. 95.
Reſurrectio corporum validiſſime propugnata. 171. *uſq. ad* 180

S

SAcerdotalis dignitas regiæ majeſtati coniuncta 372.
Sacerdotes inſtituti a Numa 371.
Sacra facturis qualis munditiES corporis, & animi requireretur. 369
Sacrificia Mortuorum comedere quid ſit. 87
Sacrificia interna, & externa 361 & 362.
Sacrificia a Deo non tantum permiſſa, ſed etiam præcepta 376. *uſque ad* 380.
Sacrificia vetera novo adveniente ceſſarunt 387.
Sacrificia antiqua fuiſſe ad tempus, locus ad ſacrificandum præſcriptus indicat. 388
Sacrificii cruenti figura Ablutiones ſanguinis exterum 395.
item ritus mundandi Leproſi 399
Sacrificiorum origo a lege naturæ repetenda 365 *uſq. ad* 367.
Sacrificiorum multitudo in lege antiqua conveniens. 385.
Sacrificium quid ſit. 361
Sacrificium ſoli Deo debetur. 362
Sacrificium Hecatombe 266.
Sacrificium an oblatum ab Adamo in ipſo ſuæ creationis loco 368.
ad Salutem neceſſaria negligere nulla major accedia. 222.
Saluti noſtræ invigilant Angeli. 126.
Salomon a Joſepho hiſtorico malè reprehenſus. 113
Sancti ſunt laudandi, & invocandi. 154
Sancti, qui viventes intercedebant multò magis hoc in Cœlo præſtare poſſunt. 135. *uſq. ad* 138.
Sancti quomodò cognoſcant preces noſtras. 142.
Sancti quomodò dicantur ſequi Agnum quocumque ierit. 144

Sa-

Sanctorum interceſſio plurimum valet apud Deum. 134.
Sanctos appellando Mediatores, nulla fit iniuria Chriſto. 139.
Saturno Hoſtiæ humanæ oblatæ. 75.
Sectarum multiplicitas varietatem opinionum inducit. 248.
Semen nuncupantur etiam filii 7.
Servitus non repugnat Juri naturali. 15.
ejuſdem varia genera. ibid.
Sicca Veneria qualis Colonia apud antiquos. 92.
Somnia cur aliquandò a Deo immittantur. 68.
Somnia quomodò probanda, & diſtinguenda. ibid.
Somniorum cauſæ internæ, & externa. 67. & 68.
Sortes quibus modis accipiantur. 58.
Sortes triplicis generis ibid.
Sortes damnatæ Jure Pontificio. 61.
Spolia hoſtium, & arma arborum truncis ſuſpenſa. 262.
Stipem jacere quid ſignificet. 259.
Succoth Benoth Idolum Babyloniorum. 92.
Superior cum ſubdito concedit, ut aliquid voveat, materia voti non eſt in poteſtate ſubditi quoad omnem uſum 352.
Superſtitio, quæ in Geniorum cultu adhibebatur damnata. 131.
Superſtitionis etymologia. 282.

T

TAurobolii cæremonia quæ. 398.
Templi ædificatio cujus myſterii typus. 391.
Teſtamentum vetus non poteſt eſſe a malo Deo. 22.
Thamuz idem ac Adonis. 77.
quare flere dicatur. ibid.
Thamuz etiam pro menſe Junio accipitur. ibid.
Theraphim quid ſit, & pro quo in Sacris Litteris ſumatur. 48.
Trinitas in præceptis Decalogi adumbratur. 42.

V

VEneris Militæ templum. 92.

Veneris fabula in piſcem converſa. 94.

Venus an fuerit Idolum promiſcui generis. ibid

Venus Urania refertur ad Aſtarthem. 92.

Ver Sacrum quid. 266.

Verbum decuit è Virgine naſci 298.

Verbum cum ſit ipſa Integritas integritatem non minuit, ſed auget. 301

Verbum Divinum, quomodò Diabolum juſtitiæ hoſtem ſuperaverit. 334.

Verbum præſens aliquandò pro futuro ponitur in Sacra Scriptura. 313

Veſtes in templis Deorum appenſæ. 261

Victima quæ, & quomodò differret ab Hoſtia, & Holocauſto. 359

Victimæ quæ Diis Manibus Sacrarentur. 87.

Vini abſtinentia multum decet eos, qui divino cultui ſunt dedicati. 273

Vinum interdictum Nazaræis. 276

Virgines delinquentes adulterarum pœnæ erant ſubjectæ. 339.

Virgines è ſacerdotali ſtirpe, ſi ſtupri reæ, comburebantur. ibid.

Virginis partus ſignum divinæ Potentiæ. ibid

Virginitas in veteri Teſtamento non ſolum permiſſa, ſed etiam laudata. 319

Virginitatis plura exempla in natura. 300.

Virgo abſcondita dicitur. 292.

Virtutes quæ verſantur circà partem volitivam, directè non pugnant cum falſitate. 349

Unigenitus quis dicatur. 307.

Vi

Vota Conſulum, & Imperatorum quomodo emittebantur. 257.
Vota publica, & privata quæ. 259.
Vota pictis tabellis expreſſa. 269.
Vota publica quandò emiſſa. 263.
Vota Decennalia quæ fuerint. ibid.
quæ Quinquennalia. ibid.
quæ Quindecennalia. 264.
Vota a quibus emittebantur capite cooperto. 265.
Vota antiquorum narrata a Plutarco. 267.
Vota quorum materia eſt extra noſtram poteſtatem, quamvis ſub abſolutis verbis concipiantur, evadunt conditionata. 279.
Vota Subditorum emiſſa cum conſenſu Superiorum, & poſteà revocata an obligent. 352.
Vota quomodò redimantur, & permutentur. 355.
Voti variæ diviſiones. 354.
ad Voti validitatem, an nudum propoſitum ſufficiat. 344. *uſque ad* 347.
quid ad illam requiratur. 348.
Voti reus, voti damnatus, voto ſe liberare quid ſit. 255.
Votorum materio qualis fuerit. 265.
Votum quibus modis ſumatur. 252. & 253.
Votum quid propriè ſit. 253.
Votum quomodò dicatur tolli, & permutari. 255.
Votum Annæ. 278.
Votum Jacobi. 269.
Votum Iephte. 285.
Votum poteſt propriâ authoritate mutari in Votum ſolemne Religionis. 355.
Uſucapio quid ſit, & quare hæc lex introducta. 16.
Uvæ recentes, & paſſæ Nazaræis interdictæ. 276.

AP-

APPROBATIO ORDINIS.

FR. Joannes Petrus Bertazzoli S. Theolog. Lamilis Profeſſor, ac totius Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis Prior Generalis.

Cum Librum, cui titulus eſt *Diſſertationes Dogmatices*, *Poſitivæ*, *Morales*, *Canonicæ*, *&c.* ab Adm. Rev. P. Magiſt. Julio Antonio Roboredo Ord. noſtri in Univerſitate Florentina S. Scripturæ, ac Controverſiarũ Profeſſore, aliquis ex noſtri Theologis, quibus id commiſimus, recognoverint, & in lucem dari poſſe judicaverint; nos officii noſtri authoritate, ut typis mandetur, præſentium tenore licentiam concedimus, ſervatis de jure ſervandis. Cujus rei gratia præſentes manu noſtra ſubſcriptas, & officii noſtri Sigillo munitas dedimus.

Datum Florentiæ in Conventu noſtro D. Annunciatæ diæ 23. Maii Anno 1710.

Fr. Joannes Petrus Prior Generalis.

Fr. Aurelius Savini Secret. Ord.

Reg. Lib. 1. fol. 17.

Loco ✠ Sigilli.

AP-

APPROBATIONES.

ADmodum R. P. Andreas à S. Sebaſtiano Ordin Cler. Reg. Paup. M. Dei Scholarum Piarum, complaceat attentè perlegere præſentem Librum, cui titulus eſt, *Diſſertationes Dogmaticæ, Poſitivæ, Morales, Canonicæ, &c.* Authore P. M Julio Antonio Maria Roboredo Ordinis Serv. B M V. & recognoſcat, an in ipſo quidquam S. S. Fidei Orthodoxæ, & bonis moribus ſit adverſum, & referat.

Dat. Florentiæ hac die 23. Septembris 1711.

Nicolaus de Caſtellanis Vic. Gener.

Cum mihi demandatum fuerit ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Nicolao de Caſtellanis Florentinæ Diæceſis Vicario Generali attentè perlegere Librum, cui titulus eſt *Diſſertationes Dogmaticæ, Poſitivæ, Morales, Canonicæ, &c* Authore P Mag Julio Antonio Roboredo Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis, & referre an in eo aliquid reperiatur Catholicæ Fidei, ejuſque ſanctiſſimis Moribus adverſum, munus hoc majori, quà potui, diligentia exequens, nihil in præfato Libro inveni, quod ſive Fidei Divinæ, ſive illibatis ejuſdem moribus opponatur, quin potius mihi cum gaudio admirari licuit Sacra Dogmata, & argumentorum pondere fundata, & eruditionum lumine explanata, & authoritatum robore ſtabilita, quapropter publicæ utilitati magnoperè conſuletur, ſi, ut judico, typis concedatur.

Florentiæ hac die 20 Octobris 1711.

Andreas à S. Sebaſtiano Scholar Piar Regiæ Celſitud Coſmi Tertii M. D. Etrur. actualis Theolog.

At-

Attenta ſupradicta relatione Imprimatur.

Nicolaus de Caſtellanis Vicar. Generalis.

Imprimatur

Frater Bernardinus Frachia de Valentia Min. Conv. Vic. Gen. S. Offic. Florentiæ.

Imprimatur

Philippus Buonarota Regiæ Celſitud. Sen. & Aud.

ERRATA NOTABILIORA.

Pag. 3.	facti ſuiſſe	facti eſſet
5.	forme	formo
7.	Quadrupes	Quadrupes
23.	ipſimet	Ipſimet
24.	& hic	& hinc
30.	eſſe	eſt
37	diſtincte	diſtinct;
39	Sententiam	Sententiae
57	mentem colle	mentem colli
59	Sortilegia	ſortilegium
69.	Sive per Prophetas	ſive per Prophetas
72.	primos	primum
73	era	etiam
75.	demonſtrat	demonſtrant
91	ſigna	ſigma
96.	numeratum	numeratum
108	eſus ſructa	ejus ſructe
109	procedit	precidit
111	culea	calcul
123	illi	Ille
	ſint nobis	ſint e noble
157	qua	quae
136	aſſatus	aſſatus
168	licitum	licitum
182	nolis	vobis
193	quid illud	qui illud
212	pſ 3.	pſ 111
203	perfecto	perfecto
221	memoritte	ne moreret
226	confuſſionem	converſionem
234	Sanguinis	ſanguis
274	commoratur	commoratur
296	abſtiſſam	abſciſſam
350	vovet	vivant
359	abiat	habeat
367	Ipſo	ipſat
368	Propoſitum	propitium.
369	levis	levi
379	prodigie	prodigiis
384	multum figuraretur	multum commendaretur
399	bos mortuus	& bos mortuus

005657493